TOMI PRIMI

SCRIPTORUM RERUM

LUSATICARUM

PARS ALTERA

QVÆ

FATA ET HISTORIAM PARTICULAREM INCLYTÆ CIVITATIS GORLICENSIS,

TRADIT

ET

TAM SPECIALIA LUSATICÆ HISTORIÆ CAPITA, QVAM LUSATIÆ SUPERIORIS RES ILLUSTRAT.

✲✲) o (✲✲

M. MARTINI MYLII,
SCHOL. GORL. RECT.

ANNALES GORLICENSES
AB ANNO P. C. N. MCXXXI. CONTINUATI USQVE AD AN. MDCLI.

in qvibus

Non tantum fata civitatis Gorlicensis, verum etiam vicinarum urbium imo totius Lusatiæ Superioris res concernentia recensentur.

* * *

Encomia Urbis Gorlicensis.

INter sex urbes confoederatas Lusatiæ superioris celebratissimum est Gorlicium & primi nominis etiam Rithaimeri testimonio - - atque urbes sibi fœdere junctas

Vincit, ut alitum Veneris regina volucres,

secundum Meisterum nostrum: qvippe cujus apud exteros quoque in tantum procrebuerit etiam qvam re major fama, ut, qvi patrum memoria in aula Pannonia Ludovici Regis fuerunt ex Hexapoli oriundi, narrare comperiamus, magnum ibi ad ipsos factum hominum concursum certatim rogantium super iis, qvæ de rep. nostra omnem fidem superantia, tum passim jactari audivissent. Præcipue autem celebrata fuere, præter urbis opes & magnificentiam purgata latrociniis tota vicinia disciplinæ civilis honestas & executio justitiæ ad rigorem usque severa, adeo ut ob res leviculas, nescio quas, morte ibi multati dicantur. Aliqui & circumferuntur etiamnum rhythmi vernaculi hoc sensu, præclare de eo actum videri, qvi Budissinæ vincula, Gorlicii suspendium, Sittaviæ nuptias effugisset. Gaudebant enim Gorlicenses privilegiis, qvorum beneficio ipsis in omnibus omnium circum circa principum ditionibus grassatores & hostes publicos, viarum insessores, fures & id genus homines facinorosos investigare, insequi & prehendere licuit, qvod qvidem nullo natalium cujusquam respectu, non æstimandis impensis præstitere, non etiam fortasse nunqvam vel strictius æqvo vel præcipitantius: neqve enim tam patria cara est, Ut manifesta negem, ut cum F. Fabri Sabotho loqvar. Atqve hinc est qvod Stephanus Gerhardus Regiomontanus, panegyrico Domus Saxonicæ Gorlicenses rigidos, ipsiusque Zalevos fidissimos insectatores appellat. Nec domi nec in vicinia coërcuisse vim s. donum contenti, ex ultima Moravia Bohemiæque finibus, Marchia & ipsa Hercynia retractos ad supplicium rapuere. Ac ne qvis Meisteri tanquam domestici testis fidem elevet, atque hoc intorqveat: οἴκοθεν ὁ μάρτυς, audiat ab exteris etiam elegantissimis poetis pleno ore decantata patriæ nostræ elogia. Sic igitur Æmilius ad Acontium & Pannonium:

Postera Gorlicium lux nos traducet ad urbem,
Legibus insignem judicioqve locum.
Non alibi cives tam stricto jure tenentur,
Non alibi sontes tanta pericla manent.
Sæpe levem tenui meruis qvi crimine pœnam,
Vel cruce vel rigido traditur ense neci.
Tanta viris gravitas, tanta est reverentia juris:
Civibus hic tantum non licet esse malis.

Et Seccernitius Epithalamio, qvod Erasmo Reinholdo Mathematico Vitebergensi scripsit, cum is æstivo semestri Academiæ Rector Martham, Prætoris Pauli Snideri filiam secundam uxorem duceret, A. 1550.

Urbs (inquid) ad Silesios jacet incluta fines
Incola Gorliciam nomine turba vocat.
Semper ubi legum viguit veneranda potestas,
Et rexit mores publica cura bonos.

Extat liber Prosodiacus scriptus per Martinum Heintzchin de Luckow in Schola Gorlicensi sub An. 1463. In eo autor, qui fuit Ludimoderator scholæ, pro exemplo metri heroici proposuit exemplum commendationem urbis Gorlicensis. Carmen adscribo ut videatur, quæ tum fuerint Studia scholarum. Lex autem syllabarum passim neglecta est.

Ducite Pierides, propellite carbasa vento,
Ne pelagi tumidos formidet scindere cimba
Fluctus; siste pedem, da carmina dulcia nostræ
Juventutis, paucis adesto Thalia,
Tu lapides nocuos ignotos tollere calles,
Musa doce, sapida Parnassi pocula funde,
Leviter ut currat tyronis cymba per altum,
Ne gurges noceat & portum teneat æquor.
Incipe virtutes, nam qualis gloria morum
In Gorlitz graditur. modulabere diva Camœna
Candor adest rerum, refulgent templa Deorum,
Optima cuncta placent, meruerunt laudis honorem
Ædes conspicuæ, pallatia grandia florent,
Angulus & qvisquam thalami sub imagine gaudet
Prudentum speculo maturos carpere fructus,
Assolet ingenio pollens & corde Senatus
Tullius alter ibi dicendi ac copia plenus
Persvadens populis & ænigmata jure resolvens
Indubitanter, adest rigidi censura Catonis,
Qvem sedulo puduit lascivum cernere vultum,
Persius ecce datur castigans crimina, Lacon
Æquanimis meritis respondens, morbida plectens
Angelicos vultus divino munere cultos
Cernens admiror, langvet rationis acumen,
Persvadet, stupet homines has esse puellas,
Visere nec sat erit, nec amoris sumere nostra
Lumina clara premunt & amantum pectora lædunt.
Bracchia luxuriant gemmis, & in ordine comta
Cæsaries volitat, gena candet nescia mendæ,
Et tremulis lingvis perdulces capto susurros.
Hic Tyberi reperis, Alcmenam qværere mavis,
Seu Helenam dubitans jam longe vincitur Iô.
Phillis amat juvenes, hic casta Lucretia regnat.
Si foret altitonans non falleret auro.
Dum Cererem gustas, non curas gaudia Bacchi,
Inexhausta Ceres geminas exurgere mensa
Lucernas agitat, sæpius & lumine clauso
Se celebrare facit deridens verbula flentum,
Passim mella fluunt, pomorum copia, molles
Castaneæ nuces, ferarum usus abundans,
Hic jugiter Philomela canit, citharisçat alauda,
Nec unquam miseros eventus bubo prophetat.
Hic focus & tæda pingves, hic plurimus ignis
Temetum bibitur, nec Cantharus usque moratur,
Qvid numerare juvat pisces & singula, Victum
Qvæ variare solent. Nam si fas dicere, dicam.
Est ibi quod cogitas & mens humana quod optat,

Hoc semper pleno minstrat copia cornu.
Jam calamum sisto, nam si perstringere tentem
Cuncta jucunda simul virtutum genera, vere
Ante diem clauso componet vesper Olympo
Svaderent & cadentia sidera somnum.
Vive, vale Gorlitz, urbs regia, gloria regni,
Et valeant qvondam qui condidere priores.
Hunc titulum ne sume vanum, te carmina nostra
Festivare volunt, tua culmina dii bene vertant.

Ἔξαρμα Urbis Gorlicensis.

Longitudo Gorlicii est partium 32. scrupulorum 30. Latitudo partium 51. quibus in calculo qvadrantem. i.e. 15. scrup. addit Mathematicus noster Bartbol. Scultetus. Et hanc urbem dodecatemorio Cancri subjicit Cardanus Schœneri observationes & annotata secutus.

De Nisso præterfluente.

Nissi caput est in montanis Bohemicis penes Profevitium pagum, supra Crazium sesqvi milliaribus germanicis Dn. Georgii Mela oppidum, unde Zittaviam, Hirschfeldum & Ostritium praetervectus, Vicigoqve auctus Gorlitium, Roteuburgum, Pribuscum, Muscovium & Forstum, ubi in tres finditur alveos, alluit, ac tandem qvinque infra Gobbinum miliaris qvadrantibus ad Sidloviam Bomersdorfiorum pagum in Oderam exoneratur. Alius ab hoc est Nissus, qvi Nissa Episcopali urbi nomen fecit. Tametsi hoc confundit Pirckheymerus, cum Neussa, ut ille appellat, amnem Odera suscipi annotat, duplici nimirum in errore versans. Nam ne Silesiacus qvidem ille Nissa intrat Vratislaviam, qvod præter Oderam & Olam, qva Alliam vocant Æmilius & Antonius Carchesius, fluvium nullum, qvod ego qvidem sciam, habet.

De præfectis f. Nomarchis Lusatiæ.
Von den Landt-Vögten.

Residentia præfectorum Lusatiæ superioris olim in urbe Gorlicensi, fuit aula templo Petrino opposita, qva adhuc Præfecti nomen retinet Vogts-Hoff. *Postea Budissinam fuit translata præfectura. Residentia præfectorum Lusatiæ inferioris est arx Lubinensis. Nunc recito utriusque Lusatiæ præfectos, non qvotqvot præfuerunt ordine omnes, sed qvot ex Historiis & annalibus haberi possunt, sæpe interrupta successionis serie.*

Præfecti Lusatiæ Superioris.

Antiquissima mentio Gorlicensis & Budissinensis præfectorum est apud Olomucensem in historia Uladislai II. Regis Boh. circa tempora Conradi III. Imp. sed nomen nullum ponitur.

Ulmannus ex Moneta, Ullmann aus der Müntze. *Præses & administrator Budissinensis & Gorlicensis terrarum tempore Caroli IV. circa annum 1368.*

Henricus Pflugius a Rottenstein Budissinensis & Gorl. advocatus Wenceslao regnante circa An. 1405.

Heinricus Rosenbergius Hexapoli Præfectus, qvi obiit An. 1458.

Benedictus Colobratius Hexapoli Præfectus tempore Georgicouis.

Joannes de Vuartenberg. Præfectus Hexap. mortuus An. 1464. sepultus Budissina in Franciscano.

Friedricus I. Lignicensis Lusatiæ superioris præfectus circa Annum. 1471.

Stephanus Zabolensis, Cepusii Comes, Pater Johannis Veidani Hungari, præfectus Hexapoli fuit. An. 1476.

Johannes Episcopus Varadiensis (Wardein) *circa An. 1481.*

Georgius a Stein *(de lapide) in præfectura utrique Marchionatui circa An. 1486.*

Sigismundus I. Casimiri Regis Polonici filius, qvi Uladislao fratre in Silesia & Lusatia utrisque locum tenens generalis & præfectus constitutus est An. 1504.

Post

Post hujus discessum e Lusatia receptus est in præsidem in his terris Sigism. Vartenburgicus Dominus in Tetschen.

Albertus Sternbergius successit Vartenburgio usque ad An. 1517.

Der edle, wohlgebohrne Herr, Herr Albrecht von Sternberg, Herr auf Grinneberg, des Pilsner Kreyses und zu Lahau Hauptmann, des Marggraffthums Ober Lausitz Land Voigt.

Guilielmus Eilenbergius in Rhonau electus An. 1517. præfuit triennio.

Carolus Munsterbergensium & Oelsnensium princeps designatus An. 1519.

Sedislaus Berco Dominus de Duba, Leipa & Reichenstado præficitur. An 1526.

Der edle und wohlgebohrne Herr Zdislaw Herr Birck von der Lawe, auf Leippe und Reichstadt, des Königreichs Böhmen Oberster Land-Hoffmeister und Land-Voigt in Ober Laußnitz.

Christophorus Burggravius Donensis ad Königsbrugum successit Sedislao ⊖ Budissina in templo morte repentina.

Joachimus Stico Comes Passaviensis Dominus Weissenkirchi in Rabenstein & Schlaccenwerdo mortuus An. 1572.

Johannes Steinitz, qvi in hoc anno 1587. praest.

Herr Hans Dietrich von Tzscherotin der ältere auf Hermannsdorff und Tzernikowitz, Röm. Käyserl. Maj. Rath von dem 7. Jul. 1594. biß auf den 1. Jan. 1595.

Herr Abraham von Dohna.

Taube.

Curt Reinicke von Callenberg, Freyherr auf Muscow. rc. rc.

Præfecti Lusatiæ inferioris.

Tempore istorum præfectorum in Lusatia superiore, qui inferiorem administrarint nondum liqvet mihi. Hoc constat, Præfectum etiam fuisse Lusatiæ inferiori Melchiorem Lœbium, qvi juvenis Turcam vasto corpore & gigantea statura perferocem, provocantem ad duellum, qvicunque in Christianorum acie esset fortissimus, singulari certamine victum confecerat. Tempus præfecturæ certum ignoratur. Tandem prope Cotbusium ab hominum qvorundam facinorosorum colluvie circumventus, & cum a Comitibus desertus dedere se nollet, venabulo trucidatus est. Qva cæde facta latrones compositis mox ad Calovianos ejus nomine literis, iisque annulo, qvem cæso detraxerant, obsignatis, complices suos in carcerem ibi compactos liberarunt.

Sigismundus Polonus.

Heinricus Burggravius Misnensis, Comes Hartensteinius & Dominus Plavensis.

Georgius Schellenbergius Costi & Carnovii sive Jegersdorfii Dominus Consiliarius regius.

Heinricus Tuncelius, Dominus de Berniztko Baro Bohemus præfectus Lusatiæ inferiori a Vladislao Rege An. 1509.

Albertus Slico, Comes Passaviensis Dominus Weissenkirchi Cubili arcis Cadanæ præfectus a Ferdinando An. 1540.

Bohuslaus Felix, Dominus Lobcoviceus & Hassensteinius &c. in Litzca &c. ejus Capitaneus Jacob a Saltza.

Jaroslaus a Kolowrath in Petersburg Baro, qvi hoc anno 1583. praest.

De insignibus Vrbis Gorlicensis.

Circa annum 1298. qvo Magister Civium fuit Albertus dictus, usa est civitas Gorlicensis sigillo solam Aquilam præ se ferente cum inscriptione circa oram sigilli hujusmodi: SIGILLUM + CIVITATIS + GORLIZ + *Ostenditur illud in curia impressum in Ceram luteam & appensum literis latinis in membrana scriptis de negotio cujusdam Henrici de Villa.*

Reperiuntur postea aliæ literæ germanico idiomate An. 1429. scriptæ, qvibus appensum est Sigillum habens in clypeo depictam Leonis imaginem cum inscriptione priori SIGILLUM ✠ CIVITATIS ✠ GORLIZ ✠



Sigillum hoc depictum ex literis Germanico idiomate conscriptis An. 1386. Tempore Johannis Ducis Gorlicensis: Cos. Nytsche uff der Ecke, *& Rever. Viri Joh. de Lutitz Pastoris.*

Anno postea 1433. Sigismundus Imp. Gorlicenses novis donavit insignibus, Aqvila nimirum & Leone, qvorum illa, ala sinistra, hic pede dextro sustinent diadema Imperatorium. Historiam de iis reperies inferius sub anno 1433. Hoc Sigillo Senatus Gorlicensis hodie adhuc in literis semper utitur.



Denique An. 1536. hoc infra depicto insigni hanc Remp. decoravit Carolus V. De eo Epigramma Vincentii reperies inferius sub An. 1433.



Gor-

Gorlitium instauratum.

1131. Origo Urbis.

ANno 1131. Sobeslaus in Lusatiam superiorem secedens, Gorlitium, ut plerique alii volunt, condidit, ut nos, instauravit, in ruinis vetustissimæ s. villæ s. munitionis Drenoviæ. Ita loquitur liber antiquus: Nach Christi Gebort M. Johr, unde C. Johr, unde indem XXXI. Johre, do hot man angehoben Gorlitz zu bauen, dos hot geheissen zu dem ersten Drebena, dornoch Horlitz, unde dornoch Gorlitz. *Curæus* etiam in calce Historiæ de Boleslao III. Crivo usto seu distorto, bellatore felici, qui hac ætate in Polonia rerum potitus est, sub eodem hoc anno scribit, Sobeslaum, qui Lusatiæ magnam partem occupaverat instaurasse & munivisse celebrem urbem Gorlitium, quæ prius sæpe fuerat vastata, sed & ante hæc tempora mentio fit Gorlitii. Bis quidem in Paralipomenis Cosmæ. Primum sub A. 1126. his verbis: Eodem tempore quasdam munitiones Bohemi reædificarunt, quæ Slavice Primda, Izcorelik, Tachow appellantur. Et iterum: A. 1131. Dux Zobeslaus ad radicem cujusdam villæ nomine Tachow in finibus Mesco castrum ædificavit, quod ex nomine adjacentis villæ appellavit. Aliud quoque ædificavit in partibus Milecsko juxta flumen Nissa, appellavitque Yzhorelik, quod antea Drenovv vocabatur. Etsi autem fieri potest, ut quisquis fuit supplementi collector, ex duobus diversis Chronicis hæc excerpserit, in quorum altero pro A. MCXXXI. librarii vitio s. errore MCXXVI. scriptum fuerit, ut sint duæ annotationes unius & ejusdem historiæ, præsertim cum Tachoviæ etiam utrobiq; fiat mentio: tamen ut maxime id concedamus ex prima illa annotatione evincitur, tunc non primum conditum, sed reædificatum esse Gorlitium. Sicut & Olomucensis diserte inquit, Gorlicium igne exustum instaurasse Sobeslaum. Quod si numerus annorum Christi non est corruptus collatis inter se & consideratis diligenter his duobus locis reperiemus, ubi nunc est Gorlitium ad Nissum, olim munitionem fuisse Drebnoviam. Eam destructam quacunque ex causa vel occasione (nam id non traditur) reædificatam a Bohemis A. C. 1126. appellatamque jam tum fuisse Slavice h. e. Bohemice (nam & in Cosmæ Historia Bohemiæ sæpe nomine generis dicunt Slavi) tzeorelik. Sexennio post h. e. A. 1131. exustis forte, ut vult Olomucensis, recentibus his ædificiis Sobeslaum tandem castrum ibi excitasse, in quo prius nomen Yzorelick hæserit. Atque hic annus tanquam conditi primum Gorlitii auspex, constanter cum in inscriptione quadam, quæ in choro Monasterii Gorlicensis extat, tum in annalibus urbis passim legitur, estque is sextus Imperii Lotharii. Inscriptio sic habet: A. Domini 1131. Civitas regia Gorlitz construitur. Annales sic fere: A. 1131. primo cœptum est Gorlicium mœnibus, turribus, fossis &c. muniri auxilio Sobeslai Ducis. Primum ejus nomen Tschorlitz fuit. Ante urbem conditam pagus eo in loco erat Drebenaw dictus ad Nissum situs cum tribus cauponis. Hactenus annales. Drebenaviæ nomen a Slavica voce Drebo, qua lignum appellatur, factum apparet, sicut & Drebcoviæ oppidi. Drenavv vero Schnitzeplan solus Cnemiander Budissinensium secutus annales, conditi Gorlitii annum ponit 1136. initio Zorzelitz dictum.

A. Domini 1234. conventus Gorlicensis fuit fundatus per Marchionem Brandenburgensem & Lusatiensem ante oppidum, & nobiles 1234. Fundatio dicti Wirsynge dederunt fratribus allodium Cœnobii suum pro area. Ita habet inscriptio Chori in Gorlicensis. cœnobio. Cnemiander non uni Marchioni sed Marchionibus adscribit. Et certe fundatio ejus incidit in tempora Johannis I. Elect. Brandenburgensis & Ottonis Pii fratrum.

A. C. 1245. 12. Cal. Septembr. consecrata est Ecclesia fratrum minorum in Gorlitz per Do- 1245. minum Conradum (hujus nominis primum) Consecratio Episcopum Misnensem in honorem Mariæ templi Gorsemper Virginis (Cnemiander S. Mariam ma- lic. Mariani. jorem Romanam nominat) & S. Francisci, qui reverendus Pater præfatus anniversarium dedicationis Ecclesiæ ejusdem Dominica proxima post festum Assumtionis Mariæ singulis annis venerari instituit. Hæc eadem inscriptio habet. Fuit autem hic conventus primus inter undecim loca fratrum, quæ vocant Octavæ custodiæ pertinentis ad Provinciam Saxoniæ videlicet custodiæ Aurei montis h. e. Goldbergæ, ut ibidem alia inscriptio testatur.

Hoc anno Otto Marchio Brandenburgensis 1264. Nosucomio ad Sp. Sanctum contulit proprieta- Nosocomitis titulo perpetuo possidendos octo mansos ad um ad Spir. urbem sitos, quos Conradus filios Domini per- S. donatur. egrini ab ipso principe in fendo tenuit: hæc enim sunt verba diplomatis; in quibus nihil mutare volui: ut barbaries illius seculi agnoscatur. Quid autem sint mansi? explicent nobis Grammatici. Datæ sunt literæ Gorlicii in vigilia Palmarum notario Johanne N. Observandum est, quam sit vetus fundatio hujus Hospitalis, cum ejus tam antiqua fiat mentio. Observandum quoque omnia tunc diplomata aliaque instrumenta latina lingva fuisse conscripta.

Refert Cnemiander Hermannum Marchi- 1306. onem Brandeoburgensem Electorem A. 1306. Gorlicium Lusatiam superiorem tenuisse & Gorlicensibus impetrat liberum salis venalis forum dedisse, ac confir- berum salis masse A. 1347. Imperator Carolus jus venden- forum. di salis confirmavit, ita ut sit perpetuum.

A. 1316. tanta frumenti fuit penuria, ut Gor- 1316. licii homines tenuiores ex mespilis, nec non Annonæ cacorticibus, sive (quod vero proplus est) ἐκ τῶν ritas. ἀκρίδων tiliarum, panes pinserent. Veniit autem modius Olyræ sive rogæ XXX. grossis

Bo-

Bohemicis, quod pretium tunc apparet fuisse ingens. Chronicon ducum Silesiæ refert, cœpisse famem An. 1315. durasseque in Polonia & Silesia in tertium annum, adeo, ut parentes a propriis filiis, reliqui a cadaveribus & immundis cibis non abstinerent. Eundem annum Dietricus Engelhusius notavit extrema dictione hujus versus:

Ut lateat nullum tempus famis, ecce CVCVLLVM!

Inscriptio Monasterii Budissinensis sic habet: *A. Domini M. CCC. XVI. incepit tempus magnæ caristiæ per mundum.* Famem, ut fit, pestilitas consecuta est magna per totum orbem terrarum, quæ in hac vicinia multos pagos colonis vacuos reddidit. Præcessit eodem Anno Nissi inundatio, quæ Gorlicii S. Spiritus nosocomium perrupit, pontem urbis & multos alios convulsos abripuit, moletrinis omnibus & ædificiis flumini propinquis multum nocuit, in platéam usque Nissensem pertigit. Luporum etiam velut in rabiem actorum insolens ululatus exauditus est.

Inundatio Nissi.

1322. Gorlicium fuit sub Henrico Duce Silesiæ Domino de Fürstenberg & in Jauer, ut apparet ex literis in curia: ex quibus & hoc discitur, dignitatem Judicis fuisse hereditariam.

1327. Martinus de Radeberg Magister Civium.

1329. & 1331. Gorlicium ad Bohemos transit.

Johannis Lucemburgii tempestate, cum reliqua Lusatia superiore Gorlicium etiam regno Bohemiæ, non quidem, ut videntur velle annales, primo subjectum est, cum a Bohemis exordia sumserit sua, sed redditum quodammodo & restitutum, nimirum An. 1329. quo cives in verba Johannis jurarunt. Addunt annales ad ducem Saxoniæ eam urbem antea respexisse quadam obligatione exustamque penitus tertio post videlicet A. 1331. qui fuit ab instauratione illius per Sobeslaum post primum incendium facta ducentesimus præcise, secunda feria Rogationum, hoc est 6. Maj. *Ubi notetur ducentorum annorum periodum bis huic urbi fuisse fatalem.* Nam & ab hoc secundo incendio usque ad tertium, quo patrum memoria plus medietate urbis conflagravit. 11. Jun. A. 1525. totidem pene anni sunt elapsi, nimirum 194. Suntque ea de re veteres Versiculi:

Anno milleno tercenteno viceno novo
Quondam Saxonica Gorlitz est facta Bohema,
Perque duos annos ridens in pace quievit;
Sed terno combusta gemens incendia flevit.

Post mortem Woldemari I. March. Brandenb. Lusatia adeoque simul Gorlicium ad Johannem Regem Boh. transit.

Hæc quomodo acciderint ex Olomucense & aliunde paulo altius repetemus. Cum Henricus VII. Imp. veneno extinctus esset, Henricus Virnburgius Coloniensium antistes, Rudolphus Palatinus & Rudolphus Saxo Electores Friedericum Austriacum cogn. Pulchrum Rudolphi Habsburgii ex filio Alberto I. Cæsarc nepotem: Moguntinus vero Petrus & Trevirensis Balduinus frater Henricus Imp. ejusdemque filius Joannes Bohemiæ Rex, una cum Woldemaro Brandeburgensi Marchione Ludovicum IV. Bavariæ principem Cæsarem dixerunt An. 1314. Inde complura ac varia eaque cruenta inter duos Cæsares prælia consecuta sunt. Ludovicus magnam futuræ victoriæ spem in Johanne reponebat, si eum in commilitium pertraxisset. Qua de re cogitanti tempestive se offert mors Woldemari Brandenburgii, qui sine liberis decesserat, vacuamque per hæc Cæsari successionem bonorum reliquerat. Horum bonam partem Ludovicus se attributurum Joanni promittit, si opera ejus adjutus Cæsaream retineret dignitatem. Joannes ad belligerandum promtus conditionem accipit & magnam operam in eo bello navat. Sed Ludovicus promissi immemor Budissinam duntaxat, quam Marchio dudum oppignoratam tenebat, sine pretio ei restituit. Cæterum totam Brandeburgensem ditionem transtulit ad filium suum Ludovicum. Rex vero sola Budissina non contentus Gorlicium præterea & alia oppida in Lusatia superiore nuper a regno abalienata suo milite recuperavit. Diris deinde per Johannem XXII. Pontificem devoto Bavaro, accersitus a Brixianis in Italiam Johannes cum Guelphorum factionem Pontificio nomini addictam defenderet contra Gibellinos, qui Cæsaris partes tuebantur; adeo offendit Ludovicum, ut is non quieverit prius, quam inimicos illi compararet Principes regno Bohemiæ vicinos, Friedricum Misnensem cognomento Gravem, Admorsi Filium & Otthonem Austriacum. Otto de Carinthia filio Regis Johannis Henrico litem movit contendens, non potuisse Henricum Ducem illum sine assensu Cæsaris in generum per sponsalia transferre. Friedrico Rex Juditham filiam nondum nubilem desponderat, & ut more Misnico educaretur, Dresdam miserat. Hanc is patri in Bohemiam remisit, in locum ejus filia Ludovici Cæsaris Machthilde ducta uxore. Quæ ubi Regi in Italiam sunt nunciata, tradito filio Carolo exercitu ipse in Bohemiam reversus, quantum potest militum adversus Fridricum Misnensem causa ulciscendæ ignominiæ cogit. *Gorlicio tum potiebatur Friedricus, incertum quo Titulo. Huic igitur improvisus adest Johannes*, primoque adventu oppidum capit, non ausa multitudine incondita & inermi diu oppugnare. Capit mox & arcem firmiter munitam, corrupto ejus Præfecto. Denique uno tumultuario prælio cum Fridrico feliciter facto quicquid per oppignorationem alienatum a Lusatia superiore fuit, id totum recuperavit. Sic fere Olomucensis. In cujus verbis illud quoque notetur, Budissinam aliaque Lusatiæ oppida & in his haud dubie Gorlicium quoque ὑποθήκης nomine Marchiones Brandenburgenses tenuisse. Unde intelligi potest, quod in Epitome annalium Sittaviensium annotatum est, Budissinam, Gorlicium & Camitium oppida de Marchione per Johannem esse liberata. Cæterum Arx Gorlicensis hodie

Gorlicium Fridrico Gravi Misnens. subest.

Arx Gorlicensis capitur a Johanne.

Arx Gorlicensis ubi olim fuerit.

hodie nulla extat. Tenet autem fama a porta Mariana ad βασανιστήριον (Marter-Hauß) usque ad speculatoris domicilium porrectum fuisse (biß zur Henckerey oder Büttelen.)

1332. *Petrus de Moneta Magister Civium.*

1334. An. 1334. die Hippolyti, quæ est Augusti 13. conjurati plures septuaginta ad urbem Gorlicensem hostiliter adequitarunt (berennet al: belägert.) Quare magnus omni populo injectus est metus & mœror, adeo ut vulgo voto fierent die Veneris præter panem & aquam nihil degustandi, si eo periculo urbs liberaretur. Emissi itaque pro defensione patriæ cives tantum 24. hostes ad Radissavium in medio duorum montium, ubi castra metati fuerant, fortiter aggrediuntur & fundunt, captivosque vivos juxta ac mortuos in urbem reducunt, & postridie ad summ quemque, quod commeruerat supplicium rapiunt, Deo & S. Hippolyto, ut tum erat religio, gratias pro victoria agentes. Porro, quinam hi fuerint hostes, ignoratum fuit hactenus. Ego Eluvicem & socios fuisse conjicio.

Gorlicium à conjuratis invaditur, sed mox liberatur.

Johannes Eluvil.

Johannis Regis tempore Gorlicensis Resp. privilegiis suis freta concessam sibi jurisdictionem superiorem acriter defendit. Cum autem aliquando Janus Eluvil scabinos suos Gerlachshemi, ubi tunc residebat, sauciatum quendam inspicere jussisset, & postea ex vulnere mortuum sepeliri curasset, in præjudicium libertatum reip. misit Senatus, ad pagum illum, qui pignus caperent (Pfandpnehmen.) Quod cum uxor Jani permittere nollet, casu factum est, ut ab apparitore quodam urbano humi proturbaretur. Ob hanc causam Janus bellum civitati Gorlicensi indicit atrox, adeo ut ad arcendos impetus ejus subitos & improvisos primæ (alii eusersten) circa urbem fossæ ducerentur. Hic equum habebat, qui exeuntibus urbe Gorlicensium equitibus ad comprehendendum ipsum, ungulis solum scalpebat, idque eo crebrius & vehementius, quo propius illi accessissent. Spiritum enim malignum adjurationibus magicis ei immiserat scriba quidam Jani. Hoc equo in urbem aliquando invectus, emto pari calceorum, Janum Eluvilum adfuisse, exclamavit, & admisso rursum equo evasit. Tandem cum civitate in gratiam rediit Janus, ac fidem dedit, in posterum se contra privilegia illius nihil attentaturum. Nec multo post apud Crosnam in campo a milite quodam confossus, consvetam navatæ Diabolo operæ mercedem tulit. Hanc historiam de patre suo auditam Casparus Nostitius Capitaneus Gorlicensis A. 1474. qui fuit a diffidatione Jani circiter sesquicentesimus Magistro Johanni Frauenbergero Reip. tum Notario & mox Consuli narravit.

1340. Fulmine tangitur ædes Petrina & opus Organicum conflagrat, unde versus:

Anno millena tercenteno quadrageno
Juppiter iratus tonuit sonuitque beatus,
Horrisonum ruit illud opus, quod & impetum egit,
Qui plumbum, lignum, folles in frusta redegit.
Sed civitas facti imprimque honeste refecit
Dominus, ac per unum laudans unumque trinum.

Ulmannus de Moneta magister Civium. 1352.

Incorporatio Caroli IV. Romanorum Imperatoris facta super ducatus Poloniæ & Marchia Budissinensi & Gorlicensi, quod perpetuo sint regno Bohemiæ indivisibiliter conjuncti. Datæ sunt illæ literæ Pragæ A. salutis 1355. Indictione octava 7. Id. Octobr. 1355.

Gorlicensis & Budissinensis Marchia incorporata regno Bohemiæ.

Arces prædatoriæ incenduntur.

Eodem anno cum Budissinam venisset Carolus, Budissinensium, Gorlicensium, Sittaviensium & finitimarum urbium copiæ non contemnendæ jussu Cæsaris ignem injecerunt arcibus omnibus in Budissinensi & Gorlicensi territoriis, quotquot vel latrociniis erant infames, vel latrones & id genus homines maleficos receptarunt.

1368.

Bulco Dux Svidnicensis damno Gorlicensium ædificat arcem & vicum Neuhoff.

Bulco III & ultimus Furstenbergensis nec non Suidnicensium & Javoriensium Princeps, quem Marchionis Lusatiæ titulo gavisum superius diximus, ad quartum a Gorliciu lapidem prope Zirnam pagum in saltu condiderat Neuhofum arcem & vicum: qua curru glasto, sale aliisque omnsli mercibus magnu Gorlicensium detrimento ducebantur. Quod etsi ægre hi ferebant & prohibere cupiebant, vivo tamen Bulcone, qui in summa apud Carolum Imp. gratia se posuisset, nihil quicquam attentare ausi sunt. Tandem eo hoc anno 1368. sub exitum mensis Februarii mortuo, nostrates in quatuor aut eo pluribus dietis seu conventibus Lobaviæ celebratis quinque socias & fœderatas civitates Budissinam, Sittaviam, Lobaviam, Laubam & Camitium ad delendum oppidum prædictum, utpote prædonum receptu infame, auxilia postularunt: quæ ab illis tamen constanter sunt negata, qui dicerent, non licere sibi injussu Imperatoris quicquam tale moliri in illud, quod morte Agnetis viduæ cum reliqua ditione ad imperatorem devolvendum sciret. Cum itaque hac via parum successisset negotium, alia aggrediendum rati post sesqui mensem, cum jam in oblivionem venisse rem existimarent; Notarium Reip. ad Sittavienses misere, qui nunciant: exploratum habere Gorlicenses in oppido quodam prædones communes utriusque civitatis hostes foveri. Ad eos itaque comprehendendos auxilium petere, neque id sane magnum, quod ipsi satis virium habere videantur. Addebat legatus locum tuto se indicare non posse, cujus apud suos paucissimi senatorii ordinis viri conscii sint. Celato enim opus esse vel maxime, ne præmonitis maleficis & de fuga sibi prospicientibus, in irritum recidat omnis hic conatus. Quo facilius etiam, quod volebat, ipsis persvaderet, affirmat (quanquam falso) Budissinenses quoque cum Camitlanis & Lobaviensibus a se jam ante exorato cum auxiliis promissis Gorlicii præ-

Gorlicenses collide urbium sociarum auxilium petunt.

sto futuros. Adsint igitur ipsi qvoqve, verum post crepusculum vespertinum, ubi jam tenebræ certum sustulisset de rebus judicium, qvanto maximo possint silentio, ut hostes adventus eorum fallat. Nec esse qvod aliqvid sibi inde ad Imp. aut qvenqvam alium periculi creatum iri vereantur: Gorlicenses enim factum præstituros. Fidem autem faciebat sermoni ejus præsens temporum illorum status. Per absentiam enim Imperatoris Romam profecti, Urbes Lusatiæ a prædonibus miserabiliter incendiis & populationibus affligebantur. Impetratis itaqve Sittaviensium auxiliis, tunc demum Lobaviam & Budissinam profectus, ibi qvoqve senatum eodem modo in sententiam suam adducit. Cum ergo omnium fœderatarum urbium auxilia tempore condicto Gorlicii convenissent, in qvibus Sittavienses octo eqvites hastatos adduxerant, qvibus præerant senatores duo: nostri ignaros consilii sui & in prædones se exire ratos, nocte intempesta in saltum educunt ad Neuhofum vicumque & castrum vi adorti captum incendunt & evertunt cum duabus ferri conflandi officinis. Paulo post legatis earundem civitatum Sagano, ubi cum Principe ejus urbis conventum egerant, redeuntibus, cum jam in saltum perventum esset, Gorlicenses clam reliqvis retrocedentes, comprehensos in via Neuhofense aurigas, Agnetis viduæ subditos spoliant, manus eorum arcte adeo a tergo constringunt, ut sanguis plerisque rupta cute per digitorum ungves proflueret, denique funibus colligatos, cum plaustris eqvisque Gorlicium pertrahunt. Qvovis enim modo, ne iter illac haberent aurigæ, impedire annitebantur. Acciderunt hæc circiter festum Michaelis. De tanta Hexapolitanorum vi & injuria Agnes conqverebatur Johanni de Gensensteinia familia secundo Pragensium Antistiti, sedis Apostolicæ Legato & Cardinali, antea Olomucensium, post Misnensium & Præsuli, cui Carolus abiturus vicem in his regionibus suam commiserat. Citati itaqve illi ad causam dicendam, dum Pragam simul proficiscuntur; Gorlicenses ex itinere per homines fidos secreto negotium dant suis, ut interim egressi in saltum, fundamenta castri (den Stein-Stock) diruant, qvod hi qvidem graviter sunt executi, Antistes irarum plenus de vi Agneti illata cum illis graviter expostulat. Commemorat, se accepisse ab Imperatore è Longobardia literas, qvibus mandarit, ad reditum usque suum oppidulum istud castrumque relinqvi intactum, nec de via aurigarum qvicqvam interea loci innovari. De hac Imperatoris voluntate illico a se certiores factos Gorlicenses. Neque ignorasse ipsos, post Agnetis obitum Imperatorem id qvoqve oppidulum cum reliqva ejus hereditate initurum. Tum autem invidere Imperatori successionem in terras illas Casimirum Poloniæ & Ludovicum Hungariæ Reges. Qvare se qvidem omnibus in rebus sollicite studuisse gratiam mulieris & benevolentiam Imperatori conservare sartam tectam. Qvod si nunc illa, inqvit, meo jussu hoc vos ausos suspicata alienato ab imperatore animo ad regum illorum fidem confugerit, vestra scilicet culpa de ditione ista in dubium venerit Imperator. Notarius Gorlicensis de scripto respondit, ita ut jure vicum a suis destructum assereret ob prædones & incendiarios, qvi plurimum ipsis incommodassent, ibi receptatos. Antistes vero id factum pernegare & mendacii arguere hominem. Reliqvarum Civitatum legati ignorantia Interdicti Imperatoris de non violando Neuhofo tueri sese conabantur, culpam omnem in Gorlicenses transferentes, à qvibus literas Antistitis essent celati. Nominantur autem qvatuor senatores Hemmelus, Hertelius, Hermannus Volfelius, Petrus Pesoldus & Johannes Gobin. Hi cum Notario Gorlicensium & reliqvarum civitatum Syndicis ad unum omnes nominatie coacti sunt, fidemque judici obstringere suam sistendi sese captivos in curia senatoria veteris urbis Pragensis. Ubi a die Postridiano natalitiorum Christi ultra Calendas Januarias inseqventis a. 1369. peculiari in hybernio detenti sunt, ita tamen, ut & Missa eis celebraretur qvotidie & in curia quoquo versus ambulare liceret. Post longam disceptationem jussit eos Antistes, ante omnia viduæ Bulconis satisfacerent. atque ita demum se sisterent intra 21. Januarii diem D. Agneti sacram. Profecti igitur Suidnicium sex civitatum legati ita cum Ducissa transegere, ut promitterent liberum per ipsos fore inposterum cuivis qva vellet via currus qvibuscunqve onustos rebus agere. Qvod si forte injungatur sibi olim ab Imp. ut viam Neuhofensem aut aliam qvamvis, qva in Agnetis ditionem itur, inhibeant, id se ipsis denunciaturos mense integro ante, qvam qvæqve moliantur, super ea re A. 1369. in octava Epiphaniorum præsentibus Johanne Logo apud Javorienses Curiæ Judice, Nicolao Bolstio Curiæ Magistro & Nicolao Schönkircho, qvi toti negotio interfuerant & præfuerant, literæ confectæ Suidnicii & totius Hexapoleos sigillis munitæ, qvarum in annalibus nostris extat exempl. ex manuscrip. acceptis. Agnes legatos dimisit, adjuncto Curiæ suæ magistro, qui commendaret eos Antistiti, ad qvem & ipsa scripsit, petens, ut clementer ignosceret iis, utpote bona cum gratia sibi reconciliatis. Rebus ad hunc modum compositis Pragam reversi die dicto ab Antistite qvoqve mille sexcentis grossorum Pragensium sexagenis se redemerant. Et tum demum Budissini, Sittavienses, Lobavienses & Camitiani mulctam suam numeraturi exposuerunt Antistiti insignem astum, qvo ignari rerum omnium a Gorlicensibus in societatem essent pertracti.

Gorlicenses arcem hanc evertunt.

Accusantur ob hoc factum.

Pragæ captivi detinentur.

Lis componitur.

Die 29. Julii ☿ post Jacobi via regia collocata fuit Gorlicium ex concessione Caroli IV. 1369.

Via regia Gorlicium qvi translata.

qvi tum temporis Rex erat Bohemiæ. Aurigæ prius viam habebant Hirsbergæ, Fridlandum versus, inde Sittaviam & Budisfinam: atque ita Gorlicium nemo veniebat: ut hodie præteriri solet Löbavium & Sittavia. Alii referunt ad An. 1378. vid. inf.

1370. Johannes Dux Gorlicens. nascitur. Flagitiosus homo.

Natus Caroli F. Johannes Lusatiæ & Gorlicii Dux. Narrat M. Frauenbergius hunc Johannem (ut ipsius verbis utar) moribus pravum & impotentis libidinis hominem, captas Virgines & matronas electas stuprasse. Ob qvæ flagitia a Gorlicensibus repudiatus, cum urbe excederet, posteriora denudaverit. Gorlicenses vero patenti Cæsaris privilegio ab ejus inobedientiæ & perfidiæ crimine absolutos. Urbe exclusus in vicino pago Eberhardsbacho aliquandiu se fertur tenuisse in domo venatoria, qvam ibi habebat. Et ostenduntur adhuc fossæ circa ædes nobilium, qvibus se munierit: In originibus familiæ Salciæ Gorlicii & Budisfinæ ducem eum appellari reperio.

Ejus monumentum Pragense.

Extat Pragæ monumentum Alabastro incisum extra ædem Cathedralem arcis meridiem versus, cujus inscriptio inter alia hujus etiam principis mentionem facit. Eam particulam adscribo: *A. D. 1392. in festo Pentecostes hora vesperarum positus est lapis fundamenti S. Pragensis Ecclesiæ per Sereniss. Principes Dn. Dn. Wenceslaum I. Rom. Reg. & Bohemiæ regem & Dn. Johannem Gorlicensem Ducem Marchionem Brandeburgensem, natos Sereniss. Principis Dn. Caroli Imp. Romani, benefactoris præcipui Ecclesiæ Pragensis.*

1378. Privilegium viæ regiæ Gorlicensibus confirmatur.

An. 1378 Controversiam inter Gorlicenses & Sittavienses de via per Friedlandum, Seidenbergum & Schoenbergum (hæc enim oppida transibant mercatores & aurigæ, qui Sittavia in Poloniam proficiscebantur) decidit Pragæ Carolus, & Gorlicensibus viam regiam, cujus jus a patre suo Johanne acceperant, iterum confirmavit diplomate, qvod ascriptum habet diem ☿ festum D. Jacobi proxime seqventem. Ejus argumentum ex annalibus Gorlicensibus petant qvi volent. Antea Hirsbergo Budisfinam profecturi Fridlando & inde Sittavia iter habebant præterito Gorlicio. Nunc relicta Sittavia Gorlicio iter habent aurigæ. Obambulans aliqvando Gorlicii Carolus Imp. in novo foro ante ædem Cœnobii fratrum minorum dextrum latus Wenceslao, lævum Sigismundo filiis claudentibus: *ambo*, inquit, *regnabitis, sed non pari civitatem hanc amore prosequemini.*

Vaticinium de filiis Caroli IV.

Nec falsus præsagio suo est Carolus; Sigismundus enim Imp. Gorlicensem Remp. eximie dilexit, Venceslaus contra odio habuit, post decollatos enim qvatuor illos de artificio lanificum, judicium bannitum in Curia advocati (Vogtes-Hoff) disposuit Wenceslaus, convocata ad id communitate, ut si quis ex ea de senatu qvicqvam conqvereretur, civitatis totius puniendæ caussam haberet & prætextum. Qva de re sub An. 1414 dicemus. Hæc M. Frauenberg: Inter filios hereditatem in hunc modum est partitus Carolus, ut Wenceslao primogenito Bohemiæ regnum, Sigismundo tunc (ut Olmucensis eumque secutus Peucerus volunt) qvinqvenni puero Marchiam Brandeburgensem, Johanni natu minimo Gorlicensem ducatum attribueret, adjunctis aliqvot vicinis oppidis: unde is ab Ænea Silvio & Aventino Lusatiæ, a Tritemio, Orantio, Peucero, Chronico Saxonum & aliis Dux Gorlicii vocatur, qvo posteriore titulo ipse etiam in literis suis usus est, ut postea patebit. Et ad hunc filium suum respexit Carolus in privilegio, qvo Gorlicensibus jus viæ regiæ ab ipso confirmatum modo dicebamus, cum indigationem tam suam ipsius, qvam hæredum suorum Bohemiæ regum ac ducum Gorlicensium (nam hos qvoque diserte nominat) violatoribus interminatum.

Gorlicium evehitur in ducatum.

Notandumque hoc loco, Gorlicium, quod ante Caroli tempora, ut ex incorporatione apparet, Marchiæ titulum habebat, ad peculiaris ducatus ab eo sublatum esse eminentiam, qva etiamnum gaudet. Ac vidi ipse in Cœnobio nostro literas super monasteriis Civitatum Lusatiæ superioris Budisfino nimirum, Gorlicensi, Sittaviensi, Laubano & Lobaviensi, a provincia Saxoniæ, ministriqve hujus obedientia non avellendis, per qvosdam eqvestris ordinis viros, qvorum majores sepulturas in iis suas delegerant A. 1521. ad generale Sodalitium Franciscanorum concilium conscriptas hoc initio: *Nos Christophorus ex Luttiz Ducatus Gorlicensis Capitaneus, Bartholomæus ex Hirsberg in Wartenberg, Wolfgangus ex Nostiz eqves auratus, Caspar ex Rechenberg in Cutschdorff. &c.* sub Marchionatu Lusatiæ superioris eqvestris ordinis Vasalli & deinceps.

Sigillum Johannis.

Sigillum Johannis in cera rubra clypeum habet qvadrifidum ex leone Coronato cum cauda duplici & aqvila unius capitis decussatim sibi oppositis constantem. Titulus in ambitu talis: *Johannes Dei gratia Marchio Brandeburgensis & Dux Gorlicensis*: Et in qvodam diplomate in Archivis Cotbusianis. Wir Johannes von G. G. Marggraff zu Brandenburg und zu Lusitz, und Hertzog zu Görlitz. Habet & Sebastianus Hoffmannus Gorlicensis Ducis Johannis diplomata utrumque Pragæ datum. Alterum A. 1384. ☿ post Judica hoc exordio: Wir Hans von G. G. Hertzog zu Görlitz und Marggraf zu Lausitz. Alterum autem A. inseqventi Saturni die ante Epiphania, ubi titulus amplior est: Wir Hans von G. G. Hertzog zu Görlitz, Marggraff zu Brandenburg und in der nüwen Marcke.

Consul fuit Nytsche uff der Ecke. *Pastor. Johannes de Lutitz.* 1386.

Glogaviæ in Silesia tanta fuit pestilentiæ sævitia, ut extincta fuerint supra duo millia hominum, annonæ vero mira fuit vilitas, medimnus tritici emebatur tribus grossis Misnicis; Olyræ duobus; avenæ uno, atque etiam 4. nummulis Chron. Pol. fol. 895. 1395. Pestis. Vilitas annonæ.

1399. *Conful fuit Nicol. Schernfchmied.* Et ex fcabinis unus nominatur *Magifter Peter* **der alte Schulmeifter.**

1407. Exftructa aut cœpta exftrui domus in novo foro, in qua Sal venditur. **Die Saltz-Kammer.**

1405. Primi fafti Conf. Gorl. Bernh. Canitz Conf. de familia Canitiorum primus Conful in Faftis.

Ab hoc anno cœpti funt in curia annotari annui confules; eftque inter primos annotatus *Bernhardus Canitz* creatus in festo S. Michaëlis. Familia Canitiorum in hac urbe una eft ex vetuftiffimis, honoratiffimis, nobiliffimis. Nam præter quam quod confulatum aliquoties geffit, etiam ex nobili ftemmate defcendit. In infignibus gentilitiis duos ramos arboris inftar crucis S. Andreæ decuffatim oftentant cum quatuor rofis in quatuor angulis, quos decuffati illi rami gignunt, interjectis. Supra clypeum binæ funt Galeæ, finiftra quidem coronata & fupra depicta rota cum infertis feptem candelis ardentibus, dextra galea fine corona, tecta eft pileo Thracio acuminato, ex quo tres criftæ in fummitate eminent.

1414. Diffidia de coquenda cerevifia.

Reperio in Gorlicenfium annalibus fub An. 1414. Wenceslaum Budiffinæ, quæ feditione & bello inteftino ex diffenfionibus de coquenda cerevifia nato, laborabat, cives 74. capite plecti juffiffe. Verum ex iis 56, deprecante Regina vita donatos.

Wencesl. Rex Gorlicium venit.

Inde eum Gorlicium veniffet, ubi æque capitalibus populus a fenatu diffederat odiis, fed facto in vicinos exemplo territus non ita pridem gratiam farferat ademtas Budiffinis immunitates quasdam & privilegia Gorlicenfibus effe largitum. Ingrediente urbem Rege Senatum Gorlicenfem militem ftipendiarium armatum in omnibus urbis vicis difpofuiffe, ne quas Pannifices aliique feditiofi turbas darent. Divertit autem Rex in ædes, curiæ fenatoriæ oppofitas, quas hoc Anno 1586. Michael Schmidius poffidet, ex quibus par conftructam pergulam fublimem penfilem in curiam ultro citroque commeabat fæpe numero. Fufius aliquando hæc, neque tamen multo aliter Cnemiander commemorat in hanc fere fententiam:

Gorl. Budif. Zitt. & Vratisl. diffidia de cerevifia coctura.

Cum Gorlicii, Budiffinæ, Sittaviæ & Vratislaviæ propter cerevifiæ cocturam aliisque de caufis totum ferme quinquennium peffime opificibus cum Magiftratu conveniffet, Wenceslaum crebris literis & mandatis cives Budiffinenfes cum fenatu in gratiam reducere fruftra conatum, tandem hoc anno 1414. die Martis ante feftum Michaëlis Archangeli Budiffinam veniffe, ibique confulis loco præfidentem caufa cognita octodecim cives & tribunos, qui præter cæteros fenatui contumaciter adverfati fuerant, capitis condemnaffe, ex quibus XIV. ipfo die Michaëlis fecuri percuffi, reliquis IV. Sophiæ Reginæ interceffione vita impetrata fit. Wenceslaum compuncta omnia fenatus privilegia caffaffe, facultatem creandorum magiftratuum urbi ademiffe, quam tamen mox ei Gorlicii reftituerit.

Tribus opificum Budiff. ablata privilegia.

Tribunis item opificum omnia collegiorum diplomata abftuliffe & fanxiffe, ne quos illi agerent conventus nifi confcio & permittente Senatu atque adeo duobus femper fenatorii ordinis viris præfentibus: id quod etiamnum obfervatur. Sittavienfibus idem fuiffe ufu venturum, nifi magna pecunia impunitatem redimere maluiffent. Budiffina Gorlicium profectum Regem, ubi non minores propter eandem cocturam inter fenatum & pannicularios ac reliquos opifices longo tempore fuerant tumultus. Sed cum Gorlicenfes feveritatem Regis Budiffinæ adhibitam cognoviffent, inter fe prius transegiffe,

Gorlicenfes pœna Budiff. fapere docti.

cum rex difponi juffis per plateas omnes præfidiis occupato in hybernio curiæ Confulis loco, fi quis agere contra quempiam vellet, ei fe clementer audientiam daturum & jus fuum impertiturum promitteret, conjunctos Senatores & opifices uno ore profeffos, nihil quicquam cuiquam altero intercedere inimicitiarum. Quæ res faluti & impunitati utrisque fuerit. Gorlicio Vratislaviam veniffe, ibique cives quosdam & tribunos opificum, qui mota non ita pridem feditione fenatores de curia præcipitatos, lanceis exceperant ante fuas quemque ædes capite plecti juffiffe. Hæc fere Cnemiander.

Gorlicenfis etiam tumultus caufas & exitum plenius Frauenbergius commemorat.

Lis collegiorum opificum cum Senatu Gorl.

Wencelai Regis tempore (inquit) artificio magno (fic pannicularios vocat) eique conjunctis reliquorum opificum collegiis, præter piftores, omnibus, magna erat cum Senatu lis & contentio de cerevifiæ peregrinæ importatione, de venali habenda cerevifia & vino, denique de eo, ut cuilibet tam intra mœnia, quam in fuburbanis habitanti etiam non impetrata a Confule aut Senatu venia cerevifiam ad neceffarios domefticorum fuorum ufus coquere liceret. Mifere itaque Pannicularii, qui fenatui indicaret, ad Regem fefe profecturos, eique urgente ita rerum fuarum neceffitate preces oblaturos. Integrum effe fenatui de fuo ordine comites ipfi adjungere. Quolibet proficifcantur, refpondet Senatus; fequemur, cum nobis erit commodum. Sittaviam pervenerant Pannicularii, cum miffus Gorlicio Stangenhanus quidam petit tradi Senatui fuo cives inobedientes & rebelles. Sittavienfes ergo Panniculariorum legatos curribus impofitos Gorlicium remittunt. Ubi ad urbem ventum erat, Senatus Gorlicenfis portis claufis eos ad forum rotarium decollari juffit.

Pannicularii 4. decollantur.

Quatuor fuiffe decollatos ex alia Frauenbergii narratione, quam fuperæ Caroli hiftoriæ inferuimus, colligitur. Venit poftea Gorlicium Wenceslaus, & in palatio cum purpuratis fuis pro tribunali confedit. Tunc animadvertentes tum pannicularii tum Senatores captari a rege occafionem utrosque pecunia mulctandi, transegerunt inter fe hac conditione, ne alteri alteros ad regem accufarent. Proclamante igitur per fuos rege: Si quis agere contra quempiam velit, eum jus

fuum.

suum consecuturum: respondit Senatus, non habere se, quod de civibus conquerantur. Similiter Richardus quidam de magno opificio, nomine totius multitudinis respondit; nec se, quod de Senatu conquerantur, habere, quin potius ei de administratione bene & fideliter Reip. habere gratiam. Conversusque ad populum circumstantem, an eadem omnium esset sententia quærit. Affirmantibus uno ore omnibus, rex spe sua frustratus discessit. Nominantur & duæ plateæ per id tempus a Senatu totas tres septimanas objectis pagulis occlusæ.

Tribus cum senatu insalutato Cæsare reconciliantur.

1415. Insequente anno 1415. Gorlicii die ♂ post dedicationem templi Cœnobitarum, cives concitato in Senatum tumultu parum absuere, quin in ædes multorum Senatorum impetu facto irruerent. Mox in profesto D. Bartholomæi, quæ erat feria septima, autores seditionis quinque decollati, quorum nomina sunt in Annalibus, multi exilio perpetuo multati. 1. Joh. Etzel. 2. Erhard Machfeste. 3. Mart. Möller. 4. Nic. Schumanns Sohn. 5. Joh. Gunf.

Tumultus civium adv. Senatum.

Porro facile animadvertit lector, in hisce narrationibus, easdem circumstantias repeti, ut suspicio fit, ob corruptos annorum numeros unam seditionem esse bis recitatam. Ego divinando mutare aliquid nolui, sed annalium, quos habere potui annotata bona fide, referre satis habui, donec vel ex rerumpub. archivis vel annalibus correctioribus tempora & personæ emendari poterunt.

1416. Consul fuit Nicolaus a Maxen.

1420. A. 1420. quo Sigismundus Cæsar venit Vratislaviam postridie festi Dominicæ Ascensionis tota Glogavia conflagravit, præter monasterium sodalium domicilium S. Francisci.

Glogavia conflagrat.

1422. A. 1422. inipso Paschate dirui cœpta est a Gorlicensibus arx monti vicina, quem coronam provincialem vocant, imposita. Verum tarde admodum ea res est confecta. Tanta enim fuit murorum quibusdam in locis firmitas, ut Operarius aliquis, qua succinctus erat pelle, simul & semel asportare posset, cementum, calcemque omnem, & quicquid ruderum toto die (mit einer Picken) excidisset. Cæterum in gemino vertice ejus montis, qui dimidio fere miliari ab urbe abest, duæ fuerunt arces sibi invicem oppositæ, ita ut a b una in alteram facile esset transitus, interque eas villa magna subjecta; conditæ & denominatæ a nobilibus, quibus Landiscoroniis nomen, Post hos Gersdorfii eas possedere, qui cum majores quam pro modo facultatum sumtus facerent, Cotoiciis (Cotitzer Clos.) vendere coacti sunt, a quibus ad Vincentium Hellerum devenere. Is filias IV. civibus Gorlicensibus elocarat, inque his unam Nicolao Guncelio, qui hoc anno consulatum gerebat, itemque alteram *Urbano Emerico* (*Nostri Annales habent WENCESLAO*) Seniori itidem viro Consulari. *Sic Cnemiander.*

Arx montana (Landes Kron) diruitur.

Posterioris meminit in templo Petrino altaris ejus, in quo missio Spiritis Sancti e lapide sculpta est, inscriptio, quæ sic habet:

Inscriptio Altaris in templo D. Petri.

1494. secunda Pentecostes obiit honesta Domina *Margaretha Wenzel Emrichinne.*

Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem *terræ.*

Ab hoc ultimo Possessore Gorlicenses arcem cum omni jure omnibusque pertinentiis sexcentis marcis (& Clos.) redemerant. Tametsi annales sub eodem anno de Bibersteiniis Baronibus utramque arcem cum villa eos emisse tradant, qui fortassis feudi Domini fuerunt. Addit Cnemiander, habuisse Senatum Gorlicensem diplomata & mandata Cæsarea diruendi arcem, ut quæ receptandis latronibus Marchionatui plurimum incommodaret.

Senatus emit arcem. Landes Kron.

1423. An. 1423. die Saturni proxima a festo S. Johannis Evangelistæ ante portam Latinam h. e. 8. Maj. post celebratam solennem supplicationem seu Processionem Joannes a Kittlitz in Spremberg paræcus Gorlicensis & Nic. Guncelius civium Magister magna pompa primum saxum fundamenti insignis ædis Petrinæ jecere.

Fund. templi Petrini jactum.

Ejus intrinseca longitudo est cubitorum CXXXIX. latitudo LXXIV. altitudo a medio testudinis convexæ tholo ad pavimentum XLII. Habet gracilium pilarum ordines IV. quatuor in uno quovis senas. Medii duo ordines distant passus XIV. extremi VII. Pila una ab altera I. Altaria triginta, duo ex solido Saxo quadrato, reliqua e ligno sculpta. Tectum æreum, cujus inter alia id genus magnifica ædificia meminit Georgius Agricola lib. 8 de natura fossilium fol. 339. Cryptam peramplam, quam D. Georgi Sacellum vocant. Ædes ipsa luminosa, fenestris altis atque amplissimis conspicuo vitro & admirabili opere lucem undique præbentibus. Consecrata & dedicata est magna processionis solennitate, trigesimo quarto a fundatione anno, qui fuit a nato Christo 1457. per Casparum Schönbergium 39. in ordine Misnensium præsulem Diœcesanum, cujus Cochlæus etiam sub anno 1454. meminit. Testudo absoluta A. 1497. in Vigilia Assumptionis Mariæ 15. Aug. ♂ ab Architecto Cunrado ejusque ministro Urbano Laurisch. Cos. Secundum Michaele Schvvartz, pastore Joanne Bohemo. Sunt & alia ejus urbis templa. Verum de fundationis tempore discrepant annales.

Consecratur.

1428. Die Venceslai creatur *Consul Georgius Canitz.*

1429. A. 1429. Hussitæ eduxerunt exercitum in Silesiam & in ea quinque haud contemnendas urbes vi ceperunt. Testis Cranzius. Crato quatuor nominat: Glogaviam, Hainum, Novum forum & Cantum. Cnemiander Falckenbergum, Camientzum, Oppoliam, Brigam & Francosteinum addit. Eodem anno Gorlicium obsidione cinxerunt ☽ post festum S. Michaëlis, cum jam ante suburbana cives exussisent,

Hussitæ ducunt exercitum in Silesiam.

Hussitæ obsidione cingunt Gorlicium.

sent, sed non ita longe post obsidionem solverunt re infecta. Provocarunt quidem equites Hussitarum cataphracti oppidanos ad velitationem. Verum Gorlicenses præsidiarii, quod armis non æque bene, ut hostes, tecti essent, & munitioni urbis non satis fiderent, mœnibus se tenuerunt.

Hoc anno fuit Consul Petrus Cuntze.

1432. Eluvio Nissi multum damni gignit. An. 1432. in profesto Mariæ Magdalenæ vel si mavis ipso die Braxedis Virginis, h. e. 21. Quintilis, quæ erat feria II. Nissus auctus pluvia lenta & jugi, quæ proximo die Dominico, h. e. 20. Quintil. ab hora XI. totum diem & noctem duraverat, hora decima octava in tantam excrevit altitudinem, quantam non viderat illa ætas, adeo ut Gorlicii pene irrecuperabile damnum daret, Nissi pontem rumperet, ejus vicinum Spiritus S. templum & Nosoconium, aggerem fluminis, moletrinas duas, unam quatuor rotarum, alteram in Clephilsvvalde e regione aurifodinæ & domus privatas flumini proximas, aliaque ædificia quam plurima funditus dirueret, horrea ad flumen sita cum bladis & fœno, patibulum & sacella quædam cum balineis Nissensibus & dimidia parte plateæ Hoteranæ (Hotter-Gasse) subverteret & uno secum impetu abriperet, denique habitantibus ad ripam civibus plurimum incommodaret. Irrupit autem & intra mœnia eo usque, ut ad tertiam in platea Nissense domum, quam tunc Guttmannus quidam incolebat, pertingeret. Submersi sunt multi mortales: quosdam utriusque sexus, qui mature domibus suis egredi neglexissent, occupatis jam unda foribus piscatores per tecta domorum extractos cymbis impositos servarunt.

1433. Pugna cum Taboritis s. Hussitis. An. 1433. proxima sexta feria post festum Circumcisionis Domini h. e. postridie Cal. Jan. Taboritæ, ut ex provinciis Sigismundi Regis prædas agerent, in fines Gorlicensium excursionem paravere, numero 83. partim equites, partim pedites. Quod cum animadvertisset nobilis Dominus Udalricus Bibersteinius Fridelandi Dominus, confestim misit, qui Gorlicensibus id secreto prænunciaret. Statim itaque mandat stipendiariis suis & aliis subditis, cum quibusdam e plebe, ut hostibus obviam eant. Egressi itaque sine mora equites Gorlicensium ad Fridelandum accedunt, ibique in Taboritas incidunt, cum luculenta pecorum præda, quam ad Gravensteinum arcem abducturi erant revertentes. Ac insecutus quidem eos fuerat strenuus & validus Gotschesschoff de Greiphensteino, prædam captam ipsis excussurus, sed nullo opere pretio, quod viribus inferior esset, Bibersteinius vero, qui & ipse in armis erat, etsi copiis suis non diffideret, tamen quod Gorlicenses cum manu suorum mox affore sciret, adventum horum operiri quam solum pugnæ aleam periclitari tutius ratus est. Ut itaque hostes interim distineret, per internuncios prædam & captivos iterum atque iterum ab eis repetit, donec tergoversantibus illis, ipso vero restitutionem urgente, Gorlicenses tandem superveniunt. Ita signo dato a tribus partibus in Taboritas incurritur, quibus undique circumventis, cum nullus pateret evadendi locus, nivium & altitudine & gelu acerrimo fugam præpediente: capti sunt 14. novem sauciati fuga elapsi, reliqui 60. cæsi. De nostris nemo quidem vulneratus.

Cæsar Sigismundus Romæ coronatur. Eodem A. 1433. durante Synodo Basiliense Sigism. Romæ in æde Petri & Pauli Apostolorum ab Eugenio IV. P. M. diadema Imperatorium ritu solenni accepit ipso die Pentecostes, qvi erat ultimus Maj, cujus rei nuncias literas cum ab Imperatore Gorlicium attulisset, Ronus qvidam e plebe Gorlicensi, qvi coronationis solemnitati adfuerat, civitas decantato sanctorum Ambrosii & Augustini Cantico, cujus initium est: Te Deum laudamus &c. pulsans campanis & excitatis passim in urbe ignibus gratulationis suæ & lætitiæ publicæ significationem dedere. Gorl. Jubila solennia celebrat. Paulo post Laurentius Ehrenbergius Reip. Notarius ad Imperatorem ablegatus est, qui inter vias ægritudine correptus Perusii Imperatorem consecutus est, ab eoque cum legatis, qvos ad Pontificem destinarat, Romam petere jussus. Tandem, utcunque æger, redeuntem ex Italia Imperatorem ad Basiliense Concilium secutus est. Perusii autem negotiis, qvorum causa missus erat, in aliud tempus locumqve rejectis. Imperator ad solicitationem ipsius, civitatem Gorlicensem, propter assiduum ejus studium & navatam operam præclaram in reprimendis Husitis passim vastationes facientibus novis donavit insignibus, qvibus usqve ad Caroli V. Imp. usa est civitas, aqvilæ nimirum Cæsareæ, ala sinistra & leonis Bohemici erecti pede dextro diadema Imperatorium sustinentium: qualia cum in Grossis Gorlicensibus, tum ad Gradus Curiæ Marianamque & Nissensem portas saxo incisa visuntur. Gorl. novis insignibus donatur. Notarium impetratis his insignibus demum revertentem ita excepere senatores, ut Laurentius qvidam Arnoldus scurriliter ita eum affari sibi permiserit: Si asinum ille adduxisset testibus aureis furni magnitudinem æquantibus, majorem ab ipsis gratiam fuisse initurum. Postea idem Notarius ab eodem Imperatore bullam donationum inter maritum & uxorem attulit. Ad extremum Ulmam ad Imperatorem proficisci jussus, cum id facere recusaret, nisi qvinqvaginta sibi prius sexagenæ domi suæ numerarentur: orta deinde inter ipsum & Arnoldum prædictum contentione, postea officio amotus est: Vir profecto non male de rep. meritus. Apud Imperatorem igitur Sigismundum Gorlicenses accusavit, qvi præfecto Budisinensi causam cognoscendam delegavit. Sed Georgius Canitius Consul cogitans illud ἴξων φυγεῖν, μὴ ζήτει δίκην. Datis muneris loco sexaginta grossorum sexagenis hominem placare maluit, qvam judicio experiri.

riri. Ita ille postea apud Suidnicenses Notarium agit.

Hodie binas aquilas & totidem leones coronatos decussatim sibi invicem oppositos, ioterque hos clypeum Austriacum cum Corona præferunt urbis insignia: deqvibus hoc est perdoctum Petri Vincentii Vratislav. V. CL. Epigramma:

Alta Jovis volucris veræ sapientiæ imago est,
Virtutis robur significatque leo.
Hæc inter clypeo valida munita Corona
Regna qvibus fulcris stent diuturna, manet.
Christe, Dei virtus summi, & sapientia Patris,
Tu virtute pios consilioque rege.

Hussitæ prædantur. Eodem An. 1433 in profesto Conceptionis Mariæ h. e. 7. Decembr. Hussitæ e diversis arcibus, nimirum Czschirnnis de civitate Leiba, Capitaneus de Wartenberg Keunschberg de Greuenstleino & alii facta de asseclis suis manu prædatoria equitum haud multum infra centum exierunt spoliaturi eorrus mercibus onustos, qvi Vratislavia venirent. Contra hos, Gorlicenses una cum Capitaneo Henrico Cottavicio, stipendiariis suis, Mercatoribus, aurigis & aliis peregrinis ac clientibus exercitum non contemnendum eduxerunt. Qvem conspicati Hussitæ subito fugam arripiunt; Ebersbachum tamen pagum prope Gorlicium, qvem hodie nobiles Bischofswerderi tenent, qvorum gentilitia insignia harpaginem (einen Feuerhacken) præ se ferunt, prius incendunt, & magnam pecorum vim, cum compluribus agrestibus captivis secum abducunt. Mox tamen, qvo expeditiores essent, dimissa rursum præda, majori etiam qvam antea, celeritate fugiunt, hoc consilio, ut insequentes eqvites nostros longius a peditibus abducerent, ne hi illis suppetias ferre possent. Eo astu divulsis & distractis nostris, fugientes prope Hirsfeldum conversi impetum in eos faciunt. Lanceis primum & balistis, mox gladiis res geritur. Pugnatur utrinque fortiter, sed tandem Dei Opt. Max. beneficio, Gorlicensium ut causa melior, ita & fortuna superior fuit. Interfecti de hostibus in loco prælii X. Captivi XI. cum XXX eqvis stratis. Plurimi vulnerati evasere, ex quibus tamen ipsis post hæc aliqui in campis mortui sunt inventi. De nostris cecidere Petrus Simon & servus Nicolai Franensteinii. Sauciati sunt Cotticius Capitaneus.

A Gorlicensibus vincuntur.

Eodem Anno magna fuit annonæ caritas.

1434. *Consul Petrus Cuntz.*

Inundatio Nissi. Octidnum post festum Mariæ Magd. Nissus inundans pontem & aggerem denuo rupit, molestrinam qvatuor rotarum & maximam partem domorum in platea Heterana subvertit & abripuit.

Eodem Anno magna fames.

1438. Rex Albertus venit Gorlicium. An. 1438. die Simonis & Judæ, qui est 11. Decembr. Gorlicium venit Albertus, ibique dies XV. commoratus est. Cujus rei præter annales nostros & Æneas Silvius & Curæus meminere. Digressus inde Lauba iter habuit & Leobergam.

QVæCVnqVe orantes petItIs CreDIte qVoD aCCIpIetIs, & eVenIent VobIs. Marc. XI.

1442 Incend. Glogav. Ao. 1442. fuit Glogaviæ incendium in platea Judæorum die S. Marci, qua usus occasione populus Domus eorum diripuit, Synagogam evertit.

1453. Johannes de Capistrano Minorita miraculis & vitæ probitate clarus. A. 1453. (tametsi sequentem qvidam annotarunt) die Mercurii post festum Epiphaniorum h. e. Jan. 10. Gorlicium venit frater Johannes de Capistrano Minorita de sodalitio Franciscanorum, qvi se Observantes & Bernhardianos appellant, doctrina, facundia, memoria incredibili, rara vitæ sanctimonia, quam multis miraculis comprobabat, miroque in vitiis insectandis studio pollens, amplo inductus cucullo, concionatusque est latine, ut alibi qvoque semper, qvindecies ex insula illa novi fori A. 1407. excitata, in qva Sal venditur & choreæ ducuntur, alio qvodam de discipulis ipsius postea sermones ejus populo exponente lingva Germanica, cujus penitus rudis erat Capistranus. (Fuit hic Capistranus nobilis Italus, fuitqve initio Vtriusque Juris Doctor, & apud Regem Ladislaum supremus maleficorum judex. Postea cum sibi mali consuluisset in judicio Comitis cujusdam, factus est Monachus Bernhardinus: Meminit hujus Æneas Sylvius in hist. Boh. fol. 148) Sub vesperam ægrotis, qvos divina virtute sanasse scribitur, multas (tametsi Crantius subdubitans famæ hoc loquaciori adscribit) Divi Bernhardini Senensis præceptoris sui, quem Pontifex Catalogo sanctorum recens adscripserat, reliquias, tiaram scilicet, & in linteo cruorem, qvem illi mortuo e naribus fluxisse ferunt, admovit singulis. Tesserarum, Chartarum lusoriarum & aleæ lusum prohibuit & aboleri voluit, promissam comam, qvam tum ex more nutriebant nostrates, decurtari, calceorum rostratorum coronides præcidi præcepit, atque multas inveteratas in his regionibus habitas consvetudines sustulit.

1454. R. Ladislaus venit Gorlicium. An. 1454. die Dominico ante festum Catharinæ h. e 24 Nov. Praga abiit Ladislaus Vratislavium Silesiæ caput visurus, ibique ab ea gente juramentum suscepturus, anteqvam in Austriam & Hungariam, qvæ præsentiam ejus expetebant, rediret. In eo itinere Gorlicium venit in profesto D. Andreæ h e. 29 Novembr. qvo die Budisini, Gorlicenses, Sittavienses, Lubani, Lobavienses & Camitiani solenne fidelitatis juramentum, qvod homagium vocant, ei ibi præstitere ageoti tunc annum decimum qvintum. Formula in Gorlicensium annalibus extat talis:

Homagium ei præstatur. Wir Bürgermeister der Städte Budissin, Görlitz, Sitta, Lauben, Löbaw und Camitz schweren vor uns und die Unsern zu Gotte und allen Gotts-Heiligen, dem allergnädigsten Fürsten und Herrn, Herrn Ladislao zu Böhmen König, unserm allergnädigstem angebohrnen Erb-Herrn und seines Leibs-Erbn Könige zu Böhmen von diesem heutgen Tage an getreu, gewertig und gehorsam zu seyn, ihr Frommen zu betrachten und ihren Schaden zuwenden und zu bewahren, und alle Ding, die zur Kron Böhmen gehören, getreulich halten, und ihnen helffen und beystehen, wieder alle männiglich, niemand ausgenommen, nach unserm Vermögen, als getreue fromme Unterthanen Leut ihrem Erb-Herrn von Rechte und alter Gewohnheit wegen schuldig und pflichtig seyn zu thun. Ohn alles Gefehrde und Arglist. Des bitte wir uns zu helffen GOtt und alle Gotts-Heiligen. Actum 30. Novembr. Vigilia Andr. Apostoli.

Ingressus urbem fertur comam aureolam serto ex Calthia seu calendula flore redimitus: hospitio exceptus in diversorio publico ædium e regione curiæ urbanæ, quas tunc Donatus Kirchofius, hodie Michael Smidius inhabitat (in quibus ipsis & Wenceslaum Regem antea divertisse diximus) reliquo ejus comitatu extra urbem diversante ante portam Marianam. (Auf dem Plan.)

Templum Nicol. ædificari cœptum. Hoc anno die Mercurii post Epiphania (quidam 15. May habent anni 1452.) positum est fundamentum templi paræcialis D. Nicolai, sed in hunc usque diem nondum perfectum. Hoc A. 19. May ♂ post Pentecosten murus post D. Petri spectans plateam Hoteranam, corruit: Ruina muri 6. homines occidit. multique deciderunt, ex quibus sex mortui.

1456. Incendium Gorlicii. An. 1456. die ante festum Johannis Baptistæ, qui erat Junii 18. orto Gorlicii apud Pistorem N. Rheinisch incendio, turris portæ D. Nicolai contigua, aula præfecti & 40. domus unius horæ spatio conflagrarunt.

Vogts-Hoff restauratur. Aula rursum instaurata fuit, & habitarunt in ea præfecti usque ad ultimum Monsterbergensem, qui primus in Pandochæo divertere cœpit. Donec ad extremum Budissinam est translata præfectura.

1457. Fuit Consul Andreas Kanitz. Vide supra A. 1413.

Templum S. Petri consecratur. Hoc A. 14. Decembr. Casparus a Schoenberg Episcopus Misnensis consecravit templum Petri & Pauli in præsentia omnium Sacerdotum & Scholasticorum. Pastore Henrico Steube Decano Cygneo, Consule primum Andrea Canitz.

1458. Templum B. Mariæ fundatur. Feria II. post Exaudi positum est fundamentum templi D. Mariæ: Alii ad A. 1449. 25. Maj. referunt. Suprema ei manus imposita est 1473. sub exitum Maji.

1464. Electo in Regem Bohemiæ Georgio Podiebratio A. 1458. diu Hexapolitani in verba Regis jurare noluerunt. Anno igitur demum 1464. die ☽ ante Festum Viti & Modesti proxima. h. e. XI. Junii, ut nos computavimus (tametsi 12. habent annales) reliquæ quinque civitates, longiorem dilationem fraudi sibi fore, metuentes, a Gorlicensibus descivere & regi homagium præstitere. Gorlicenses diutius cunctati, tandem de consilio Casparis Misnensium præsulis, ne quid resp. detrimenti caperet, idem & ipsi fecerunt in festo D. Bartholomæi Javoriæ in Silesia, Fabricius Casparum Schönbergium præsulem Misnensem in ordine XXXIX. obiisse scribit Anno præcedente 1463. Prid. Cal. Junii. Gorlicenses homagium præstant Regi Boh.

1493. Pestis. Eodem A. 1463. Laubæ, Gorlicii, Budissini & undiquaque sævit pestilitas, quæ Gorlicii quidem præter magnam civium multitudinem Ludimagistrum cum Collegis suis, quos Baccalaureos vocant, omnibusque pene pædagogis & scholasticis extinxit. Cœpit circa festum Laurentii & maxima fuit circa natalem Mariæ.

1465. Georg. Emericus Consul postea Gorl. Hierosol. fit eqves auratus. An. 1465. Georg. Emericus Consul postea Gorlicensis, quem Regem Gorlicensem vulgo appellarunt, artium Baccalaureus, duobus ministris & artifice s. architecto comitantibus religionis ergo ad terram sanctam profectus, inspectis conversationis & operum Christi in ea vestigiis Hierosolymis super sacro Christi sepulcro eques auratus creatus est V. Id. Quint. testimonio *formata*, ut vocant, cujus exemplum infra scriptum est:

Diploma Equestre. *Universis & singulis præsentium notitiam habituris clarius innotescat, quod An. Dom. MCCCCLXV. die XI. mense Julii, Vir nobilis Dominus Georgius Emerici de Gorlitz causa devotionis peregre proficiscens venit Jerosolymam & eximia cum devotione visitavit devotissima loca terræ sanctæ, quæ a modernis peregrinis Christianis visitari solent, tandemque super sacratissimum Domini sepulchrum dignitate militari devotissime est insignitus. In cujus rei testimonium ego Frater Franciscus Placentinus, Ordinis minorum, Vicarius Sacratissimi conventus montis Syon, nec non & aliorum locorum terræ sanctæ gubernator & Rector, has literas patentes sibi fieri feci, præfati conventus sigillo magno communiri. Valete omnes in Christo Jesu Salvatore & pro me sæpius orare dignemini. Dat. Jerosolymis in dicto conventu nostro Montis Syon. Millesimo supra scripto die & mense.*

Cur Hierosolymam profectus sit. Existimo autem non tantum pietatis ut tum credebatur, studio, sed & perturbatissimo temporis illius statu ad suscipiendam tam longinquam peregrinationem permotum fuisse Emericum, quod videlicet spectator esse nollet intestinorum tumultuum, qui ob collocatum in Bohemiæ regnum Girsiconem Hussitam passim gliscebant. Sunt, qui bis religiosa illa peregrinatione defunctum affirmant, & quidem pannificis cujusdam prædivitis Fingeri viduam fœminam virili & voce & animo, cucullo Monachi indutam unius se illi itineris comitem præbuisse. Domum ex Palæstina reversus, ut communicato cum suis civibus & aliis peregri-

grinationum suarum fructu fidem historiæ resurrectionis, præsertim in rudi vulgo confirmaret, ad instar sacri sepulchri, quod Hierosolymis coram visum, per artificem delineari sibi curaverat, & cujus simulachrum quoddam sive typum secum asportarat, cenotaphium in suburbanis Gorlicensibus suis impensis condidit, cujus extat descriptio Elegiaco carmine A. 1569. a *Barthelomæo Andrea Svidnicense Silesio* tunc Scholæ Gorlicensis collega edita.

Obitus ejus. Obiit postea Emericus An. 1507. 21. Jannar. h. 2. ipsa die Agnetis, quæ erat feria quinta & in sepulchrum patris sui illatus est, ut moriens mandaverat. A. 1571. quo hæc scribebamus in cæmiterio D. Nicolai Saxum tumuli confractum & detritum cespite, quo tegebatur, erutum est, in quo de inscriptione hæc, quæ legi possent, supererant verba:

Saxum tumuli.

GEORGIUS EMERICH justitiæ pietatisque cultor & defensor patriæ populique cum dignitate
. . ntare non poterat magna cunctatinne singulari
integritate semper saluberrime disposuit magno.
Sui
. . des iderio
relicto decessit
. . . .
tumulo ut jusse-
. . . .
rat sub paterno
. . . .



in pace sepultus
die
. . XXI. Jannarii Anno
1 5 0 A.
amore . . . dimissum re-
quod vo
rum atque temporum conditionem effici

Erectus etiam fuerat prope tumulum cippus lapideus, postea collapsus, cujus alterum latus cœnæ dominicæ, alterum extremi judicii, fastigium vero crucifixi Christi sculpturis fuere ornata. Hujus Emerici ipse LUTHERUS meminit in *enarratione Psalmi 45. Tom. III. Oper. Jen. fol. 463. Wittebergens. fol. 470.*

Xenodochium Marianum fundat. Fundavit enim Xenodochium Marianum, in quo hospitio exciperentur religionis ergo peregrinantes, itemque pædagogi & scholastici primum in urbem adventantes. Struxit & altare lapideum im templo cœnobii, in quo sculpta Virgo Deipara refixum e cruce natum gremio fovet. Addita litteris inauratis hæc inscriptio:

Altare lapideum erigit.

Sit pius ille mihi quem fles, dulcissima virgo.

Auctor erat Georgius Emrich. An. D 1492.

Ejus Familia. Inter plures utriusque sexus liberos filium habuit Dn. Casparum utriusque J. D. Academiæ Bononiensis aliqvando Rectorem, postea Decanum Budissinensem, qvi An. 1520. die Thomæ Budissina excedens Fribergam Misniæ concessit ad sororem Alpeccio nuptam, ubi reliquum ætatis exegit. Qvo digresso Decaniam Carolus Munsterbergensium Princeps tunc Lusatiæ superiori præfectus nomine regiæ Majestatis occupavit.

Neqve vero Gorlicii tantum, sed & in aliis maximi per Europam nominis urbibus consimilia Salvatoris Cenotaphia visuntur extructa, qvorum sunt, qvæ fando cognovimus, Romanum, Venetianum & Antwerpianum. De Constantiensi etiam qvorundam literis proditum est. Legimus enim non tantum in latino sanctorum Catalogo, sed & in Noribergensi Schedelii Chronico S. Conradum Constantiensium præsulem, regen Alemannum cum tertium Hierosolymas navigasset, tres Constantiæ erexisse Ecclesias, in quarum una D. Mauritio sacra sepulcrum Domini Hierosolymitano simillimum construi curavit. Atque hic Conradus cum ipso Paschatis die festo rem divinem faceret, perfecta consecratione delapsum in calicem araneum magna fiducia hausit, qui postea hora prandii ipso ad mensam expectante magna omnium circumstantium & videntium admiratione, sine læsione ore ejus aperto exivit. Vixit tempp. Johannis XV. P. M. & Ottonis II. Imp. mortuus An. 976. præsulatus sui 62. 6. Cal. Dec. qvi dies in Fastis Ecclesiasticis nomen ipsius habet adscriptum.

Alia Cenotaphia.

An. 1467. (ut habent annales emendatiores) Bartholomæo Hirsbergero Cos. Cives nonnulli Gorlicenses urbem perfido hæretico Girsiconi (sic enim eppellant) eique adhærentibus missis ultro citroque literis, tradere sive edeo prodere conati sunt, e qvibus Nic. Miefleischius jussu Consulis captus & in qvatuor partes (quæ singulæ ante singulas portas suspensæ sunt, pedibus pannn rubro annexis) dissectus est septimana proxima ante Palmarum. Postea circa Pentecosten Martinus Lauterbachius cum Martino Schleifin, & tandem ineunte mense Sept. Miefleischi complices in foro decollati sunt & in eodem sepulchro in cæmiterio D. Mariæ humati sunt. Uxores cum liberis exulatum ire jussæ permittente senatu tantum de maritorum bonis singulæ avexerunt, qvantum singulis plaustris onerandis satis esset. Convenire autem perduelles consveverant in hortis qvibusdam ad Nissi ripam, qvos A. 1548. Volfgangus Berenhartus, hodie Johannes Röber, qvi relictam a Volfgango viduam in uxorem duxit, possidet. Sunt, qvi Miefleischum Consulem, reliqvos vero conjuratos Consularis sive senatorii ordinis seniores collegas fuisse annotarunt. Additur, Veredarium qvendam Casparum Etzeldum, qvem Martinus Ermlichus judex eqvo non exigui pre-

1467. Gorlicii ad supplicium rapiuntur Senatores, qvi Georgio urbem tendere volentes.

pretii & pecunia donarat, ut in gratiam conjuratorum urbem globis ignivomis incenderet, dum id adornat, captum esse. Alii tamen annales ad sequentem annum 1468. id referre malunt, Gregorio Seligero Civium magistro, quæstore vero Sigefrido Gasmanno, & addunt adjutores eorum Matthæum Sedelmannum, Ambrosium Brendelium & Nicolaum Carolovitium, qvi postremus diutius anno integro in vinculis fuerat, hos ergo cum uxoribus & liberis urbe pulsos. In annotatione dierum, qvibus de conjuratis sumtum est supplicium, major etiam est annalium discrepantia, cujus conciliatione, cum parum referat dies nosse ἀκριβῶς, sciens supersedi & tempora ἐν πλάτει indicasse satis habui.

Illud silentio prætereundum non est quod Sigefrid. Goswinus, qui postea A. 1470. Magister Civium fuit, dixit: *Martinum Luterbachium, Mart. Schleffium, Elmelrichum & cæteros interemtos, viros bonos fuisse & decora civitatis, adeo ut si fieri posset, vel mille florenis vita eorum reip. esset redimenda: Se quidem, quamdiu potuisset, manibus pedibusque obnixe impediisse, ne ad supplicium raperentur. Verum solum se reliquis omnibus collegis frustra adversatum. Denique pro certo confirmare se posse, toto decennio capiti illorum fuisse insidiatum.* Hæc M. Frauenbergius sibi A. 1469. narrata scribit.

Ex his omnibus pene affirmare ausim, Gorlicenses quidem in fide Girsiconis non perstitisse, ut quantum ad hoc & reliquos Hexapolitanos attinet, limitatione indigere videatur Peuceri locus. Nec fidem mereri puto, quod M. Joh. Hassus, qui patrum memoria hujus Reip. Notarium egit, post longam de Girsiconis & Notariorum hexapoleos, quos scribas vocat Rex, colloquio, narrationem scriptum reliquit: *Etsi ultro citroque inter Bohemos, Hussitas & Gorlicenses belligeratum sit, nihilominus tamen semper Regis & regni Majestatem comiter Gorlicenses conservasse.*

Hæc solo veritatis amore motus ex historiarum annotatis elicere volui, non quod patriæ defectionis crimen impingere studio mihi haberem. Est enim hæc prima & maxima lex, in historia omnium eruditissimorum hominum consilio sancita, ne quid falsi dicere audeat, & ne quid veri dicere non audeat. Quanquam non tam ad ignominiam, quam ad laudem constantiæ in religione veteri pertinet, majores nostros inter primos discessisse, a fide ejus, quem Pontifex caput Ecclesiæ, ut tum habebatur, tanquam hæreticum & hostem Ecclesiæ damnarat, sicut & postremi se ad fidem ejus contulerant. Et si perfidia dici meretur, sceleratis Pontificum impulsionibus legitimum deseruisse magistratum, non Lusatii solum ejus agentur rei, cum Silesii & Moravi eodem crimine teneantur. Rursus etiam eorum, qui Gorlicii ad supplicium rapti sunt, cum viri boni fuerint & regi suo fideles, haud dubie etiam purioris religionis, quam Hussius ostenderat, studiosi: eorum, inquam, innocentiæ testimonium fide dignum denegare non debui.

Anno eodem 1471. Rudolphus legatus Pontificis Romani Gorlicium veniens postridie Cal. Febr. cereas & candelas consecravit, & summum Missæ officium magna solennitate celebravit. 1471. Legatus Pontificius Gorlicium venit.

Non multo ante hunc annum 1471. ut ex Frauenbergii annotatis apparet, Gorlicii Canalis sive tubus maximus cloacæ subterraneæ ad Nissum usque pertingens Greg. Seligo postea senatore & novem aliis perfectus est. Subterranei foricarum meatus Gorlicii.

An. 1472. quo Matthias Casimirum Vladislai fratrem Casimiri Poloni F. præsulum quorundam & procerum Hungaricorum conspiratione præcedenti anno in regnum accersitum, Hungaria tota pepulit, fusa est Gorlicii campana vetus, cui Susannæ nomen, ut testatur hæc ejus inscriptio: 1472. Campana vetus dicta Susanna funditur.

O Rex gloriæ veni cum pace. Amen.
Cernite, campanam genuit me fusio gratam
Pannonia dum bella movet invisa Polono.
Pro regni throno concurram, prælia scindam,
Et terris dulcem pulsabo sedulo pacem.
A. Domini MCCCCLXXII.
Matthia Haubits fusore de Bronne. ♂.

Mit dieser Glocken sind 2. andere, und alle 3. mit einander auf der Vieh-Weyde gegossen 1. die A. 1597. 19. Septembr. d. ♀. zum Läuten an statt der alten Susanna aufgezogen, 2. Die kleine, so man die Schließ-Glocke nennet. Auf der ersten, welche zwischen dem 9. und 10. Octobr. 1598. umgegossen, ist folgende Schrifft:

Me voluit fundi rectrix & gloria mundi
Et regina poli, igitur me rumpere noli.
M. CCCC. LXXII. Matthia Haubitz
Fusore. Regina cœli lætare. Alleluja.

Qua hieme tres ad Vratislaviam reges castra posuere. Gorlicenses suburbana sua & figulorum montem septo quodam munire cœperunt, magistro Johanne Frauenbergio Pruteno, ante Notario, recens primum Consule designato. Jejunia etiam & supplicationes indictæ. Casp. Nostitius Capitaneus fidem Gorlicensibus suam obstrinxit, se ad extremum usque spiritum ipsis adfuturum. In sequenti An. 1475. fossæ circa suburbana ductæ sunt & septum ex argilla perfectum (eorum vestigia adhuc apparent, hinter Weinschölzens Vorwerck. Item fundamentum muri im Hinder-Thor) Johannes de Frauenberg Prutenus artium & Philosophiæ magister, Matthiæ regis dominatu An. 1474. Gorlicii, ut diximus, primum creatus est magister civium, cum sex annis præcedentibus eidem Reip. ab Epistolis fuisset. Hic vir sapiens & eruditus magno fuit 1474. Septum argillaceum suburbii Gorlicens.

patriæ

patriæ nostræ cum emolumento tum ornamento. Ut enim taceam crebro navatam ab eo præclaram Reip. operam in Hexapolitanorum cum infesta nobilitate conventibus: glasti certe vectura, depositio & æstimatio, quam Hainum transferre nitebantur Saxoniæ duces, conservata est civitatis nostræ hujus consiliis. (Nam legationes ad Matthiam regem & Saxoniæ duces, ut plurimum Georgius Emericus tunc senator obivit.) Præterea urbem excitatis validis passim propugnaculis munivit & ædificiis publicis aliis ornavit, in quibus singulis singulæ gnomæ inauratis literis saxo incitæ leguntur. Delectatum enim ferunt bravibus ejusmodi & rotundis sententiolis. Symbolo usus est literarum trium, quæ & supra *πολίδιον* nosocumio Mariann contiguum visuntur nimirum: S. M. L. hoc sensu: Schweig, Meyd, Leyd. In secretario Gorlicensi additur altera rhytmi pars: Biß da kömmt besser Zeit. Ibidem hoc quoque distichon legi manu ipsius exaratum:

Non est in speculo res, quæ speculatur in illo
Eminet & non est in muliere fides.

Item: *Crede parum, quia fraus in olla.* Vide & Epitomen Speculi Saxonum ab eo concinnatam & sub certa capita velut locorum communium redactam A. 1475. Tandem A. 1478. cum Matthias duo millia florenorum Ungaricorum a Gorlicensibus exigeret, hi vero tergiversarentur, adeo rex cum in civitatem universam tum vel maxime in Frauenbergium excanduit, ut eum urbe, de qua fide sua meritus fuerat, pellere cogitaret. Hunc enim cum Bohemis hæreticis collusisse ac commercium habuisse hunc, quo minus collecta imposita sibi pendatur, obstare hunc quibuscunque posset in rebus aliis sibi adversari dictitabat. Denique non Gorlicensem modo Remp. omnem sed totam adeo hexapolin, cum nobilitate universa unica conclusam esse veste qua Frauenbergius indueretur. Hanc commemorationem Frauenbergius ipse scriptam reliquit in libello, quem Secretarium Gorlicensem inscripsit: unde quanta apud suos juxta & vicinos fuerit autoritate, æstimari potest. Clausit autem cum hoc Epiphonemate: Darum lieber Ritter reiß nicht, denn Herren Dienst der erbet nicht, hilff lieber treuer GOtt. Amen. Atque in hoc ipso A. 1478. desinit Secretarium. Sub A. 1477 cum narrasset Gorlicenses de glasti negatiatione periclitantes a Budissinis & Vratislaviensibus desertos subjicit: Das alles in gute Gedancken zu nehmen ist, und zu seiner Zeit wiederum zuvergleichen, als denne geben wir wieder, hab dir das. Nunc inscriptiones, quas dixi, ordine recensebo.

In Curia.

Non Dominus domo, sed domus Domino cohonestanda est. Otiosum enim est, cum a pertranseuntibus dicitur, O domus antiqua, quam dispari dominaris Domino.

Wilt du reichen Städt und Land
Eintracht, Fried sey dir bekannt
Darnach befleiß dich rechter That
Also hält Platonis Rath.
Wilt du fort gantz nützlich rathen
Zorn, Gunst, Neid sey dir verbothen. Item:
Wer unsern Ehren ist gehaß
Dem geben wir wieder sich hab dir das.

Nihil decet invita Minerva 1472. 1 Off.

In fenestris palatii super panni tonstrinas supra picturam: *Iuvenal Sat. XI.*

E cælo descendit, nosce te ipsum.

Supra picturam: *Horat.*

Nam vitiis nemo sine nascitur
Infelix.

Invida me lacerum lumina nulla vident.
Mundat.

Livor post fata quiescit. Ovid. 1. Amor. 15.

In propugnaculo portæ Nissenæ:

Pace bidens vomerque vigent 1ꝶΛΛ. Tib. 1. el. 10.

In propugnaculo portæ Marianæ sub insignibus:

Invia virtuti nulla est via. 1ꝶΛΛ. Ovid. 14. Metam.

In propugnaculo, quod est inter Marianam & Reichenbergensem portas:

Satis celeriter fit, quicquid fit bene. 1ꝶΛΛ. Svet. in Aug.

In propugnaculo cœmiterii Mariani:

Cave faxis te quicquam indigni.

In sacello D. Jacobi:

Omnes una manet mors. 1ꝶΛ8. Hor. 1. od. 28.

In propugnaculo quod est apud Viretum:

Melior est certa pax quam certa victoria. 1ꝶΛ9. Liv. lib. 10. dic. 3.

In veteri *ἀκροπόλει*:

Nil actum credas, cum quid restabit agendum. 1ꝶΛ9.

Anno 1476. Johannes Olsnicius in via Leobergense prædas agens factis inde crebris excursionibus Schönbrigam oppidulum, villam Rudolphi superiorem, Copperam & Reutenician pagos exussit, quo tempore Gorlicenses a nobilitate & vicinis, qui omnes pacem & securitatem pecunia redemerant, deserti Sittaviensibus, etiam cum Olsnicio & complicibus ejus tacite colludentibus soli detrimentum in bonis suis acceperunt, soli in coercendis prædonibus laborarunt: *μίας δὲ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη*. Quin & imploratus ab iis frequentibus literis Dominus Stephanus de Zapulia tunc temporis Nomarcha rescripsit, non esse quod adventum suum expectent, cum nimis tenues sint præfecturæ reditus. Ita hujus auxilio quoque necessario suo tempore destitutis Gorlicensibus tota æstate quoquo versus impune crassati sunt hostes, & complures passim currus mercibus onustos diripuerunt. Tantumq; fuit hoc tempore in regionibus proditionis & perfidiæ clandestinæ, ut tuta etiam omnia timerentur.

1476. Pagi a prædonibus cremantur.

1477. Consul Seiffrid Gorwin.

1481. Crosna conflagrat. 27. Jul. Crosna Silesiæ oppidum universum conflagravit, ita, ut ne unica quidem domus relinqveretur, conciderunt subterraneæ, plurimi homines adultioris ætatis interierunt, templum etiam oppidi corruit, sed conclave supellectilis sacræ fuit servatum, restincto igne sangvine vituli subito jugulati.

1483. Consul Georg. Emerich.

1484. Pestis Gorl. Hoc anno Gorlicii circa festum D. Bartholomæi pestilentiæ lues sese commovit, neque tamen ultra duodeviginti homines uno die unquam sustulit, quidam tamen ad A. 1482. referunt.

1486. Saganum deflagrat. 18. Maj. Saganum Silesiæ civitas universa incendio periit, cum omnibus templis ac monasteriis.

1488. Insignia Regis Matthiæ super januam Curiæ inciduntur. Insignia regis Matthiæ, qui in curiam ascendentibus ad dextram super januam Saxo incisa visuntur. Hoc Anno perfecta & in vigilia Matthæi ab artifice istuc loci posita sunt. Annotatum est Lapicidam eo labore integrum annum minus quinque septimanis fuisse occupatum, & in singulas septimanas singulos accepisse florenos Ungaricos, cui mercedi insuper perfecto jam opere, senatus honorarium addidit octo Ungaricos.

1489. Xenodochium Marianum fundatur. Hoc anno, quo consulatum gerebat Georg. Emericus Cenotaphii excitator, fundavit egenorum novum Xenodoch. e regione ædis Marianæ, in quo Hospitio exciperentur nocturno religionis ergo peregrinantes, itemque Pædagogi & Scholastici primum in urbem adventantes, insumsitque de suo in illa ædificia & dotationem mille sexagenas: sequenti anno idem Emericus fontem, cui Salomonis nomen est, canalibus eodem deduxit. Eodem A. die 28. Maj. maxima pars Glogaviæ incendio absumitur, negligentia mulieris, quæ candelam parum provide custodierat.

1490. Regis Matthiæ exeqvias celebrantur. Moritur Viennæ ex Apoplexia Matthias Pannoniarum Rex. Defuncto exeqvias celebrarunt Gorlicenses in æde Petrina die ♄ ferias Georgii proxime secuta & dominico die insequenti hoc est 24. & 25. Apr. accedente ad offertorium omni populo. Matthiæ successit Vladislaus II. Bohemus, qvi Calendis Augusti (Curæus 15. Jul. habet) rex Hungariæ renunciatus est Posonii. Terrigenæ s. nobiles Lusatiæ superioris, una cum qvinqve urbibus Budissina, Gorlicio, Sittavia, Camitio & Lauba in arce Pragensi homagium ei præstiterunt. Lobavienses enim hoc loco in Annalibus Vratislaviensibus non diserte nominantur. Budissinenses Gorlicium omittunt, Lobaviam diserte nominant. Curæus Lusatiam primam omnium in verba Vladislai jurasse scribit. Ab eo tempore Serenissimis Bohem. regibus paruit Lusatia, qvi utrique tam superiori qvam inferiori suos dederunt præfectos S. Nomarchos, partim principes viros, partim ex illustribus & generosis familiis oriundos. De his vid. superius pec. capite.

Pastey am Reichenbacher Thor ædificatur. Hoc anno Gorlicii magnum propugnaculum ad portam Reichenbachensem excitari cœptum, conferentibus operas ut minimum diurnas ad egestionem telluris e fundamentis, ad alendos mercenarios, pro æstimatione facultatum tam civibus, qvam olitoribus, suburbanis & agrestibus civitati subjectis omnibus, initio a Senatoribus facto.

Valent. Trocedorffius nascitur in pago Trotzendorff prope Gorl. An. 1490. 16. Cal. Martii die Valentini, nascitur divinus ille erudiendæ & formandæ pubis artifex & præcipuus Lusatiæ suæ ornamentum Valentinus Fridelandus Trocedorfius in pago ditioni Nosocomii Gorlicensis subjecto, qvi uno a Gorlicio milliario abest Trocedorfo, a qvo & Trocedorfium se cognominavit. Prima artium rudimenta Gorlicii didicit sub M. Alexandro Cuspiniano Ludimagistro Gorlicensi, qvi postea puriorem Evangelii doctrinam amplexus fuit, inter præcipuos, qvi Ecclesias Silesiacas repurgarunt. Sed de Trocedorfio extat oratio in declamat:

1491. Glasti emporium Gorlic. Haynum Misniæ transfertur. Nicolaus Stolzenbergus infector, ex eorum genere, qvi Isatide, qvam glastum vocat, Cæsar & Plinius vulgo gnatum, pannos laneos, cæruleo colore tingunt, idemque glastum æstimare solitus, in lupanari deprehensus, atque ideo sub furca virgis cæsus; cum aliter ignominiam suam ulcisci non posset, mira calliditate perfecit, ut mercatura sive negotiatio & ceu Emporium glasti, ejusqve æstimandi jus, qvod ultra ducentos annos Gorlicii steterat, & pannicularijs ibidem fructuosissimum fuerat, Hainam Misniæ ad Albim sitam transferretur Cal. Sept. Principes enim Saxoniæ a Gorlicensibus æstimationis illius nomine postulabant tributum annuum qvingentorum florenorum Rhenensium. Qvod cum pendere Gorlicenses detrectarent, prohibuere illi, ne imposterum glastum Gorlicii æstimaretur. Maneque Hainæ æstimandæ Isatidis consvetudo ab eo tempore in hodiernum usque diem, magno omnium civium Gorlicensium detrimento. Porro translatio hujus mercaturæ etiam antea a ducibus Saxoniæ tentata fuerat, sed nullo successu. Anno enim 1477. Erfordiensibus scripsere, velle se, ut Haynæ imposterum glastum deponatur. Qva in re avertenda multum laboraverunt tum Erfurtienses tum Gorlicenses: Qvin & Rudolphus Vratislaviensium præsul, item Gundersicus Glacensis (Sic Henricum Monsterbergensem Georgiconis F. appellarunt, qvem & Termersicum vocant annales Vratislavienses) & Fridricus Lignicensis duces, nec non civitates Suidnicensis & Javoriensis principatuum ad Duces Saxoniæ, Ernestum Electorem & Albertum fratres, eorumque patruum Guilielmum III. Comitem provincialem Turingiæ ea de re literas dedere, sed frustra. Budissinenses vero hoc tempore rebus adversis vicinorum Gor-

Gorlicensium gavisi connivere, seqve ita plane gessere, ut qvibus non minimam translatio hæc, si succederet, allatura esset voluptatem. Nec sane Vratislavienses magno adjumento nostratibus fuere. Matthias Hungariæ & Bohemiæ Rex eadem ex causa Vratislaviensium præsulem ad ducem Saxoniæ Dresdam ablegavit Junio mense, cui senatus Georgium Emericum adjunxit. Sed parum admodum ibi effectum est. Sub initium An. 1478. Cornaumpurgum ad Matthiam misere Gorlicenses Joh. Schneiderum & Nic. Hermannum, ubi coram rege ejusque cancellario Steph. Zapuliense, nec non præsule qvodam strenuus Dominus Henricus Miltitius eqves auratus Segano præfectus, qvæ a Principibus Saxoniæ super glasti emporio in mandatis habebat, exposuit. Gorlicenses responsionis loco supplicem libellum regi exhibuerunt, hoc argumento: Glastum per principum Saxoniæ provincias eorundem permissu citra impedimentum Gorlicium advectum, ibique æstimatum & distractum fuisse ducentis amplius annis, idque ea æqvitate, ut in præsentem usqve diem nullus unqvam repertus sit vel emtor vel venditor, qvi de Gorlicensium æstimatione conqvereretur. Eam negotiationem non suæ tantum, sed & reliqvis omnibus civitatibus regiis inprimis vero pannificum collegiis commodo fuisse & emolumento. Petere itaqve Remp. Gorlicensem, ut jus æstimationis hujus ab Imperatoribus sibi indultum & tam ab ipso qvam decessoribus regibus confirmatum, tanti præterea temporis præscriptione & qvieta qvasi possessione roboratum, præsidio regio salvum sibi & incolume conservetur. Tandem 3. Cal. Novemb. Gorlicium venere legati Saxonici Johannes V. de familia Weissenbachia Misnensium præsul Jurisqve D. & Miltitius, a Mathia rege, una cum Georgio Emerico reversi, narrantes, controversiam a Rege & Principibus hac ratione compositam, ut & Gorlicenses vecturam, depositionem & æstimationem glasti ad eundem modum qvo antiqvitus habuissent, retinerent. Nec multo post Senatus literis præsulis ex Stolpena monitus, Dresdam in aulam Ducum Saxoniæ misit de suo ordine Joh. Schneiderum & Georg. Emericum, qvi 16. Cal. Decembr. hoc negotium, cui magnos labores, majores sumtus impenderat civitas, ad optatum finem perduxere, confectis super transactione hac & in archeio repositis publicis monumentis. Hæc fere M. Frauenbergius, Vir consularis, cujus eo tempore præcipua fuit in Senatu Gorlicense autoritas, in Secretario suo scripta reliqvit. Æstimationis Glasti Gorlicii fieri solitæ meminit etiam Caroli IV. super via regia privilegium, de qvo alibi diximus, An. Dom. 1491. in Vigilia S. Dorotheæ obiit spectabilis vir & Magister Dominus Joh. Frauenbergius, cujus anima reqviescat in sancta pace. Amen.

Georg. Emericus Cenotaphii excitator, altari, qvod est ad dextram ante ingressum chori in templo cœnobii, lapidem imposuit in qvo affabre sculpta Virgo Deipara, refixum a cruce natum mortuum gremio fovet, astantibus Josepho cum Alabastro ungventi boni, Johanne imberbe & Nicodemo cum libro, addita literis inauratis hæc inscriptio: Sit pius ille mihi, qvem fles dulcissima virgo. Auctor Georgius Emrich, 1492. 1492. Ad altare lapis erigitur.

Saxum non procul a Praga excisum advehi curavit & Johanni Olomucensi sculpendum locavit proprio sumtu.

Gorlicenses novum conduxere Parœcum, deposito Joh. Bohemo, juris pontificii prolyta, ejusque Diaconis expulsis. Causa impulsiva fuit hæc, qvod prohibere anniterentur, ne is Sittaviense, Camitiense & Laubense Zythum haberet venale. Utqve hac eum libertate spoliarent, aliqvando in parœciam, qvæ tum ad D. Nicolai erat, violenter irruperant. Bohemus Romam profectus, diu ibi hæsit, & cum per se ipse, tum per procuratores suos senatum eodem citari fecit. Pendente lite Gorlicenses annuo spatio ex omnibus opificum collegiis milites stipendiarios parœciæ imposuerunt. Ad extremum tamen cum multa millia aureorum in eam litem insumsissent, nihilominus eundem parœcum recipere, eiqve in integrum restituto libertatem omnem pristinam concedere & ad hæc expensas omnes refundere coacti sunt. Exulavit autem secundum nostros annales annum integrum & parœciæ restitutus est cum diaconis suis circa festum Assumtionis Mariæ An. 1496 Cnemiander An. 1498. habet & festum Purificationis. Remansitqve ibidem aliquanto tempore, donec postea Anno 1501. parœciam mutavit cum beneficiis cujusdam Martini Schmidii Ecclesiarum Vratislaviensis, Glogoviensis & Budissinensis Canonici, Viri fortunatioris qvam doctioris, sicut Interdum docta sors valet arte magis, nec raro impudentia primum habet emergendi gradum. Tandem Bohemus diem suum obiit Budissinæ A. D. 1515. secundum Cnemiandrum. Epitaphium ejus 1513. habet, qvod ascribo: *A. D. 1513. Dominica ipso die S. Dionysii obiit venerabilis Vir Dn. Joh. Behm, Decretorum Licentiatus, Canonicus hujus Ecclesiæ, cujus anima reqviescat in pace. Amen.* 1495. Dissidia Gorl. cum Parœco de non vendenda cerevisia extranea.

Schmidius vero cum An. 1501. Dominica natalem Mariæ proxime præcedente parœcus Gorlicensium esset factus, A. 1518. iterum primam celebravit missam Dominica Qvasimodogeniti.

Inter Gorlicenses ex una, & Nobilitatem, conjunctasqve huic reliqvas qvinqve urbes ex altera parte, propter cerevisiæ vecturam magna nata sunt dissidia. Habebant enim Gorlicenses privilegia, ut qvam late patet ipsorum territorium & jurisdictio, non nisi Gorlicensis cerevi- 1496. Gorlicens. de cerevisia sua cum vicinis urbibus controversia.

revisia venderetur, extranea vero nulla adveheretur. Quæ cum exequi illi vellent, non solum Camitianis, Sittaviensibus & Laubanis, verum & nobilibus perquam molestum id accidit, adeo ut ad Vladislaum Regem de eo referretur. Ademerunt autem Gorlicenses hoc ipso anno cerevisiam Sittaviensem, quibus eam venalem habere non licebat. Rusticis etiam eandem advehentibus primo diluculo vasa dissecuere in colle inter Ostritium & Hirsfeldum oppidula sita: Cui nomina Vermis Syllanus (Leuse Hübel) (dubium qua ratione) dedit.

Hae enim circumlocutione in nostro quodam carmine hodœporico eum collem notavimus. Locus facti nomen adhuc retinet. Hæc ubi Sittaviam sunt renunciata, senatus re deliberata per literas Gorlicensibus bellum indicit. Simul mittit, qui armenta borum in damni sui compensationem abigant. Fecialis, quem parvum Cancrum nominabant, per portam Gorlicii meridionalem, quæ Mariana dicitur, ingressus, obvium habet Consulem, cui cum literas ex equo, quo vehebatur, albo porrexisset, non expectato responso, qui haud ex sententia laturum se sciebat, per portam orientalem a Nisso denominatam, præpropere exiens, apud Vinedicum Offigum pagum sese prædatoribus reliquis conjunxit. Abegerunt itaque illi dominum suam ex Offigo utroque Teutonico & Vinedico, aliisque Gurlicensium prædiis vaccas, vitulos, sues, oves & equos Gorlicenses prædam captam ab actoribus excussuri, cum Heidersdorfi & Lindæ eos non erant consecuti, ad sua reverterunt.

Zittavienses Gorl. per fecialem bellum indicunt.

Zittavienses Gorl. pecudes abigunt.

Insequenti A. 1497. Pragam venit Vladislaus circa medium Quadragesimæ. Ibi Sittavienses a Gorlicensibus ad regem abigeatus accusati, & duo ipsorum legati postquam causam dixissent, in carcerem turris conjecti sunt, sed vix dum biduo elapso, dominorum Pragensium intercessione iterum extracti. Ac tulit Rex sententiam, ut Sittavienses pro abacta præda Gorlicensibus trecentos florenos Rhenanos numerarent. Quia autem Civitates quatuor reliquæ una cum totius hexapoleos nobilitate facile intelligebant, Sittavienses potius quam id facerent, deserta ab hexapolitanorum societate Pragensibus cæterisque Bohemis sese adjuncturos: Gorlicenses vero multipliciter sollicitati pecuniam illam Sittaviensibus remittere detrectabant: nobiles & oppidani, quos dixi, ut sententiæ regiæ satisfieret, de suo trecentos illos aureos contulere, & Sigismundo Wartenburgio Baroni Lusatiæ superiori præfecto tradidere, a quo acciperent eos Gorlicenses. Ad eam summam Laubenses contribuerunt florenos L. Atque hæc fere Cnemiander. Addit tamen esse, qui affirment, Gorlicenses pecuniam recipere noluisse, sed præfecto eam muneris honorarii loco donasse. Quod idem et innuit carmen quoddam in populari lingva a Sittaviensi quodam in civium suorum favorem compositum, & tum vulgo cani solitum, in cujus extremo est, Gorlicenses præfectu non quidem manus, quod ajunt, sed ocreas argento auroque perunxisse. Vicissim autem Sittavienses a Gorlicensibus salsis dicteriis exagitati sunt, inter quæ celebre est hoc tetrastichon:

Impie tu nuper lætatus Sittaviensis,
Abstuleris crassos qvod mala furta boves:
Caci Vaccilegi sectatus es impia facta,
Caci nunc merito fata pudenda feres.

Versus Satyrici in Sittavienses Vaccilegas.

Gorlicensium annales hæc sub An. 1491. commemorant. Verum ita, ut Sittavienses jussu Regis sexcentos aureos Rhenanos nostratibus dare coactos referant, qvorum medietatem, ut res eo facilius componi possit, civitates reliquæ ultro promiserint. Budissinenses totam summam sexcentorum florenorum a nobilitate & oppidanis numeratam Gorlicensibus annotarunt. Laubensis etiam qvædam consignatio eodem An. 1491. Gorlicenses a Zittaviensibus vaccis spoliatos refert. Neque tamen controversia inter Gorlicenses & civitates fœderatas ac nobilitatem tolli non potuit. Sed permissum est cuivis, ut biberet, quicquid palato ipsius gratum esset, & solvere posset.

Derer von der Sitta an die Görlitzer Absage-Brieff.

Wir N. Bürgermeister, Rathmanne und gantze Gemeine der Stadt Zittaw, entbitten und thun kund euch Bürgermeister, Rath und gantzer Gemeine der Stadt Görlitz, und alle so euch zugehören. Nachdem ihr über Geboth und Verboth Kön. Maj. unser allergnädigsten Herrschafft, auch über manchfaltig gleiche unser Inbittunge, unser gebrawen Bier, zu mercklichen unsern Schaden, unerkandt aus eigener Torst mit freuelicher gewepneter Hand, nehmet, und mehrmahlen torstiglichen genommen habt, daß wir um solches Ubels und bösen Muthwillen, wie vorgeschrieben, unerfolget alles Rechten, und bewahrt aller Ehren von euch uns geschehen euer Feind, des wir lieber vertragen wären, sein wollen, und wo wir wissen, können und mögen zu Tag und Nacht euch und alle den Euren an Leib und Gutter Schaden wieder zugefügen, wollen wir unser Ehre damitte vor uns, unser Helffer und Helffers-Helffer, wie noth ist, vollkömmlich bewahrt haben, mit Urkundt dis Brieves versigelt mit unser Stadt Innsiegel.

Negotium Vaccilegii delatum ad regem Vladislaum præstituit in certum locum & tempus, quo Gorlicenses & Sittavienses comparerent ad cognoscendam a rege causam & has sequentes ad Sittavienses dedit literas:

Ehrsam lieb getreue, als wir euch mit den von Görlitz euer gegen einander Zwietracht halb für uns zugestehen nechst Purificationis Mariæ, als endlichen Rechts-Tag ernennet hatten, fügen wir euch wissen, daß wir euch auf gemelden

melden

meldten Tag euren Geschäfften grösseres Anliegen, und des Zuges halben, den wir gen Behmen endlich fürgenommen haben, nicht auswarten mögen; Sondern ohn alle Aenderung werden wir, wo uns GOtt gesund verleyhet, auf die Quatuor temper in der nächsten Fasten zu Prag in eigner Person seyn, daselbst wollet euch mit aller euer Gerechtigkeit für uns fügen; So wollen wir eure Mängel mit unsern Räthen fleißig anhören und darum, so viel uns billig ansehen würdet, ergehen lassen, dergleichen schreiben wir auch den von Görlitz darnach wollet euch mit Gestehung wissen zu halten. Auch kömmt glaubwürdig an uns, wie ihr den von Görlitz auch uns zu Schimpff aber neue Lieder tichten und singen, sonst auch durch die euern und in euer Stadt viel Schmach zufügen lasset, wo ihr davon nicht abstehet, werdet ihr uns bewegen das ihr wohldent, hivttet Unsern Bevelen nachner gegangen. Thut auch kein anders, ist abermahls Unser ernstliche Meinung auch bey unser schweren Ungnade Meydung. Dat. Ofen. Am Abend Andr. Mccccxcvi.

Cæterum Sittavienses, ut numerationem mulctæ eo recusarent pertinacius, hac modi fuere ratione, quod protrita sit & vulgatissima in universo jure tam Saxonico quam Civili regula: *Si quis pro rapina persolvat pecuniam, eum reddi infamem & juri alienum, ut habetur l. ultima ff. de iis, qui not. infam. l. non damnatos & ib. gloss. in Verb. sed part: C. quib. ex caus. alicui infam. irrog. l. transigere. C. de transact. not. in l. si tibi decem. §. 1. ff. de pact. instit. de pœ. temp. litig. §. ex quibus dam. Facit 6. q. 1. infames. Landr. art. 37. & art. 70. lib. 3.* Weichb. art. 4. & 30. in gl. cum ib. notatis. Causa autem cur non damnati duntaxat bonorum raptorum, sed etiam pro iis pacti infamentur, hæc est, quod qui paciscitur crimen confiteri intelligetur *l. ablatas in fine cum l. seq. ff. de his* qui not. infam. Et licet si quis pro delicto jussu judicis paciscitur, ipso jure infamia tollatur vel furti. *§. qui jussu ff de* infam. non tollitur, tamen apud bonos & graves viros *l. 11. ff. de obseq. a lib. & libert. parent. & patr. potest. & nota in d. §. ex quibusdam Instit. de pœn. tem. litigant.* Quamvis etiam *gl. art. 17. Landr. 3. asserat.* Si quis non per se ipsum, sed per alium spolia &c. paciscatur, eum sui juris beneficia non amittere. Secundum Cautelam *Bart. in l. infamem in 3. col. ff. de pub. jud. Abb. in c. cum te de re judic.* tamen frigida ista videntur, cum paria sint, aliquid per se vel per alium facere.

De Gorlicensium privilegiis sic res habet:

Gorl. privilegia contra Nobiles. Carolus IV. Imp. privilegium Gorlicensibus concessit, quo cavetur, ut intra sesqui milliare atque adeo duo milliaria peregrinam h. e. aliam quam Gorlicensem cerevisiam importare, vendereve nulli liceat. Ea res postea Georgicone regnante agitari cœpta est & declarari. Mox etiam a Matthia ejusdem tenoris privilegium impetrarunt. Sed adversante & impediente nobilitate, hactenus qvietam juris hujus qvasi possessionem non sunt adeqti. Nec post Vladislai tempora unquam ejus rei fecere mentionem. Etsi enim An. 1530 (quo hexapolitanis cum nobilibus de braxatura, coctione & venditione cerevisiæ deque opificibus manuariis extra urbem non fovendis lis fuit) in Pragensi conventu privilegia illa sua contra nobilitatem denuo proponere Gorlicenses voluerunt, tamen cum Sittavienses, Laubenses & Camitiani viderent, ea non minus sibi quam nobilibus esse damnosa ideo se a Gorlicensibus sejungerent: D. Ludovicus Fachsius Ordinarius Lipsiensis, communis tum secundum Hieronymum Schursium antecessorem J. C. Vitebergensem Hexapolitanorum contra nobiles advocatus, iterum eos in gratiam reduxit & conjunxit hoc pacto, ut Gorlicenses privilegia ista tum qvidem non proferrent; alio autem tempore integrum ipsis esset suo iis arbitratu uti. Ea non proferunt ad tempus.

An. 1496. circa ferias D. Laurentii Gorlicii quoque magnam Nissi inundationem eodem quo Laubæ tempore factam, magna excepit pestilitas, quæ à festo assumtionis Mariæ per totam hyemem usque ad carnisprivium insequentis Anni duravit & 3600. vel secundum quosdam 4000. homines sustulit. Magna pestilitas.

Circa Pentecosten inimicitiæ fuere senatui Gorlicensi cum Principibus & civitatibus Silesiacis ex tali causa ortæ. Principes Silesii & Suidnicensis ac Vratislaviensis Resp permissu regio novos cuderant grossos. Eorum usum Gorlicenses per præconem publice vetuere. Qua re non injuria solum, sed & contumelia se affectos interpretabantur Silesii. Interdictum itaque Gorlicensibus omnibus per totam Silesiam commerciis & negotiationibus. Fridricus etiam Lignicensis detentis aliquot eorum curribus, multas iis argenti infecti massas, placentarum instar formatas, plurimum item pannorum ademit, illud cudendæ monetæ, hos famulitio vestiendo impendens. Causam Rex proceribus coronæ Bohemicæ cognoscendam delegavit. Qvanqvam autem in consultis sociis, civitatibus & nobilitate Lusatiæ superioris, monetam prohibuerant Gorlicenses: qvi tamen juri & legitimæ majestatis regiæ cognitioni sese offerebant, nobilitas & civitates reliquæ ab illis stetere. Quid vero Pragæ inter utramque partem actum sit, ne tum quidem scire potuit, nisi quod Principum & Vratislaviensium legati in reditu thoracum & caligarum tenus despoliati in Bavariæ quadam arce custoditi sunt. Reliquæ civitates Silesiacæ cum Christophoro, quem nigrum nominabant, nobili prædone transegerunt, & pro redemtione captivorum quadringentos flore- 1506. Gorl. & Siles. dissidium de valore novorum grossorum.

nos

os Hungaricos numerarunt. In sequenti A. qui septimus fuit supra sesqui millesimum, Gorlicenses promotione & commendatione Domini Alberti Colobratii Cancellarii Bohemici, non sine muneribus tamen, sententiam regiam Bohemica lingva conceptam impetrarunt, qua Principes Silesiæ & Vratislavienses nouam monetam abrogare, & Gorlicensibus res ademtas restituere jubebantur. Ea freti Gorlicenses eodem An. 1507. feria tertia post festum Lucæ Evangelistæ, vel quod idem est, ante Simonis & Judæ festum h. e. 23. Octobr. currus Vratislaviensium XXV. Francofurto ad Mœnam sito venientes detinuerunt, idque mandato regis, ut ferebant, propter interceptas prius Lignicii & Goltebergæ merces suas Legati Vratislaviensium, cum dimidium fere mensem de liberatione curruum cum Gorlicensibus frustra egissent, quingentis marcis, quos menstruo spatio aurigæ insumserant, exsolutis, currus ibi reliquere ad festum usque Annunc. Mariæ A. 1508. quo tempore missus a Vladislao scriba Cancellariæ ita rem secreto composuit, ut Vratislavienses merces suas a Gorlicensibus octingentis florenis Hungaricis redimerent. Sic Cnemiander. Vratislaviensium annales XVI. tantum meminere curruum, Noricis & Belgicis mercibus onustorum, ad eosque arrestandos narrant provocatos fuisse Gorlicenses quadam Vratislaviensium injuria, pro cujus recompensatione tandem DCCC. illos florenos acceperint. Crato Paralipomenis, Gorlicenses ea in re Fridrico Lignicensi hosti Vratislaviensium gratificatos scribit falsus, ut opinor, perperam intellectis aliorum annalium annotatis, qui merces Gorlicii detentas scribunt propter confœderationem quandam cum Fridrico Lignicense. Non enim Gorlicenses sed Vratislavienses Fridrico fuisse fœderatos ex Cnemiandro apparet. Et Crato ipse cum Curæo testis est, demum An. 1509. Lignicensem recens a peregrinatione Hierosolymitana reversum se hostem Vratislaviensibus declarasse, eorumque merces intercepisse. Quod eum impedivisse dicerentur, quo minus Silesiæ cum imperio præficeretur.

1507. Georg. Emericus Cons. obiit.

21. Jan. h. e. ipsa die Agnetis, quæ erat feria quinta, obiit Georg. Emrich Cons. Gorlicens. & eques auratus & in sepulcrum Patris sui illatus, ut moriens mandaverat. Huc refer Epitaphium superius positum. Eodem An. hujus Emerici filius Casparus, Decanus Budissinensis, qui An. 1504. Bononiæ Rect. fuit, Decaniam Budissinensem ex imis fundamentis novam extruxit, in eaque multos annos splendidam & sumtuosam habuit aulam. Extat ibi hodie saxum vetus, cui hi versus incisi:

Ejus filius Decaniam Budiss. extruit.

Casparis Emrici fulgent monumenta laborum
Officii primo cursum quæ struxerat anno,
Reddere cui grates pietas majora volenti
Postulat, ergo procul hinc livida turba recedas. MCCCCCVII.

1508. Ingens pestilentia.

An. 1508. Gorlicii pestilitas magna a festo D. Joh. usque ad natalem Domini ad quatuor millia hominum absumsit, tametsi cives lautiores cum familiis suis hominum circiter ducentorum alio commigrarant. Cumque a vicina nobilitate & agrestibus nihil quicquam adveheretur, magna ciborum & lignorum penuria laboratum est. Laubani cum Gorlicensem neminem intromitterent, a contagio fuerunt immunes.

Templum S. Annæ extruitur.

Hoc A. fundamentum & omnino a novo erectum est templum D. Annæ per Joh. Frenzel concivem Gorlicensem. Hæc leguntur in membrana injecta in globum turris ejusdem templi biennio post h. e. 1510. 9. Oct. erectum est pinnaculum ejus templi (versteht das Thürnlein) Inscriptio de verbo ad verbum sic habet: Anno Virginei partus millesimo quadringentesimo decimo, die vero nona mensis Octr. erectum est hoc præsens pinnaculum hujus templi. Item, hæc præsens Ecclesia videlicet honestissimæ magnæ matronæ beatissimæ Annæ fundata, nec non omnino a novo erecta est per me Joh. Frenzelium concivem Gorlicensem, Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo octavo.

1509. Ludovicus Rex Pragæ coronatur.

An. 1509. (quidam male præcedentem habent) Dominica Oculi h. e. XI. Mart. Ludovicus nondum triennis (ut recte habet Curæus, cum alii semi quartum ætatis tum egisse annum falso annotarint) Pragæ a Stanislao Tursone Olomucensium præsule Rex Bohemiæ coronatus est. Unde factum est, ut Gorlicensis Resp. grossis suis jam tum An. 1510. cusis Ludovici regis Bohemiæ nomen titulumque inscripserit.

1510. Gorl. duos nobiles securi percutiunt.

An. 1510. ut constanter habent annales nostrates, in D. Margarethæ profesto, quæ tum erat feria sexta, Gorlicenses insciis Fœderatis civitatibus captos Christophorum & Casparem fratres ex equestri Coteviciorum familia extra portam Reichenbachensem securi percusserant. Id circo A. 1511. Henric. Cragius & Joh. Maxius indicto Hexapolitanis bello, rapinis, cædibus & incendiis plurimum damni dederunt. Præcipue autem Gorlicenses & Budissinenses magnos cogebantur facere sumtus alendis equis in usum exploratorum s. emissitiorum, qui prædones insequerentur & comprehenderent.

1511. Altare templi Cœnobitalis erigitur.

Summum altare templi Monasterii suis impensis fieri curavit civis Gorlicensis Nic. Steinberger, cujus & signum cum initialibus literis sui nominis nec non & A. C. in eodem picta cernuntur. Propter istam beneficentiam in ordinem fratrum susceptus fuit & mortuus in templo sepultus cum hac inscriptione: A. D. 1513. obiit honestus & discretus vir Nic. Steinberg. hic sepultus, cujus anima requiescat in pace.

Con-

1515. Consul Bernh. Meltzer. ⊖ die Petri & Pauli.

1515. Horologium in turri curiæ ædificatur.

Michael Rassel faber ferrarius & in fabricandis horologiis automatis (Schlag-Uhren) eximius artifex, cæterum non satis compos mentis horologium, quod vocant integrum, in turri Curiæ hoc anno exædificat.

Alterum horologium in turri Monasterii dimidium fabricat Jacob Wolffius consule Mich. Schwartz.

Nissi exundatio.

Eodem An. 1515. circa Pentecosten Nissus in tantam excrevit altitudinem, ut quintam vel septimam adeo scandularum seriem in tecto officinæ fulloniæ Gorlicii aquæ attingerent.

1516. Gorl. damnum patiuntur excusis nummulis adulterinis.

Circa A. 1516 atque adeo præcedenti quoque anno Gorlicenses nummulos cudebant nigros. Verum sibi male caverant in hoc, quod à cingulario quodam protypum admodum rudem fabricari curaverant. Inde enim factum est, ut in Bohemia & reliqua vicinia complures formam illam æmulari adulterinos nomos cuderent; idque fieri minus potuisset, si artifex aliquis proplastices peritior protypum affabre sculpsisset. Comperto demum tertiam fere partem id genus numorum adulterinam esse Bohemi, Silesii, Mysii & alii circumjacentes, numos Gorlicenses in universum omnes repudiavere, eorumque usu publice suis interdixere. Quapropter aurigæ olyram & hordeum iis nummis vendere detrectarunt. Unde vix credi possit, quanta subito extiterit angustia. Cives tenniores, quibus alia pecunia non suppetebat, nec panes nec obsonia emere: reliqui, qui κατ' ἐξοχὴν soli ibi sic dicuntur, si mutandi non esset facultas, cerevisiæ coquendæ necessaria comparare non poterant. Crebri ea de re Budissinæ & Lobaviæ habiti sunt nobilium oppidanorumque conventus. Pragam etiam susceptum iter, magni facti sumtus. Neque tamen iniri potuit ratio, qua nummulis Gorlicensibus valor & usus pristinus redderetur. Numi tandem nigri excocti & dealbati sunt, & accepere quidem eos aurigæ, sed non nisi sex solidos, quos vocant, in singulas grossolorum Polonicorum marcas. Quocirca & mercium pretium mutari potuit, duravitque difficultas hæc pene biennium, quo elapso peculiari providentia divina numi Gorlicenses ubivis rursum acceptari cœpere.

Campana magna dicta Maria funditur.

A. 1516. ut testatur inscriptio, nocte proxime secuta feriam quartam post festum Matthæi Apostoli h. e. Sept. 24. qui dies in Calendario ascripta habet septem gaudia Mariæ, Gorlicii fusa est à duobus fratribus campana maxima, cui Mariæ nomen inditum.

Matthia Rosenbergio Civium Magistro.
Merten Hillingers Kannegiessers von
Freyberg 2 Söhnen Merten und Andreas.

Ejus diameter 4. Cubitorum, περίμετρος 13. est. Ad constandum multi adulterini nummi Gorlicensis formæ collati sunt. *Imagines* habet Petri & Pauli, quorum hic gladium, ille librum manu tenet. Inscriptio in ea hæc legitur: *Ave Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui Jesus. O rex gloriæ veni cum pace. Et verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Jesus Nazarenus Rex.* A. D. 1516.

Trocedorfius Collega zu Görlitz.

Trocedorfius vocatus Lipsia, quo studiorum gratia triennio ante profectus fuerat, fit Hypodidascalus scholæ Gurlicensis per biennium: & non tantum discipulos erudit, sed Rectori etiam & collegis reliquis Ciceronis officia & Plutarchum περὶ παίδων ἀγωγῆς enarrat.

D. Hieron. Schwoffheim obit. Factus An. 1474. Pastor. Gorl. anno Joh. Bohemum 1497. Official und Probst zu Budissin 1510. Scholasticus in Breslau.

Moritur Vratislaviæ D. Hieronymus Swoffheim Gorl. Sepultus ibidem in æde Cathedrali D. Johannis, ubi sub pictura transfigurationis Christi tale legitur Epitaphium:

Venerabilis & eximius V. J. D. Dominus Hieronymus Swoffheim Gorlicens. Scholast. & Canonicus hujus Ecclesiæ hic situs est Ob. A. 1518. 3. April.

Huic Jacobe, pio major, Zebedeia proles
Adsis præsidio, qui te dum viveret, olim
Tutorem elegit vitæ, post fata patronum
Præcipuoque sacrum coluit pietatis honore.
Te duce fac videat, quem tu modo clarificatum
Vertice Taboreo meruisti cernere Christum.

Appicta sunt & gentis insignia clypeus nimirum tessellatum in modum tabulæ latrunculariæ, h. e. alveoli scacorum vel scacchiæ albo & nigro colore distinctus, ita tamen, ut a summitate levæ partis tractus obliquus albus tribus stellis aureis insignitus dextrorsum descendat. Ex eadem familia *M. Petrus Swofheim* Gorlicii in senatum lectus est A. 1540. die Ægidii. *Paulus* item *Swofheim* Gorlicii primum A. 1509. cum adhuc magister optimarum artium esset, & ita diceretur, ducentesimus primus, & iterum anno 1524. Theologiæ jam Doctor ducentesimus trigesimus primus in ordine Academiæ Lipsicæ Rector fuit hiberno semestri.

Sacrificulus non initiatus comburitur.

Venit quidam Gorlitium, sacrificulum se professus, ac in templo ter in festo Nativitatis Christi missam celebrat: patefacta autem re, quippe non erat initiatus (geweyhet) condemnatur ad ignem & apud pabulum comburitur:

1517. Glogav. incendium.

16. Sept. die Sabbathi sub horam noctis quartam, cum minister ebrius incaute tractasset lumen, excitatum est incendium Glogaviæ, quod subito invalescentibus ventis celerrime in omnes partes pervagatum est, quo conflagravit pene urbs universa, extincti sunt flamma & fumo 80. homines plus minus inter quos fuere, qui abdiderunt se in cellas subterraneas.

1518. Die Veneris ante Pentecosten, qui fuit 20. Maj. Obiit *Mich. Schwartz Consul*, alii ad An. 1519. referunt.

Rothhaus Glocke.

Campana horologii in turri Curiæ hanc habet inscriptionem: *Nec quæ præteriit horare dire potest.* Meister Servatius A. 1520.

Pestis. Pestis a vinculis Petri usque ad natalitia Christi

ſti abſumit homines utriusque ætatis 2600. alii 1700. tantum aonotarunt. Obiit Matthæus Roſenbergius Conſul. 21. Octobr. ſuccedit Joh. Arnoldus.

Petrus Ritterus natus Strelæ urbe Miſniæ 23. Auguſti hujus anni a ſenatu Gorlicenſi ad munus ſcribæ publici ultro accerſitur.

Beſpers Glocke.

Inſcriptio Campanæ proximæ minori in æde Petrina (Beſper-Glocke.) Pro æde D. Petri in Gorlitz fuſum eſt hoc vas Wratislaviæ per Andream Hilger. 1521.

Novus Paſtor.

Eodem A. M. FranciſcusRupertus, Gorlicenſium Parœcus factus eſt 24. Junii. Sed quia circa feſtum Bartholomæi uxorem duxerat, rurſum diſceſſit, Sprottavienſemque Eccleſiam gubernavit.

1524. *GEORGIUS WIRTH MEDICUS.*

Archiater Ludovici regis Hungariæ & Bohemiæ

Icon ex altera facie paginæ:

Carniolæ Ducibus, Regi dein Pannonis ora
Gratus eram, Medica Doctor in arte bonus.
Georgius Wirth Leoberga in Sileſia
natus A. MCCCCLXX.
Poſt prima ſtudiorum tyrocinia
Plurimis atque optimis extra patriam ornatus artibus:
Magiſterii primo Lipſiæ A. M D IX. dein ampliſſimo Doctoris titulo in Medicina decoratus Bononiæ. An. MDXV.
Quum ex Italia per Liburniam in patriam
regredi cogitaret:
Præter ſpem ac votum, Provinciæ illius Medicus
quaſi divinitus delegatus:
Quin & paulo poſt incluto Ludovico Bojemiæ
& Pannoniæ Regi deſignatus Archiatrus:
A quo tandem ipſe ſplendidiſſimo iſto cum laude
& dignitate perfunctus munere, Budiſſinæ
Luſatiorum conſtitutus Decanus, ſingularis ergo meriti:
Literariis otii ſui ſymbolis relictis omne in
ævum perduraturis,
Obiit Gorlicii feliciter. A. MDXXIV.
Æt. LIV. IX. Mart.
Georgii Wirth:
Arte fui magnus Ludovici Regis in aula
Pannonici: clarime coluere viri:
Budisſina facit me, Rege jubente, Decanum:
Gorlicii ſacro ſum tumulatus humo.

Nic. Reusneri:

Quem Ludovicus amat Rex Pannonis atque Boema
Ora, dum Medicum deſtinat ipſe ſibi:
Multis quem donis & honoribus auget & ornat,
Cuſtodem vitæ per mala damna ſuæ.
Quem Budiſſina tandem creat ipſe Decanum;
Quo vitæ reliquum ſponte quietus agat:
Ille inquam Phœbi decus ore, Georgius ille
Wirthius ad cælos exiit ante diem.
Patria cui Leoris vitam dedit ante Sileſis:
Gorlicii urbs tumulum Luſatis inde ſacrat.

Gorlicenſes deſerta religione Pontificia Lutheranam amplectuntur.

Gorlicenſes & Laubenſes religionem primum mutarunt: quo eodem anno pagorum Gorlicenſis territorii paſtores Aprilis 27. conventum in urbe egere, in quo plerique omnes unanimi conſenſu ſe præſulis Miſnenſis obedientiæ ſubtraxerunt, ita ut in poſterum nec tributum ei penderent, nec jurisdictionem ſ. autoritatem ejus agnoſcerent: Pertinuit enim utraque Luſatia ad Miſnenſis Epiſcopi adminiſtrationem ſ. diœceſin, unde etiamnum Budiſſinenſis Decanus *ſe Epiſcopatus Miſnenſis per ſuperiorem & inferiorem Luſatiam adminiſtratorem* vocat. 1525.

Egregiam operam in hoc negotio navat M. Rupertus.

Gorlicenſibus in repurganda ipſorum Eccleſia & impiis ac ſuperſtitioſis ritibus abrogandis primum operam navavit ſuam M. Franciſcus Ænobarbus (Rupertus) Gorlicius, coriario patre natus, Sprottavienſium ante Diaconus, Georgio Röslero Coſ. Is cum ſuperioribus annis fuiſſet remotus, revocatur hoc anno intercedentibus nonnullis opificum collegiis, & venit Gorlicium permittente Senatu 5. Apr. Mox abrogantur multi ſuperſtitioſi ritus Eccleſiaſtici nolente volente Senatu.

Superſtitioſi ritus abrogantur.

Viridibus non abluuntur altaria, ut prius moris erat. Die Palmarum non producitur aſinus cum ſuo idolo. Soteriis non circumgeſtatur in templo Servator; panis tamen conſecratus in ſepulcrum Chriſti reponitur. In vigilia Paſchatis non conſecratur ignis, nec in ſequente nocte imago reſurgentis & triumphantis Chriſti circumgeſtatur per domum publicam novi fori, in qua ſal venditur. Die dominica Paſchatis inſtituitur Confeſſio Evangelica in ſacello, quod vocant D. Georgii, & confitentur homines circiter ducenti apud ſummum altare circiter 30. proxima dominica poſt Paſcha, qui fuit 23. Apr. de ſuggeſtu paſtor ſignificat, ut ſi qui poſthac ſub utraque, quod vocant, communicare velint, vel populari idiomate baptiſari ſuos cupiant, id liberum & ſalutum ipſis futurum. Ac utrumque tum factum fuit, & habent annales noſtri, die Marci primum baptiſatum eſſe Germanica lingva Pauli cujusdam cingularii Pabepergenſis filium. Sunt præterea hoc anno abrogatæ proceſſiones die Marci ſervari ſolitæ, abrogatæ item fuere Miſſæ & Veſperæ pro defunctis: Sacerdotes uſuram amplius non admiſerunt: nec die aſcenſionis Domini Chriſti imago per tholum funibus attracta fuit, ſed pro iſtis nugis habita eſt a meridie concio, denique pauci obſervarunt veteres ritus.

Incendium.

Oritur eodem A. 1525. die Jun. 12. quæ erat poſtridiana feſti S. Trinitatis hora vel noctis apud Piſtorem quendam Pezelium in platea Niſſenſi vaſtum & pernicioſum incendium, quod ab una parte in ſuburbana Niſſenſia, ab altera ad cœnobium usque diffuſum quatuor

hora-

horarum spatio præter homines triginta aut circiter, ædes privatas haud paulo plures 172. una cum balneis & ponte Nissi, nec non æde & Nosocomio S. S. consumit. Plebs tunc obtestationibus atque adeo lacrumis consulis & senatorum non tantum ad restingvendam flammam non permoveri potuit, verum etiam probris & conviciis senatum proscidit, eique insultans læta interim in tristissimo spectaculo risum Sardonicum risit. Postea 4. ex istis capite sunt truncati; Sartor quidam in an. relegatus.

NoVIt DoMInVs qVI sInt sVI. 2. Tim. 2.

Georgius Röseler Consul.

1526. Coena Domini sub utraque specie distribuitur. Viridibus quæ tum inciderunt in 26. Mart. Sacramentum Cœnæ sub utraque scholasticis fuit distributum: inter hos primus fuit Wenceslai Wagneri pannicularii filius.

1527. Opifices præsertim pannicularii seditiosos conventus adv. Senatum instituunt. Gorlicii simul cum ipsis religionis emendatæ initiis mirificæ civium, præsertim pannicula-riorum tumultuationes oriri: libelli famosi contra senatum urbanum spargi & affigi: omnia denique ad seditionem spectare cœperunt: donec tandem hoc A. 1527. fabricata est & conflata clandestina & ob id periculosior panniculariorum in Senatum conjuratio. Die Ægidii, qui tum diem Solis incidebat, conveniunt post meridiem in templo Petrino pannicularii complures, quibus & alii opifices nonnulli erant admixti. Borum præt. tensæ querelæ. Ibi tum sermonem occipit Alex: Polzius de iniqua conditione ordinis Pannificum, qui a Senatu & deliberationibus ad Remp. pertinentibus excluderentur, & aliis libertatibus privarentur, atque æquum esse, ut ad minimum bini semper ex pannicularis consiliis publicis interessent, sine quorum consensu nihil in Senatu vel consultaretur vel decerneretur: jus etiam coquendæ cerevisiæ liberum esse debere contendit. De harum aliarumque ipsius opinione iniquitatum mutatione placet apud Senatum primum precibus agere: ea via si non succedat, alia ratione tentare. Ita congregatis conspirationibus mittit ad eos Senatus & significat, ut si quid haberent ad Senatum negotii, in curiam ascenderent, ibi melius & commodius de rebus consultari, quam in templo posse. Hoc facto dissipatur concio. Tertio die post h. e. 11 fer. ante 4. Sept. qui erat dies Martis, carceri includuntur Paulus Thamius & Mart. Stazenbergius. Eorum exitio cautiores redditi Alex. Polzius, Georg. Bierley, Jacobus Hase Clericus & alii ex urbe altero die post 4 Sept. excedunt. Sed non moventur reliqui complices: quin Petrus Lubecus caput conjuratorum. imo Petrus Lubecus caput & princeps nefariæ conspirationis, clanculum ad se vocat confœderatos in ædes suas sitas in platea, quam longam vocant. Huc comportantur omnis generis arma & ineuntur consilia cum de captivis liberandis, tum & de magistratu tollendo & se in libertatem vindicando. Jam instabat hora, qua campana, quæ ortis incendiis pulsari consvevit, signum perpetrandi facinoris dandum erat; cum indicio Thomæ Stolzii pannificis, unius ex conjuratis, in ipso sceleris perpetrandi articulo conjuratio opprimitur: Lubeco conspirationis principe capto, mox torturæ subjecto, ac denique cum aliis complicibus supplicio affecto eo modo eoque tempore quo sequitur. Conjurati deteguntur. Vigesimo quinto d. ☿ Septemb. ad furcam (beym Pranger) in foro mercatorio armatis civibus septo, portis urbis interim clausis, Lubecus scalæ, quæ afferi incumbebat, alligatus in quatuor partes a carnifice dissecatur, partes ante portas urbis postea suspenduntur. Suppliciis Ante ipsum capite plectitur Stolzenbergius cum Lubeco ad supplicium eductus. Eodem supplicio die 28. Sept. d. ♄ afficiuntur Thom. Bayer & Mart. Anesorgius. Justus Schwalbius junior & Laurentius Schweinbraten Vratilaviæ 19. Octobr. d. ♄ gladio percutiuntur. Anno sequente 8. Jan. die ☿ capite plectantur Andreas Deutschmann & Michel Neumannus, qui ante fores Lubeci ædium dispositi custodes fuerant. afficiuntur. Nec multo post Franciscus Teller, qui cum aliis conspirationis consciis aufugerat, ex fuga retractus supplicio 1528. 10. Octob. d. ♄ afficitur. Hoc modo repressa conspiratione, metu soluta est civitas & posthac interdictum, ne qui conventus opificum haberentur inscio Magistratu; id quod etiamnum hodie servatur. Facta hæc sunt Petro Tilio Cos. Annum utcunque notavit hoc pentametro Christoph. Manlius: Non greX eVentVM seDItIosVs habet. Posticulum ædium in angiportum quendam inter novum forum & plateam longam versum, qua arma ad opprimendum senatum contulerant seditiosi, cementis obstructum est, insertusque lapis quadratus hisce literis inscriptus:

D. V. R. T.
I. S. Z. A.

Quas quidam sic legunt: Des Verräthers Thür. Oder:

Der Verrätherischen Rotten-Thür.

Ad fores veteris διδασκαλείου hæc inscriptio facta: *In rebus humanis nihil praeclarius, nihil praestantius quam de rep. bene mereri* 1529. Cic. lib. 10. fam. epist. 5.

In superliminari vero novæ Scholæ hæc: *Praeceptorem non secus quam studia ipsa & parentem ames.* Qvintil. 2. instit. Orat.

Campana turris Marianæ fusa. Hoc A. fuit fusa campana horologii turris Marianæ cum hac inscriptione: *Laudate Dominum in cymbalis bene sonantibus: a M. Servatio Artzt fusis pro horarum sonitu civit. Gorl.* 1579. post hanc inscriptionem sequitur insigne urbis & subjiciuntur hæc verba: *Christe Rex gloriæ veni cum pace.*

1530. Parochiæ ad D. Nicolai templum diruitur. Circa festum M. Wolfgangus vocatus ad ministerium docendi in Ecclesia primam suam concionem habet die recordationis Apostolorum Simonis & Judæ. Hic primus prædicatorum Gorlicensium barbam aluit. M. Wolffg. Past. Prim.

1531. Ædificatur ad Nissam domus Sclopetariorum, das Büchsschützen-Hauß. Schützen-Hauß ædificatur.

Anno postea 1544. ponitur ejus fundamentum ex lapidibus.

Æs campanum, cui Mariæ nomen, quod A. 1516. fusum fuisse superius diximus, suspenditur in turri templi Petrini ea in qua etiamnum pendet, die ante Pentecosten h. e. 22. Maj.

Obiit Joh. Arnoldus Consul die Innocentum.

1532. Consul Georgius Röseler.

16. April. Obit Georg. Joachimi & Joh. Smidiorum pater; ejus ædes in platea fratrum.

Turris templi Petrini mutatur. Ob nimiam molem diruitur die ☽ post corporis Christi fastigium turris templi Petrini, quæ portam Nicolai spectat & tectum lateritium humilius, quod etiamnum reliquum est, ædificatur circa Bartholomæi:

Campana turris Marianæ suspenditur. Grandis illa campana horologii turris Marianæ suspenditur die Saturni post Cineralia. Alii ad Annum sequentem referunt.

Joach. Meisterus nascitur. 1. Novembr. nascitur Joach. Meisterus Philos. Orator & Poëta præstantissimus, cujus poëmate antiquam poëtarum gravitatem spirant, patre Oswaldo Meistero Tæplasiario Gorlicensi.

1534. Judæus baptizatur. Siccitas inusitata. Michaël Sonntag Judæus baptisatus est die ♄ post Visitationis. Siccitate inusitata exarescunt frumenta in agris: pecora æstu contabescunt; fame examinantur: moletrinæ ob defectum aquarum quiescunt.

1535. Lang-Schneideri Stipendium. Hoc A. Ludovicus Sartorius (Lang-Schneider) Gorlicensis, Licentiatus Theol. moritur Lipsiæ, cum aliquot annis ante obitum 1516. testamentum fecisset ejusmodi, ut ex annuis censibus florenorum 400. quos apud Senatum Lipsensem deposuisset, qui erant floreni viginti, aleretur aliquis Studiosus, ceu habent literæ super ea re confectæ.

1536. Orchestra ædificatur. Ædificatur Orchestra addito altero tabulato ad domum novi fori, in qua sal venditur. Ante hæc tempora tenuioris fortunæ sponsi in privatis civium ædibus capacioribus choreas duxerunt.

Inscriptio portæ Calvæ hoc anno facta est talis: *Civitatem melius tutatur amor civium, quam alta propugnacula. 1536.*

Novus Consul. Obiit Petrus Tilius Cos. circa Michaelis 13. Sept. d. ☽ Eligitur 1. Sept. d. ☿ Joh. Hass tum primum factus est Consul.

Templa D. Petri & S. Crucis fulmine tanguntur. Tangitur fulmine templum Petrinum & in templo S. Crucis ad Christi Cenotaphium lignea imago Salvatoris, quæ in sepulcrum reponi solebat, in duas partes diffinditur, fornix præterea inferioris templi perforatur, ita miraculose, ut quasi ictu globi tormentarii foramina facta viderentur. Ostenduntur etiamnum hodie, videre cupientibus. Sexto Novembr.

Incend. ante portam Nissensem. inter horam noctis septimam & octavam incendium ante portam Nissensem vastat totam Hoteranam plateam duabus domibus exceptis, duravit incendium usque ad diluculum. In cellis atque conclavibus domorum suffocantur homines octo.

Consule Francisco Schnittero.

Christoph Lasius novus Gymn. Rect. Præfuit studiis puerilibus M. Christoph. Lasius Argentinens. & seq. aliquot: qua de re sic Æmilius in suo Propemtico de Gorlicio loquens:

Fallor, an hic etiam culto docet ore juventam
Lasius, Argenta maximus urbis honos?
Mollia qui facili deducit carmina filo,
Carmina vel Phœbo judice digna legi.
Hunc ego, non aliquo quamvis mihi fœdere junctus
Notitiæ, solo nomine notus erat.
Ob commune tamen studium, nomenque poetæ
Complexus tacito semper amore fui.
Si libet, huic blandam de me quoque ferre salutem
Munificus vobis forsitan hospes erit.

Varia subit munera Ecclesiastica, simulque fata sinistra. Ac circumfertur etiamnum hodie scriptum ejus, quo doctrinæ & disciplinæ scholasticæ rationem senatui reddidit. Cæterum Lasius postea cum ad Theologiæ studium animum applicasset, verbi divini ministrum egit Leonti, Monostabii & aliis in locis, pulsusque ex singulis sponte tandem in Marchia substitit, ubi in tertio suo, ut ipse scribit, exilio Psalmi XVI. enarrationem sub κειμηλίου aurei titulo edidit, cum præmissa Phil. Melanchthonis præfatione. Sponda Cüstrinum vocatus est, & inde post Joach. Cnemiandri obitum Corbusium, quo venit A. 1569. 27. Apr. factusque est ejus oppidi pastor & Superintendens. Discessit iterum eodem Anno in natalitiis Christi, Successoremque accepit Joh. Teclerum Zulchovianum Silesium Seniorem Sacræ Theol. Licentiatum Andreæ Musculo ὁμόγαμβρον. Hiemem reliquam Senfftenbergii hæsit. An. 1568. mense

Scribit contra Flacium. Januar. Zizæ in exilio edidit prælibationem dogmatis Flaciani de conversione hominis, tres ejus absurditates cum Scriptura pugnantes demonstrantem, quod nimirum fit immediata, involuntaria & insensibilis, idque ut lectori gustum præberet totius controversiæ, de qua justum volumen expectaret. Libellum Vitebergæ excusum in 8vo chartis 4. Collegio Ecclesiastico artis Augustanæ dedicavit. Eodem Anno Mense Martio Custrini vulgari lingva ejusdem argumenti opusculum emisit Francof. ad Oderam 8vo chartis 7. impressum ad Ecclesiam Augustanam, a cujus ministris, cum Augustæ Vindelicorum esset, ut eum laborem sumeret, vel potius jam susceptum continuaret, rogatus fuerat. In eo rursus integrum opus promittit & quartum Conversionis Flacianæ contra fundamentum errorem addit, videlicet quod sit essentialis. Inter alia etiam confirmat, optasse Lutherum, librum suum de servo arbitio adversus Erasmum Roterodamum aliter esse scriptum, & quidem retractasse eum hanc opinionem

nionem multis in locis. His scriptis eodem anno responsionem Germanicam opposuit Matthias Flacius Illyricus ad eandem Ecclesiam de peccato originali, libero arbitrio, conversione & regeneratione, in qua ex narratione quadam impressa M. Andreæ Hujeti pastoris Brandeburgensis insimulat Lasium, quasi is A. 1548. librum Cæsareum *Interim* vulgo dictum, Spondæ primus omnium sit amplexus, & circuitus processionum, quas vocant, sive supplicationum, cum crucibus & vexillis illis legionariis ibidem instituerit. Vidimus & cujusdam M. Anthonii Othonis Hertzbergens. responsionem germanicam ad Germanicum, de quo diximus, Lasii libellum. Extant præterea quæstiones Lasii de essentia & voluntate divina, item aliæ de confessione Lipsiæ ab Ernesto Vogelino populari lingva excusæ, item libellus super Symbola & alia plura.

Flacius respondet.

Hoc A. Nonis Febr. nascitur Gorlicii Jonas Hermannus poëta elegans. Duodevigesimo ætatis anno Vitebergæ edidit *historiam Jonæ elegiaco carmine*, ut omnia, conscriptam ad Bonaventuram Gallum Capituli Vratislaviens. Cancellarium A. 1559. Viennæ Austriæ inter alia Epithalamia Jo Drebero Hexapolitano Lobaviensi scripta hujus etiam carmen gratulatorium prodiit, una cum *ἐτεοστίχῳ* nuptiarum diem, simul & mensem comprehendente, alegiaco item in Insignia familiæ Dreherorum & Epigrammatibus præterea duobus, in quorum priori Octosticho initiales & finales versuum literæ habent Symbolum Dav. Dreheri fratris: Refugium meum Deus. Insequenti anno ibidem declamationem in natalem Christi, quam publice pronunciaverat, amisit, cum præfixo Cropacii epigrammate, impressam chartis duabus in 4to apud Raphaelem Hoffhalter, in cujus officina typographica tum emendationi librorum præerat. Laurea poetica coronatus est An. 1560. die 17. Jun. in aula Archi-Gymnasii Viennens. per Petrum a Rotis Belgam Contracenum J. V. D. tunc Domini Adami de nova domo præceptorem, una cum Petro Pagano Waodefridensi Hesso & Casp Cropacio Pelsnense Bohemo: quo loco Historiam Goliathi gigantis a Davide puero cæsi recitavit, & de fabula Orphei quæstionem Vito Jacobæo P. L. proposuit, in cujus responsione hi de illo versus leguntur:

Jonas Hermannus poeta celebris.

Laurea donatur Viennæ.

Nissa sui merito quoque nomine gaudet alumni,
Cujus serta sacros cum velent laurea crines,
Accessisse novum patria videt ornamentum.

Extat actus totus Coronæ poeticæ titulo editus in 4to chartis quindecim & Maximiliano Austriaco tunc Bohemorum Regi a promotore dedicatus. Adjectum est ad calcem inter alia Casparis Pridemanni carmen gratulatorium, in quo his eum alloquitur versibus:

Nec te Lusatiis Hermanne parentibus orte,
Poeniteat Phœbi studio coluisse sorores
Pierias, an non posit res mira videri.
Jonas nomen habes, nomen signare Prophetam
Quis nescis? divus nunc ergo poeta Propheta
Jungitur, insignes titulos & nomina gestat,
Egregio magna quod laudis nomine pondes,
Adspirante Dei cœlestis numine præstet.

Aliud item Pauli Salleri Halani Tyrolensis, cum hoc ejusdem elogio:

Vox octava suo veluti ferit aurea cantu
Sidera, diversoque animos movet ipsa colore:
Sic argutafacis suavissime carmina Jona;
Carmina, qua Musa laudant & candida Pallas,
Te colit Aonidum chorus & ter magnus Apollo
Teque cupit fieri votis Heliconis alumnum
Qui reliquos non odit, amet tua carmina Jona.

Extat & in effigiem, & insignia Hermetis Schallauzeri, Regis Ferdinandi architecturæ magistri Hermanni Carmen, quod hoc Pentametro clausit: Mordaci virtus non caret invidia.

Epicedion item Fardinandi & alia.

Formator fuit postea adolescentiæ supra memorati Dn. Adami a Neuhaus ejus, qui avum *ὁμώνυμον*, Regni Bohemici Cancellarium & Procerum ejusdem facile principem, patrem vero habuit Joachimum, qui cum & ipse esset regni Cancellarius A. 1565. prid. Id. Xbr. h. e. in vigilia Luciæ hora IIX. ante meridiem ad Viennam rupto pontis jugo in Danubio periit. Deinde erudiendis Caroli Austriæ Archi Ducis pueris nobilibus præfectus est. Tandem, cum in possessionem bonorum Josiæ fratris demortui venisset Bethoviæ, primario Stiriæ oppido ibidem obiit annos XXX. haud multum supergressus, abundeque quantumvis *ἀκύμορος* expertus id, quo pro symbolo usus fuit: Miscentur tristia lætis.

15. Maj. qui fuit dies Urbani, ingressus est Rex Ferdinandus Gorlicium. Ingredientem utrinque stipant a dextro quidem latere Franciscus Schnitterus Cons. a sinistro vero M. Joh. Hassus. Commoratur biduum senatu sustinente totius aulæ sumtus. Ingredienti regi scholastici inter alia hoc quoque distichon Lasio autore ei occinuerunt:

1538. Rex Ferdinandus Gorlicium ingreditur.

Accipe, Rex, blanda ferimus quam voce, salutem,
Et nobis pueris innocuisque fave!

Circa purificationis (Mariæ) mirabilis morbus cœpit, quo correpti biduum aut triduum non supervivebant; grassatur usque ad Pascha.

Morbus grassatur.

Consul Caspar Stuntzelius.

Am Tage Urban ist allhier zu Görlitz ein-kom-

Germanice ingressus

kommen König Ferdinandus König zu Ungern und Behmen um 14. Uhr. Ein Rath ist Ihr. Maj. entgegen geritten mit 100. Reutern von der Bürgerschafft gekleidet mit Leibfarben Lindisch, mit Seiden roth und weis durchzogen. Der oberste Stadtschreiber hat Ihr. Maj. zu Marckersdorff angenommen. Bald hernach im Hereinziehen sind Ihr. Maj. entgegen kommen 1. Fähnlein Fuß-Volck aus den Handwerckern, roth und weiß gekleidet mit langen Spiessen und halben Hacken, daran Ihr. Maj einen Gefallen gehabt. Item bey der Leimgruben hat das Geschütze gestanden gantze Kartaunen und Schlangen, und kleine Feld-Geschütze, die hat man lassen abgehen, und hat von dem Schiessen auf der Lands-Kron sehr gebrandt. Item ein wenig besser herein hat Ihr. Maj. angenommen der Rath in schwartzer Bürgerlicher Kleidung und grosser Reverentz neben Ihr. Maj. herein gegangen, biß zu St. Peter, die Stadt ist in allen Häusern am Einzuge mit Mayen bestecke gewesen und Graß gestreuet worden, und haben die Knechte, so ein Fähnlein gewesen, einen Schwanck gemacht vom Reichenbacher Thor an biß an die Kirchen, darzwischen Ihr. Maj. eingezogen: Man hat auf den Thürnen und Pasteyen lustig geschossen. Item inwendig am Thor haben Ihr. Maj. angenommen mit grossen Proceß die Münche und Pfaffen in ihren besten Meß-Gewand, Monstrantzen und Kelche entgegen getragen. Item es sind 40. Schüler in Chor-Röcke gekleidet und mit schönen Ketten creutzweise behängt gewesen, daß 10. Paar jeder ein Kreutz-Fähnlein getragen, und neben Ihr. Maj. biß an die Kirche gegangen, da Ihr. Maj. vor dem hohen Altar gekniet und gebetet; Man hat in der Kirche beyde Orgeln geschlagen, und gepfiffen. Da die Schüler Ihr. M. in die Kirche geleitet und sich geneiget, hat Ihr. Maj. gesaget: Lieben Kinder, ihr habt einen gnädigen König. Nach gehaltenem Gebeth ist Ihr. Maj. aufs Rathhauß verrücket, 2. Nacht daselbst gelegen. Den andern Tag durch die Hotter-Gassen, so abgebrandt, und durch die Kahle geritten, darneben Herr M. Joh. Haß und Frantz Schneider, da Ihr. Maj. mancherley geredet und gefraget. Am Montag früh ist Ihr. Maj aufgebrochen und nach dem Buntzlaw über die Heyde gezogen. Auf diese Zeit da Ihr. Maj. allhier gewesen, hat man 5erley fremde Bier geschencket, Freyberger, Camitzer, Sittisch, Laubanisch und Kottwitzer Bier, und 20erley Weine. Ihr. Maj, hat diejenigen, so ihr zu Ehren entgegen gezogen, mit etlichen Fässern fremden Bier verehret.

Ferdinandi descriptio.

1539. Puer plaustrarii cujusdam filius amissus, per aliquot septimanas in sylvis tanquam fascinatus circumducitur: inventus patri restituitur.

Puer amissus inventur.

Excitavit vel potius incendio consumtum restituit M. Joh. Hassus iterum Cos. tectum lateritium ejus partis mœnium, quæ insigni templo D. Petri vicina pergulæ vel podii instar se habet. De eo fecit Tetrastichon M. Christ. Lasius istud:

Tectum lateritium templi Petrini restauratur.

Hic ubi nuper erant veteris vestigia flammæ,
Mœnia nunc tecto versicolore nitent.
Hassus tam tristes voluit reparare ruinas,
Debetur merito gratia magna suo.

Fastigium & tectum Cyprium turris Nissensis perficitur.

Tectum Cyprium turris Nissensis.

Ferri officina & fodina ad saltum Gorlicensem est, quæ nova domus zum neuen Hause dicitur. Ibi cum rustici quidam in suis dominibus potestatem fecissent Anabaptistis concionandi, senatus per suos præfectos villas illorum exuri curat: quidam ex rusticis carceris pœna afficiuntur. 15. Jul.

Anabaptistæ concionantur rustici hoc permittentes puniuntur.

1540. Nascitur Gorlicii Bath. Scultetus opt. artium & Philosophiæ Magister, qui exquisita universæ Mattheseos scientia & usu, plerosque nostri seculi artifices facile æquat, si non superat. Is igitur 14. Maj. (vel ut ex ipsius B. S. autographo: Natalitius meus 13. Maj. d. 4 ante Pentecostes festum) tribus horæ quadrantibus post medium noctis.

Bath. Scultetus nascitur celebris Mathematicus.

Incipit ædificare arcem suam in Königshain Joach. Frenzelius. Idem nuptias celebrat cum Franc. Schneideri filia 13. Sept.

Wendelinus Roßkopff lapicida cisternam lapideam novi fori ædificat in autumno.

Cisterna lapidea ædificatur.

Siccitas non cadentibus pluviis intra sex septimanarum spatium usque ad Viti. Post omnium sanctorum ea fuit aëris caliditas, ut pecora plus haberent pabuli circa Natalitia, quam habuerunt in æstate circa Johannis.

Siccitas ingens & calidior hyems.

Ad trium Regum copiosissima & altissima nix cecidit, quam excepit frigus asperum & intolerabile.

Frigus asperrimum sequitur.

Joh. Commerstadius die Ægidii, qui apud nos est ἀρχαιρεσία h. e. magistratus creandi dies creatur Consul. Ejus filius Hiobus Commerstadius vir doctus, cui in secundo libro Epigrammatum Andreas Tricesius Eq. Polonus Epitaphium scripsit hujusmodi:

Novus Consul.

Hic Commerstadius post ultima fata quiescit
Lusatia è clara nobilitate satus.
Cui nomen Jobi merito imposuere parentes,
Namque omni vitæ tempore multa tulit.
Incertum culpa ne sua, fati ne, sed illud
Est certum, quemvis quod sua fata trahunt.
Fata trahunt omnes; dederunt huic fata, quod æquo
Plus lingva quovis judice, liber erat.
Diogenem ut Cynicum ni secula prisca tulissent,
Diogenes nostri temporis ille foret.
Atque adeo Samii sapientis opinio vera,
Si foret, ut priscis extat in historiis.
Crediderim Jobum Cynici sapientis in istam
Emigrasse animam & fata tulisse sua.

Ad-

Advenisse animam sic credidit Ennius olim
In corpus vates, inclute Homere, tuum.
Qui pius es, miseros manes lacerare caveto,
Si non vis nomen vulturis esse tibi.

Imagines gentilitiæ, quæ monocerotem præ se ferunt, in vestibulo Chronici Merseburgensis Ernesti Brotufi depictæ spectantur.

Genealogia Commerstadiorum.

Theodoricus Commerstadius, ejus uxor Anna de Betschitz Misniæ An. 1538. cum Epitaphio, quod sub eo anno vid. in Annalibus Urbis Misnensis f. Fabricii.

Georgius D. Juris, Ducis Saxoniæ Electoris Consiliarius, Vir magnificus, sapientia Virtute & nobilitate generis præstans. Ad hunc extant Melanchthonis aliquot epistolæ lib. 2. Epl. P. a Pencero editarum p. 353. Eidem Mauritii Principis Consiliario G. Agricola duos libros de veteribus & novis metallis dicavit. Moritur Calcereuti arce sua VI. Cal. Jan. 1560. Reinersdorfi sepultus, excellenti dignitate tota vita præditus & Ducum Saxoniæ quatuor Consiliarius: Fortunæ inter homines felicis, ut Fabricii verbis utar, exemplum.	Nicolaus presbyter Misniæ, pastor Ecclesiæ ibidem in Afrano A. 1543. quo ludus illustris apertus est zu S. Affra.	Johannes bacularius Gorlicii postea Consul Anno 1540. & iterum A. 1544. Quinque uxorum maritus. 1. Anna vidua Valentini Langschneideri, mortua An. 1508. 2) Katharina 1517. 3) Margaretha, Filia Matth. Wünsches, ex qua genuit Joh. suum primogenitum. 4) Catharina filia Marci Heinzes, ex qua genuit 7. liberos. 5) Barbara 1538 in vigilia Matth.	Katharina.

Liberi Johannis:

Hieronymus D. ei dedicavit Melanchthon Metaphrasin quadripartitæ Ptolomæi Præfat. extat in 4. tom. decl. p. 345. Hic Hieronymus 1557. Canonicus Mersehurgensis, &, sicut loquuntur, in quasi possessione prælaturæ fuit.	Jobus, de eo præcedens epitaphium.	Henricus stirbt Lips. 1559. ein Studiosus, ward ins Paulinum begraben.

1541. Georg-Thilenus Scholæ Rector. Commendatur schola *M. Georgio Tileno* Soraviensi, qui pastor Goldbergensis deinde fuit, in schola Gorlicensi tum orationem habuit Trocedorfius die ☽ dominicam Trinitatis proxime consecuta.

Reichenbacher Pastey perficitur. Propugnaculum portæ Occidentalis f. Reichenbachianæ perficitur circa Bartholomæi.

Michael Schwartz Consul.

1542. Ingens multitudo locustarum ex oriente. 31. Aug. ex plaga Orientali tanta multitudo *locustarum* hanc regionem invasit, ut aliquibus in locis talos ingredientium attingerent. Ubicunque se dimittebant, depascebantur omnia. Abigebantur sonitu pelvium. Et quia per hiemem manebant sequente æstate nova soboles ex ipsarum semine enata; plurimum incommodi agris intulit. Industria vero oppidanorum & rusticorum longis scrobibus actis & in eas antequam evolare possent, depulsis, ac deinceps aggesta terra scrobibus oppletis facile fuerunt repressæ.

Casparus Sturzelius secundum creatus Consul die Ægidii.

In natalitiis *verba Cœnæ* primum vernacula lingva lecta sunt. Verba cœnæ Germ. lecta.

1543. Organicen removetur, mox restituitur. Joh. Arnoldus, vir senatorii ordinis, quia in templo Petrino organon Musicum, quod follium aëris inflatu per fistulas sonum edere solet, increpuisset, sequente die Veneris removetur per Consulem, ipso Arnoldo etiam ignorante. Restituitur anno sequente. Tum autem temporis senatus non peculiarem alebat organicinem.

M. Job. Hasfus, tertium & ultimum Consul.

Monachus quidam in turri Monasterii se suspendit 2. Jul.

1544. Nosocomium ad n..atur. Ædificatur ad Nissum Nosocomium pro iis, qui morbo Gallico essent correpti.

M. Georg. Otomannus. Joanne Commerstadio iterum Consule, demandatur provincia regendi ludi literarii, Gor-

licen-

novus Scholæ Rector

licensis *M. Georg. Otomanno* circa festum Michaelis. A. deinde 1548. cum uxore, quam anno præcedente 1547. 28. Novembr. duxerat Sabini Francis. Schnitteri Cos. F. Lipsiam proficiscitur, ibique Oratoriæ artis Professor est aliquandiu; postea in patriam reversus iterum scholam rexit usque ad annum 1560. Sed de Ottomanno ejusque familia pluribus dicendum est.

Ejus Familia.

Patrem habuit Georgium Thomam senatorii ordinis virum An. 1568. 20. Sept. mortuum, ex honestissima & laudatissima Otomannorum familia, cujus in illustrissimo Silesiæ Ducatu & Leobergæ fuerunt & Vratislaviæ etiam nunc sunt ornamenta & decora vel maxima.

Annæbergum taceo, qua & ipsa in urbe tunc cum primum cœpta est extrui & coli auspiciis Henrici Ducis Saxoniæ. An. 1494. Christoph Ottomannus sedem rerum suarum collocavit, ut testatur filii ejus *Matthæi Epitaphium*, quod Vitebergæ extra templum Parochiale autore Petro Vincentio tale legitur:

Epitaphium Matthiæ Otomanni.

Hic satus antiqua Matthæus origine gentis
Frigida deposuit corporis ossa solo.
Hic Otomannus erat: proavis cui magna paternis
Magnaque materno gloria venit avo.
Urbe Silesiaca qua labitur amne Viadrus.
Præcipuum meritis gens tulit illa decus.
Qua vix illa fuit Christi nec amantior æqui
Promtior ad verum sponte nec ulla decus.
Quæ nomen tenet Anna tuum generosa metallis
Advena montana claruit urbe pater.
Illic fœcunda cumulatus pondere vena
Prætulit haud summis ista caduca bonis.
Inter honorati felicia pignora lecti
Plurima, quæ casta cura parentis, erat.
Indole virtutis patrii non degener ortus
Matthæus fausto sidere natus erat.
Aonas in montes ductus juvenilibus annis.
Artibus excoluit pectora, Phœbe, tuis,
Quid loquar ingenuos mansueto pectore mores,
Quantus & in vita fulsit & ore pudor.
Inculpata fides, probitas sine crimine & arsit
Pectore, te veram Christe fovente fidem.
Se tibi se viti generosi palmitis instar
Salvifica & insertum credidit esse fide.
Denique te precibus morbo superante vocavit
Perfruitur vultu nunc quoque Christe tuo.

Obiit sancte & feliciter Vitebergæ IV. Mart. A D. 1562. ætatis suæ XVI. Natus autem fuit Christoph. Vratislaviæ, & fratres habuit Sebastianum equitem auratum & Nicolaum præcipuæ in Vratislaviensi Rep. auctoritatis senatorem, qui filias reliquit multas & decem filios, inter quos natu maximus annum ætatis excesserat quinquagesimum, pater Nicolaus, qui annum attigit nonagesimum quintum, ut narrat scriptum a Rectore Academiæ D. Joh. Schneidewein. J.C. in funere Matthæi P. P.

Ottomannorum familia in Gallia propagatur.

Quin & in Gallias Otomannorum Coloniam (ut ita loquar) deduxit, plus centum abhinc annis adolescens nobilis ex eadem familia prognatus, qui ob levitatem quandam amatoriam a patris iracundia profugus Lutetiam Parisiorum venit, & illic viduam juvenem duxit, ex qua XVIII. liberos suscepit, inque his patrem Clariss. J. C. Francisci Hotomanni Villierii.

Franciscus Hotomannus, s. Otomannus.

(Nam & hoc prædii sive feudi nomen propter patrimonii sui, cui multi insidiabantur, periculum, in lucubrationibus, quas edidit præclarissimas, usurpavit Franciscus, cum Genevæ primum apud D. Joh. Calvinum octennium integrum, postea & Argentinæ multos annos exularet) Ac scribit Franciscus ipse in quadam ad Melanchth. epistola, hoc suum patrem senatoris Parisiensis munere, quoad vixit, ita functum, ut amplius mille Christianos, h. e. sinceram Evangelii doctrinam amplexos Martyrio affecerit, & ne a filio quidem nisi mature is in Germaniam evasisset, manus impias prohibiturus putaretur. Idem in quadam ad Maximilianum tum Bohemiæ Regem præfatione profectionis in Gallias avi sui meminit. Et nos de Otomannorum familia pleraque hæc perstrinximus in Epithalamio, quod Chriph. Hainsio Fridebergensi Reip. Gorl. ab Epistolis scripsimus, cum is Mariam filiam Georgii Otomanni natu maximam duceret A. 1568.

Vita Georgii Otomanni.

Redeo igitur nunc ad Georgium. Is Goldbergæ Trocedorfii discipulus & συνάστιος fuit. Sed & D. Joh. Trogerum Physicum Gorl. in Epistolæ cujusdam ἐπιγραφῇ præceptorem agnoscit. Habuit enim is privatas adolescentum tam peregrinorum quam civium scholas. Cum gradu Magisterii Philosophici ornatus esset Vitebergæ, regendi ludi literarii Gorlicens. provincia ei mandata est a Joh. Commerstadio iterum Cos. circa festum Michaelis An. 1544. A. 1547. uxorem duxit Sabinam Francisci Schnitteri Cos. filiam postridie Cal. Decemb. In sequenti anno Lipsiam cum uxore profectus est, ibique Oratoriæ artis Professor fuit aliquandiu. Postea in patriam reversus, iterum scholam rexit usque ad annum sexagesimum, idque tanta cum laude fidei, industriæ, dexteritatis & felicitatis, ut facile Trocedorfii discipulum agnosceres, & Melanchthon ipse, cum alias carum eum haberet faceretque maximi, & in libris appellaret συμφιλόσοφον suum, tum affirmare non dubitaverit jacturam quam fecisset morte Trocedorfii Silesia, unum omnium optime & facillime sarcire superstitem Otomannum, qui illi nulla parte inferior sit aut secundus. Et extat ad eum etiam tum Ludi-Magistrum carmen Sapphicum Græcum bene longum Mich. Neandri apud Commentarios hujus in Tryphiodorum. Tandem a schola ad Remp. se contulit & An. 1562. in senatum lectus est,

est, factusque syndicus ac consiliarius patriæ supremus, cui tum aliis in rebus tum obeundis inprimis legationibus præclaram sæpe operam navavit. Postea Cos. A. 1569. die Ægidii primum factus est. Habuit autem & patruum Oyvinensem Præpositum, virum eruditum, ut de multis sermonibus Francisci Kratzeri Sittaviensis, dudum Præpositi Gorcensis, nunc jam Saganensis Abbatis, qui puer ab eo alitus est & mensæ consecrationes ab hoc suo nutritio versibus Phalœciis compositas sciscitanti mihi recitavit, meminisse possum.

Commissarii Cæsarei Gorlicium veniunt.

Cæsarei Commissarii veniunt Gorlicium 30. Novembr. qui erat dies Solis & festus Andreæ Apostoli: ac omnia aurea argenteaque κειμήλια utriusque templi Petrini & Monachorum inspiciunt, appendunt, annotant, annotationem Cæsari offerunt.

M. Hassus Synd. & Cons. moritur.

Moritur M. Joh. Hassus Syndicus & Cons. Ejus Epitaphium picturam Lazari resuscitati continens in templo D. Petri spectatur hujusmodi:

M. Joh. Hasso urbis Gorlicii Syndico consulique laudatissimo, mortalium nulli integritate pietateque secundo, immortalitatis jam arcem summam Christum fide, Reipublicaque amore promerenti, Annos circiter septuaginta tres nato, liberi heredesque mœsti posteritatis ergo posuere, qui vivere desiit A. a Christo nato 1544. XV. Apr. Carolo V. ter max. Imp. Aug. & Cæsare Ferdinando fratribus orbi imperantibus.

1545. Tectum templi D. Nicolai mutatur.

Tectum ligneum templi D. Nicolai removetur 18. Maj. & intra templi muros eo quo etiamnum cernitur modo, ponitur.

M. Wolffgang novus Ecclesiastes.

M. Wolfgangus primam suam concionem habet die 6. Decembr. qui fuit dies ☉ Nicolao sacer, postquam secundum ad ministerium docendi Hirsberga Gorlicium fuisset vocatus.

Franc. Schneider Cons. creatur. 433.

1546. Conjux Cæsaris Gorlicium venit.

25. Maj. qui fuit dies ♂ Anna Regina Bohemiæ Ferdinandi Cæs. uxor, mater Maximiliani ex Silesia Gorlicium venit, cum 800. equitib. comitata duabus & filiabus & filio Maximiliano. Abit post triduum d. 28. May.

M. Jac. Röslerus fit Cons. die Æg. in locum Casp. Sturcelii valetudinarii. *Sturcelius moritur* A. sequente 1547.

Ventus ingens. Pons Nissi extruitur.

Maximus ventus Gorlicii in silva multum damni dat. Ex dejectis ligneis anno sequente fabro Joh. Seibot extruitur pons ligneus, quo transitus Nissi conjungitur longitudine ulnarum 121. Ædile Matth. Seilero.

Cons. Franciscus Schneider.

1547. Senatus Gorlicensis ap. R. Ferdinandum delatus incarceratur.

Hic est infelix ille annus, qui cum cæteras hexapoleos urbes, tum hanc patriam nostram in eas miserias tanquam grande æs alienum immersit: ut in eo adhuc hæreat, nec emersura sit, dum fundamenta urbis reliqua erunt. Mense Augusto vocatur Pragam totus senatus cum senioribus ex collegiis opificum personæ circiter 27. Advenientes in carcerem conjiciuntur omnes, excepto uno Franc. Schnittero Cons. qui tamen palatio arcis circumscribitur, quem terminum ei transgredi non licebat. Causa erat Capitalis, & jam in omnem eventum sese Cæsari dediderant. Dimittuntur autem ex clementia Cæsaris, sed irrogata mulcta 40000. florenorum, ademtis simul huic urbi omnibus armis bellicis, omnibus κειμηλίοις templorum, omni jure, quod habebant in pagis, in saltu, in suppliciis capitalibus

mulctatur.

Tormentis & apparatu bellico privatur.

Tormenta bellica ex armamentario, turribus & propugnaculis auferuntur circiter 500. inter quæ duo tantæ fuisse magnitudinis, ut singula 16. equis traherentur. Argenti facti centenarii ponderis quinque ex templis sunt exportata. Infinitus fuit numerus tonnarum pulveris tormentarii, hastarum aliorumque armorum bellicorum. Denique si recte quis repuret, quinquies centeno millium aureorum jacturam tum urbs fecit.

(48. grosse Stücke. 2. gar grosse Stücke. 200. Doppel-Hacken. 200. gantze Hacken. 200. Ct. Pulver. 800. lange Spiesse. 400. Helleparten. Harnisch auf 100. Mann zu Roß und auf 300. zu Fuß. 40000. Marck Geldes und 7. Ct. Silbers aus der Peters-Kirchen den Verlust der Görlitzer rechnet man auf 500000. Marck.)

Vindicta divina in delatores.

Jam igitur inermis, egens ac nervis accisis mœsta dolensque sedet, deplorans non suum tam triste incommodum ad sui Principis aut regni commodum redundasse: sed fuisse harpyjas aulicas, qui tantam pecuniæ vim Cæsari extorsere, præmium scil. meritorum suorum. Sed agnoscunt jam illarum harpyiarum posteri pennas in vulneribus suis, redactis plerisque ad extremam pauperiem & suo exitio comprobantibus, quod dicitur: *De male quæsitis non gaudet tertius heres.*

Ebrius privignus ebrium vitricum confodit.

Poena.

Hanc miseriam antecessit funestissimus Casus, qui vulgo ominosus habitus est. Die namque Martis post Esto mihi, h. e. ipso die Bacchanaliorum Gregorius Cunradus ebrius, ebrium Vitricum suum Georg. Gerbigium, quem cognomento germanice nominabant: den alten Oelmann, vesperi in hypocausto ædium Gerbigii, quas in longa platea sitas hodie Jac. Grunder incolit, transfodit. Homicida post perpetratum facinus ipse accurrit ad vigiles civitatis & de cæde significat. Capitur igitur & mane capite plectitur, atque ambo tam pater, quam filius uno sepulcro conduntur.

Fridericus Dux Lign. Gorl. commoratur.

Complures septimanas hic commoratus est Fridricus Dux Lignicensium & mirabiles nugas tractavit. Potationes instituit quas cum alutariis in multam sæpe noctem producebat, portis civitatis interea patentibus. Eum visitatura ejus conjux huc venit 13. Febr.

Mittwoch nach Elisabeth hat der Lands-Hauptmann Casp. von Nostitz auf Rottenburg an der Stelle des Burgermeisters auf dem Rathhause gesessen, und die Zinse von den Land-Güthern eingenommen, so der Stadt gewesen.

1548. Novus Sena-

14. Jul. per Commissarios Cæsareos senatus crea-

tus remoto priore consti tuitur. creatur remotis prioribus senatoribus, excepto Francisco Schnittero Conf. M Röslero, Francisco Lindenero prætore (non senatore, ut moris fuit tum temporis, daß ein Richter ausser dem Rathe gewesen) & Michaële Schmidio.

1549. Pagi & arma restituuntur. Redduntur Gorlicensibus a Cæsare pagi quatuor Moyß, Kyseln, Bißnitz & Neundorfum: quædam item prata & silvæ cæduæ cum aliquot armis tam iis, quæ ἀμυντήρια, quam quæ Φυλακτήρια dicuntur. Harnisch und Hock. Hoc anno venit Gorlicium M. Andreas Missenus Diaconus Ecclesiæ Gorl.

12 Jun. designatus Conf. Mich. Schmidius.

1551. M. Göritz Lipsiæ moritur. Moritur Lipsiæ M. Joh. Goritz Gorlicens. sepultus in templo Paulino, tumulo ejus hæc incisa sunt verba:

M. Joh. Goritz Gorlicens. judex Lipsens. relicta præclara nominis fama, quam sibi judicii æquitate, bonorum defensione & improborum odio paraverat immortalem, pie decessit, An. MDLI. die XVI. Decembr. vixit an. LI. Mens. XI. dies XVI,

Affixa est & tabula cum hac inscriptione: *M. Johan. Goritz marito charis.* Margaretha Gothana uxor, acerbo in officio diligens, monumentum hoc cum lacrymis P. M. M. M. M. M.

1552. Impetus venti, Pestis. ☉ post Trium Regum ventus tectum turris Marianæ dejecit. Pestis circa Michael incipit & durat usque ad natalitia Christi. Dietim ut minimum sex, ut plurimum 13. moriuntur.

An. eod. Marggraff Hanß von Brandenburg zu Görlitz einkommen mit 1200. Pferden und 88. Wagen Krieges-Rüstung.

1553. Ferdinandi adventus. 29. Apr. *Ferdinandus Archi-Dux* Gorlicium venit cum 300. equis.

Penzigium & saltus Gorl. redimitur. Rediumunt Gorlicenses a Cæsare Penzigium & saltum Gorlicensem 80000. florenis: solvendis spatio annorum quindecim 60. crucrigeris (Creutzer) in unum florinum computatis.

Pestis. Pestilitas rursus cœpit circa Encœnia, moriuntur homines 700. Scripsit tum consilium de peste Ordinarius Medicus D. Joh. Sigismundus.

Past. Prim. obit. *Wolfgangus Sustelius* Passaviensis Concionator primarius obit 17. Octobr. testamento facto pro pauperibus luculento.

1554. Ferdinandus Archd. Gorl. venit. 17. Oct. *Valentinus Hassus* a Commissariis regis Conf. creatur. 27. Oct. Venit Gorlicium *Ferdinandus Archi-Dux* comitatu personarum 300. Commoratur ad diem usque 5. Novemb. quo Prihusium versus profectus est. Penzigii, quo venatum prope quotidie exspatiatus est, intra triduum confecit 20. apros & 10 capreas.

Incendium Hennersd. Montag nach Quasimod. war der 2. Apr. ist zu Henners-Dorff bey der Stadt Feuer aufgangen bey Barthel Warmnest, einem Bauer zunechst der Mühlen (wie man sagt, er habe Fleisch geräuchert) um Vesper-Zeit, sind also 5. Bauer und 6. Gärtner abgebrandt. 8. Tage zuvor ist auch ein Gärtner abgebrandt.

Eod. an. 8. Apr. hat man allhier 2. Thore zugeschlossen das Frauen- und Niclas-Thor, weil der junge Marggr. Albrecht die 6. Städte wollen überfallen. Porta duæ clausæ tenentur.

Laubner-Brand.

Eod. an. Donnerst. nach Misericord. den 12. Apr. ist um 17. Uhr ein Feuer bey Fabian Henischen dem Stadt-Schreiber in der Görlitzschen Gassen auf dem Maltz-Hause aufgangen, da man gedörret, und ist in 3. oder 4. Stunden die gantze Stadt (allein das Korn-Hauß und Brüder-Thurn seynd blieben) in Grund ausgebrandt, die Pflaster-Steine sind vor Hitze zersprungen, die Nickel-Krengelin ist verbrandt mit 2. Mägdlein, Hor. 18. Das Feuer über die gantze Stadt gegangen, die Vorstadt vor dem Niclas-Thor ist mehrentheils weggebrandt, die Färbestuben, die Mühlen. Zu Berthelsdorff über dem Wasser sind 5. Höffe abgebrandt. Den Herbst zuvor hat es sehr gestorben, und nun mit Feuer gar verdorben. Auf diesen Tag um Vesper-Zeit wird Jährlich eine Feuer-Predigt gehalten, darinnen sich das Volck erinnert ꝛc.

Freystädter Brandt.

An. 1554. 6. Maj. des Morgens hor. 2. ist zur Freystadt bey Casp. Burckert Feuer auskommen für dem Cronischen Thor, sind 40. Häuser abgebrandt.

Goldberger Brand.

An. 1554. Dienstag nach Margaretha (17. Jul.) ist die Stadt Goldberg abgebrandt biß auf die Büttelen, hat auch zuvor allda gestorben, wie zum Lauben.

Dürrer Sommer.

Eod. A. Ist ein sehr dürrer Sommer gewest, das Vieh grossen Hunger gelitten, in Mühlen hat man wenig können mahlen, die Becker haben müssen auf den Dörffern als Leschwitz, teutsch Ossing, Rademmeritz und Schonau mahlen lassen; man hat um 1. Scheffel Mehl 2. Scheffel Korn gegeben, man hat auch in beyden Walck-Mühlen nicht können dicken, die Tuchmacher haben die Tuch müssen nach Lauban schicken.

Eod. An. Ist 1. Scheffel Haber um 24. gl. das Korn um 54. gl. Gersten 46 gl. Weitzen 48. gl. verkaufft worden.

14. Maj. am Pfingst-Montag hat Hans Oppersdorff Hauptmann 1000. Pferde durchgeführet, in der Stadt gewaltig geschossen, und hinaus nach Königshain zu Jochen Frentzeln gezogen, hatten 125. Wagen, und waren wohl geputzt.

Gorlicenses recipiunt a Cæsare tres currus sclopetis & thoracibus æneis & 4. currus longis hastis onustos. 1555.

Dominica proxima post natalem Christi 29. Decemb. ☉ intra 6. & 7. horam noctis horrenda tempestas oritur, cui similem non experta est civitas hæc hominum memoria, tali præsertim tempore, quo fulgura & tonitrua communi & usitato naturæ cursu insolita sunt. Fulmen 1556. Tempestas horrenda.

men tum Reichenbacensem turrim & vigilem in ea excubias agentem tangit, adurens primuo & consumens ejus ioterulam, postea cutem in tergo & cruribus ita ostulans, ut peoitus nigri carboois colorem referrent. Moritur tertio die post.

Vigil enecatur.

Senatus a Ferdinando *Soram & Neundorfum* 9500. florenis Rhenanis, uoo floreno pro 56. ✝. computato, emit ad 1. Maj. solvendis. Senatus vero eosdem pagos Joach. & Joh. Schmidiis vendit uncialibus argenteis. s. thaleris 12000 12. Sept. *fit Cons. Joach. Schmidius.*

Duo pagi emti mox venduntur.

Trocedorfius postquam Lignitii (quo scholam propter pestem transtulerat) biennium io exilio docuisset, diem suum obit cœlebs A. 1556. 26. Apr. subita Apolexia oppressus ioter docendum, cum cœpisset enarrare Psalmum XXIII. Dominus regit me, nihil mihi deerit. Sepultus est Lignitii in æde D. Johannis, in qua & Fridrici Ducis & reginæ Poloniæ Elisbethis uxoris ejus visuntur tumbæ. Saxo tumuli incisa est effigies ipsius cum hac inscriptione:

Trocedorfius mortuus Lignitii.

Clariss. Vir Valent. Fridl. Trocedorff. obiit
VI. Cal. Maj. A. MDLVI. ætatis LXVI.

Asculpta sunt Hebræa, qoæ circa effigiem ejus cernis & græcum hemistichium desumtum ex Epicharmi Epitaphio - Τοῖς παισὶ χρήσιμα ὤν. Cæterum de tota vita extat oratio Peuceri Tom. V. declam.

1557. An. 1557. Reddita est senatui potestas creandi senatum & Consules: fuitque tum primum designatus Cons. Franciscus Lindenerus 18. Octobr.

Senatui libera sui electio restituitur.

1558. Ad perticam aviariam ædificatur domus toxitarum, Annus comprehenditur his versiculis, qui ignotum quo autore, inveniuntur in ea domo creta ad parietem adscripti:

Armbrust-Schützens-Hauß ædificatus.

Lustra decem mill: & quingent: annos simul octo
Cum numerat, ædes has posuere viri.
Qui validis flexos incurvant viribus arcus,
Ut celeri telo dejiciatur avis.

Francisco Lindenero Cos. publice per præconem indicuntur novæ oundinæ deioceps quotaooisi 14. die post Pentecosten celebrandæ. Et promittitur illis, qui aliunde venales merces expositum venturi essent, immunitas ab illa pensione qoam vocant das Stätte-Geld in triennium.

Nova nundinæ.

Joachimus Steyrer Gorlicens. pileone patre natus, vir integerrimus & Musicus præclarus, ultra XXX. annos in patria ἐξάρχε s. Caotoris officio summa cum laude functus hoc anno 3. Id. Sextil. in viridi senecta terris ereptus & ad D. Mariæ sepultus est. Ei Joach. Meisterus ex tempore fecit Epitaphium tale:

Joach. Steyrer Cantor mortuus.

Dum canit & dulcem modulatur in aëre vocem,
Steyrerum sæva mors rapit atra manu.
Ne foret aut sacrum templis qui præstet honorem.
Aut superet Phöbum carmine, voce Deos.

Fecit & alius quispiam tale, quod in dicto templo creta adscriptum legitur, in Cathedra suggesto proxima:

Qui sacras cecinit laudes Joachimus in urbe
Gorlicia, hic recubans, nunc tibi, Christe, canit.

Moritur 2. Febr.

M. Jac. Röselerus Cons.

Moritur Schönbergi, ubi pastorem Ecclesiæ agebat, *Matthæus Fridricus* Gorlicius, lanii filius. Vernacula lingva edidit scriptum contra helluationis diabolum (sic enim titulum fecit) Erasmo Cunritz ab Lobschitz Eq. aorato patrono suo sive collatori dicatum An. 1551. Item Epistolam ad temulentos in Germania A. 1555. Alia etiam Sathanæ ad eos, qoi poculis æqualibus sese invitant mutuo, epistolam olim circa annum 1511. publicatam denuo evulgavit, civi Gorlicensi Joach. Frenzelio in Königshauno & Liebensteino, Viro nobili patrono suo inscriptam An. 1556. Edita primum seorsim singula, postea simul correctiora Francof. ad Oderam in 4to & ad Mœnum in 8vo.

Scripta Pastoris Schönbergensis.

Pietas aD oMnIa VtILIs. (annus natalis Dn. Georg. Rhonii)

26. Jul. Campana horologii in turrim Curiæ suspenditur. Fusa est a quodam qui Servatius dicebatur.

Campana suspenditur.

Eod. An. den Montag nach Jacobi hat man die neue Mauer von dem Niclas-Kirchhofe biß ans Creutz-Thor erbauet, und haben täglich 12. Maurer nach der Lochter gearbeitet, die Gemeine hat ieder einen Tag, so wohl die Bürger daran, oder einen an seine Stelle halten müssen.

Murus suburbanus extruitur.

8. Nov. hat man die Taffel aus St. Annä Kirchen auf den hohen Altar zu St. Petri gesetzt.

Zacharias Sculteta (hac enim inflexione ipse in autographis suis proximo ante mortem aono fuit usus) io patria febri quartana obit 9. Cal. Martii duabus ante meridiem horis anno ætatis tricesimo, cum oatus fuisset An. 1530. 19. Jan. Fuit multarum lingvarum peritus. Præclarissimum enim illud & immensi laboris opus, cujus in Mithridate suo vix primas lineas duxit Gesnerus, quodque se tentasse, sed iterum deposuisse scribit Illyricus in præfatione Otfredi, non conceperat tantum iochoaveratque hic noster, verum commentarios jam ejus confecerat adeo locupletes, ut specimen operis coacervatis & collatis inter se omnibus pene lingvis rei pecuniariæ vocabulis, amicis exhiberet & editurus videretur, si vita suppetiisset. Lexico universo symphoniaci titulum fecerat, imitatione opinor Sigism. Gelonii, qui post Rudolphum Agricolam & Joh. Dalburgium Vangionum præsulem viros omni memoria dignos,

1560. Zach. Scultetus celebris Lingvista obit.

gnos, quos in eodem instituto bonas horas collocare non piguit, λέξικον σύμφωνον græcæ, latinæ, germanicæ ac Slavicæ linguarum Basileæ edidit. Immatura igitur Sculteti morte magnam fecerunt φιλόγλωττοι jacturam. Excelluit idem & in Mathematicis disciplinis: sed ea in parte facile lenit nobis Zachariæ amissi desiderium frater ipsius germanus Barthol. Scultetus Mathematicus, de quo suo loco a nobis plura erunt dicenda. Zacharias solaria illa duo, quorum alterum in foro ad Hoffmanni ædes, alterum ad fratris sui consangvini Mich. Sculteti ædes visuntur, magno artificio descripsit. Ac in Hoffmanni quidem ædibus hi leguntur versus ascripti:

Inscriptiones solariorum ab eo confectorum.

Solarium.

Finitor trutina justo hic examine pensat
Schema, color tingit Zodia quaque niger.
Panicels Norica texuntur vestibus hora,
Ast Itala nectunt retia fune nigro.

Arachne.

Hora planetarum viridi est expressa colore
Et rubra ostendunt albaque plana domus.
Stamine deinde nigro contexta ascensio Solis,
Quo rutila Asimuth ordine norma secat.

Via Regia mutatur.

Auff Röm. Kays. Schaffen ist bey Zeiten Hrn. Valentini Hasses Amtes, die Strasse von Reichenbach aus, durchs Niederdorff verlegt worden, daß man nit mehr dürffen den hohen Weg auswendig dem Nieder-Thore zur Rechten hinauf fahren, welches denn fast schwer zugegangen.

An. eod. Moritur *Franciscus Schnitter*, Conf.

M. Lochmannus obit.

V. Decembr. moritur cholera *M. Joach. Lochmannus*, honesto loco Gorlicii natus, de quo annotare hæc modo visum est. Docuit in porta ad Naumburgum An. 1547. Mox insequenti A. Lipsiæ artium liberal. Magister factus est. Deinde hic in patria Scholam aliquandiu gubernavit. Tandem ad ministerium Evangelii se contulit in pago fraterno Nieda, ubi etiam mortuus est cholera Non. Dec.

1561. Globi S. turrium D. Petri reponuntur.

Quinque globi turrium templi Petrini versus Nissam tolluntur & reponuntur per Joach. Döffel seniorem & ejus filios Martinum & Joach. levis ponderis machinis seu tabulatis a fenestris turrium usque ad fastigium extructis, Mense Augusto.

Conf. Schmidius obit.

Moritur *Mich. Schmidius*, Conf. 16. Dec. æt. 62.

Manlius tum ei fecit Epitaphium:

Epitaphia.

Ter quinque exierant a nato secula Christo,
Undenisque annis addita lustra decem.
Cornua quamque Capri Phœbus tangebat aquosi,
Nixus coloratam cana tegebat humum.
Cum pius & nulli veterum virtute secundus
Fabricius generis gloria prima sui,
Jam senior placide superis concessit ab oris,
Inque tuo vivit nunc, pie Christe, sinu.

Sam. Jauch & Balth. Dirich Concionatores.

29. Sept. die Michaelis primam concionem habuit Gorlicii *Samuel Jauch* Freistadiensis pastor, item *Balth. Diterich* Diaconus.

Organum musicum majus renovatur.

Organum musicum majus templi Petrini renovatur additis duobus fistularum choris, pretium 250. Joach. Cœmiterium ad D. Nicolai muro septum.

1562. Impetuosus ventus plurimum damni dat.

II. Mart. circa 24. Hor. ventus terribilis turrim templi S. Annæ a Joh. Frencelio conditi dejecit, in cujus globo initium Evangelii Johannis & sacculus confectus ex sudario Christi reperta sunt. Dejecit & turrim templi Leschvicensis & Marckeradorffensis: horrea multa evertit, arbores eruit: Tectum fulloniæ destruxit, macerias dejecit, lateres acervatim sustulit. Sequenti nocte audita sunt aliquoties tonitrua, quibus acutissimum frigus portendi rustici recte judicarunt.

Eod. An. Montag nach Miseric. hat man den steinern Scheffel an die Saltz-Kammer und an die Wage gemacht.

Eod. A. Conf. Francisco Lindnero ist die Neu-Pforte am Niclas-Thor gemacht worden.

Mos panem in oenopoliis porrigendi abrogatur.

Panes, quos aularum more Pochenecken vocabant, olim tempore fundati Cenotaphii ab Agnete relicta vidua Georgii Fingeri, quæ cum Alberto animoso duce Saxoniæ fratre Ernesti Electoris An. 1476. septem annis post Emericum, habitu monachali ad terram sanctam profecta fuerat, ordinati, ut cuivis venienti in Oenopolium & ad potum buccellam panis roganti apponerentur, hoc anno abrogantur.

1565. Nova Schola Augusta Rectore Petro Vincentio aperitur.

Hoc anno in Gorlicensi monasterio Dei opt. max. & invictiss. Imperatoris Divi Maximiliani II. auspiciis, studio vero, cura, solicitudine & sumtibus incluti Senatus Gorlicensis aperta est nova schola Augusta, primo Rectore & piæ doctrinæ ac artium liberalium Professore Petro Vincentio Vratisl. Viro Clariss. ex Academia Vitebergensi accersito, ejus collegæ fuerunt M. Laurentius Ludovicus Leobergensis M. Sebast. Röslerus Vonsiedelius, qui præcedentibus aliquot annis ludum literarium hic rexerat, cui An. 1566. M. Balth. Waltherus Vratisl. successit. Georg. Florschutz Vratisl. & Joh. Biberus Gorlicius, quorum illi An. 1567. in Academiam Vitebergensem redeunti M. Fabianus Closius Freistadiens. huic ad verbi Divini ministerium vocato Barth. Andreades Suidnicens. autor carminis de nostro Cenotaphio Christi, suffectus est, cum cæteris synergis introductus est Petrus Vincentius 22. Jun.

Ejus Collegæ.

Petrus Vincentius introducitur.

Urbanus fratrum ultimus monasterium in Scholæ usum tradit.

Cæterum cum frater Vrbanus ultimus monasterii Monachus tunc adhuc vivens in scholæ usum monasterium concessisset, hanc donationem

nem ratam habuit Decanus Budissinens. eamque sequentibus literis fecit testatam:

Joh. Leisentritius Decanus Budiss. confirmat hanc donationem diplomate.

Nos Johannes Leisentricius Episcopatus Misn. per superiorem & inferiorem Lusatiam Administrator &c.

Quanto devotionis zelo Orthodoxa vereque Catholica religionis nostra predecessores Monasteria & reliqua ædificia spiritualia ad Catholicam pietatem plantandam & sacra officia peragenda extruxerint, tandem bonis mobilibus & immobilibus atque certis reditibus providerint: & dotaverint: nemo est qui non perspectum habeat. Quantum etiam sub anathemate per sacrorum Conciliorum Canones cautum & sancitum sit, ne loca atque bona ad gloriam & honorem Dei dicata, in prophanos usus illicito modo transferantur: facile in sacrosanctis œcumenicis synodis videre est. Hæc Laici crimine sacrilegii infecti, nihil facientes, sed summo contemptu atque detrimento Ecclesiæ loca, ædificia & facultates Ecclesiasticas in impium & prorsus alienum usum convertentes, quam miserrime periere, tam apud prophanos, quam Ecclesiasticos historiographos perplura & valde horrenda extant exempla. Ne igitur hac in provincia Ecclesia jurisdictioni nostræ legitime subjecta, homines seculares abominabili sacrilegii macula se coinquinarent, & per sacrilegam spoliationem & abalienationem in salutis periculum se præcipitarent fraterne monuimus, atque pro viribus nostris obstitimus & impedivimus. Hoc autem pestifero tempore, religionisque dissidio etiam in hac Lusatiensi diœcesi nostra, tot ac tanta loca sacra conspicimus vacua propter personarum defectum omnino deserta: ut seculares homines Ecclesiasticis fundationibus infesti optatam & latissimam viam habeant, ista, quæ adhuc reliqua sunt bona, in Ecclesiæ destructionem aggrediendi, rapiendi etiam Ecclesiæ prælatis reclamantibus, juxta libitum fere possidendi. Hæc & alia cum devotus & nobis in Christo dilectus frater Urbanus Weisbach Minorita Ordinis S. Francisci in Civitate Gorlicensi, superioris Lusatia experta haberet, & sui ordinis fratres in hoc cœnobio aliquos successuros nullo pacto sibi polliceri posset, licet decrepitus senex, attamen ultimum agens Monachum in Gorlicia, habita ratione beneficiorum, quæ Gorlicenses in ipsum & suos antecessores abunde collocarunt, sufficienter indicavit, quam piis & prægravibus causis compulsus apud se decreverit, justa via, cœnobio suo imminenti periculo prævenire, atque bonorum Ecclesiasticorum raptoribus & devastatoribus illegitimo modo & cauteriata conscientia bona Ecclesiastica corradendi ansam præripere. Quare cum primis Christi coadjutorio & piorum hominum consilio fretus suos conatus eo direxit, quod publicos judices ordinarios convocarit, illis præsentibus & testibus ad hæc specialiter requisitis & rite vocatis totum monasterium cum quadam silva & omnibus juribus atque attinentiis quomodo & qualitercunque illa nominatim exprimi valeant, libere, nulla fraude circumveniens, post vitæ suæ terminum occupandum tradiderit prudenti Senatui, totiq; Civitati Gorlicensi hac tamen lege & nulla alia conditione, quam ut Senatus & civitas Gorlicens. pro juventute ad Christianam pietatem promovendam bonisque artibus ad veram & debitam disciplinam erudiendam, in eodem Monasterio sedem scholæ collocarent: ex sylva vero lignis scholæ calefaciendæ & ædificandæ prospicerent. Quod & Senatum Gorlicens. facturum & reipsa præstiturum cana fide promisisse certum est. Et quia sæpe dictum Monasterium cum suis mobilibus & immobilibus bonis tanquam fundatio Ecclesiastica sub nostra diœcesi & gubernatione spirituali situm est, humiliter & devote supplicavit prænominatus frater URBANUS simul & senatus Gorlicens. ut hanc legitimam donationem & traditionem autoritate nostra Diœcesana confirmare & roborare non gravaremur. Nos præfacta donationis s. appropriationis negotium sedulo pensantes, causis præcedentibus commoti, hac necessitate urgente & utilitate Christianæ Reip. provocante mature præhabito consilio censuimus expedire, ut nostro consensu in prædictum usum totum monasterium cedat, quam in prophanum & crudelem (ut proh dolor præ oculis videmus) dissipationem. Quapropter autoritate, qua fungimur vice Episcopali & loci ordinario, hanc sessionem, donationem, assignationem & appropriationem ad communem utilitatem & optimam frugem juventutis Gorlicens. directam (ut instrumenta publici Notarii desuper confecta docent) præsentibus nostri officii literis approbamus confirmamus, & in expresso Monasterio omnia prædicta faciendi, gerendi & exercendi tenore præsentium concedimus, salvo tamen jure, quod vel qualecunque loci ordinarius unquam habuit, vel habere potest & poterit. In cujus rei evidens testimonium has patentes literas officii nostri sigillo appenso communiri fecimus. Datum Budissinæ in domo nostra Parochiali Die XII. Jul. A. 1563.

Excerpta è Diplomate Cæsareo.

Ex Imperatoris Maximiliani diplomate super ea re confecto sequentia excerpta sunt verba: Doch Uns und Unser Cron Behemb und sonst männiglich an seinen Rechten und Gerechtigkeiten unvergriffen und unschädlich, auch dergestalt, und mit diesem ausdrücklichen Vorbehalt, daß sie, wenn der Orden jetzt oder künfftig, über lang oder kurtz wieder auffgerichtet würde und in Esse käme, jederzeit solches Kloster wiederum gäntzlich abzutreten und den Ordens-Brüdern samt der Kirchen Zier, ohn alle Widerrede einzuräumen schuldig seyn sollen, getreulich ohn Geverde.

Hoc An. ædificatur in foro mercatorio der Röhrkasten.

Onuphrius Schnitterus Cons. eligitur,

Aquarum eluvio.

Eod. An. Magna eluvio aquarum irrupit per portam crucis disjecitque partem muri &

pontem Hoteranum die 4. Jul. hora 19. integri horologii.

1566.

D. Joh. Sigismundus Gorl. Archiater obit.

Obiit diem suum Gorlicii *Joh. Sigismundus* Gorlicens. D. Vtriusque Medicinæ eximius & archiatrus Reip. Gorlicens. Moritur Apoplexia mane hora 7. integri horologii die 7. Junii h. e. in profesto Medardi: cum pridie ejus diei recte valuisset, per annos 30. Gorlicii, Suidnicii & alibi plurimis feliciter & maxima cum laude medicatus est. Sub Annum 1553. quo pestilitas Laubæ atrociter grassata, Gorlicii quoque, ubi tum ordinarius erat Reip. physicus, gliscebat, edidit vernacula consilium suum, quo & sani ab infectione præservandi & ægroti tractandi, curandique sint, cum appendice & phlebotomia, impressum Vratislaviæ in 4to chartis tribus. In epistola dedicatoria ad senatum Gorlicensem duo se antea ejusdem argumenti consilia aliquanto copiosiora, alterum A. circiter 1542. Torgæ, alterum biennio post Annæbergæ degentem edidisse scribit, quibus recognitis & castigatis eorumque, quæ usu interea comperisset, additione auctis, tertium hoc confecerit. Meminit hujus Georg. Æmilius in propemptico, quod Melchiori Acontio & Christophoro Pannonio in Silesiam Viteberga abeuntibus A. 1537. scripsit, ubi de Gorlicio sic inquit:

Lubricus instabili decurrens flumine Nissus
Ipsa paludiferis moenia stringit aquis;
Hic mihi vir celebri vivit conjunctus amore
Qui grave Victrici nomen ab ore tenet.
Nuper is hic socios mecum suscepit honores
Atque magisterii signa decusque tulit.
Inde gravi patriam cum laude reversus ad urbem
Paoniæ clarum sustinet artis opus.
Illum vestra precor facilis mihi lingua salutet,
Nec velit officio tardior esse meo.

Die 13. Maj. renovatur *Baptisterium* & scalæ saxeæ appositæ.

Eod. A. hat man die Litaney in der Münch-Kirchen angefangen zu singen.

An. 1566. 11. Jul. Cons. Onuphrio Schnittero ist die neue Willkühr gelesen worden.

Lustratio militaris.

Nobiles hujus regionis lustrantur 25. Jul. quorum fuerunt 200. equites, qui adversus Turcam missi sunt. Deinde 25. Sept. lustratur quoque exercitus Brunsvicensis, qui constabat equitibus 2000.

Cons. Scorlerus antea Rect. Lips. obit.

Moritur hoc Anno *M. Petrus Scorlerus* Cremens. Cons. Gorlicensis. Hic cum An. 1527. hiberno semestri Rector Academiæ Lipsiensis fuisset in ordine 237. Gorlicium venit, ubi primum Reip. scriba, deinde judex, & tandem Consul factus ibidem An. 1566. vitam cum morte commutavit. Ei urbis Gorlicii adhuc a libellis Christoph. Hegendorfius dedicavit Aristotelis librum *de longitudine & brevitate vitæ*, item *de divinatione per somnum* cum Interpretatione sua & scholiis in 8vo edita.

Röslerus Coll. Gymn sponte hinc discedit.

Hoc An. discedunt hinc Dn. *M. Sebast. Röslerus, Wonsidelius*, Ludimoderator scholæ Gorl. postquam per annos octo juventutem hic docuisset, septem quidem annos ante Dominum Petrum Vincentium & postea annum sub Vincentio. Hinc abiens repetit Lipsiam, unde primum fuerat vocatus, ibique tandem An. 1574. hora 12. noctis sequentis diem celebrantem historiam Archangeli Michaelis in Christo coelebs moritur, Septimanis 23. & diebus 4. post Clarissimum Virum Joach. Camerarium, cui familiaris fuerat & cujus commendatione in hanc patriam venerat.

1567.

Eclipsis solis.

9. April sub horam 15. integri horologii tristissima fuit solis *Eclipsis*, quæ duravit integras fere horas duas.

M. Petrus Vincentius impetrata Cæsare 200. Sch. pro augendo Præceptorum salario.

Hoc anno mense Martio idem Vincentius Pragæ obtulit Cæsareæ Majestati Maximiliano II. supplicem libellum, in quo oravit, ut Cæsarea Majestas stipendio & Eleemosyna aliqua insigni & commemorabili fulcire, erigere, fovere, amplificare & inchoatum beneficium absolvere clementissime dignaretur. Et impetravit tum 200. sexagenas annuas ex reditibus civium Gorlicensium, quos illi de coctura Cerevisiæ pendunt.

Ædificatur *vestibulum templi Petrini* ad fores, qua in Chorum ascenditur, Cons. Onophrio Schnittero.

Rustici seditiosi puniuntur.

Rustici Schönbornieni seditiosi, qui prius Pragæ, Sittæ & Budissinæ in carcere jacuerant, Gorlicium adducuntur, in carcerem conjiciuntur, quæstionibus subjiciuntur, torquentur, uruntur, ut autores seditionis cognoscant. Tandem unus ex eorum numero Paulus Bernt capite truncatur, tres alii in exilium mittuntur cum eorum Syndico Balth. Cretschmaro. Reliquis loco poenæ fuit injunctum, ut toto illo anno non aliud secum gestantes circumferrent quam baculum: nec nisi mutilis cultris mucrone sc. retuso uterentur.

1568.

Nova porta exstruitur.

Nova porta, qua itur ad pascuum hoc anno ædificatur, ad festum Pentecostes adaperitur publicusque transitus conceditur.

Macellum, opere eo, quo nunc visitur, ædificatur. Dn. Valentino Rittero secundum Cons.

28. Jan. qui fuit dies ☿ *prima Concio Evangelica in templo Monasterii* habita est a Domino M. Joh. Birckenhaino Vratilaviense, ministro Ecclesiæ apud Gorlicenses.

D. Neuman. Physicus Viennensis patria Gorl. obit.

Moritur Viennæ VI. Id. Decemb. peste artis Medicæ D. Joh. Neumann Gorlicens. pannicularii filius Viennensium medicus Physicus, quibus medicinam faciendo multis annis utilem operam navavit. Hunc testem laudat Math. Cornax Medicinæ D. qui de admirando mulieris cujusdam partu An. 1549. exemto historiam s. Epistolam narratoriam conscripsit.

Past. Prim. moritur. Varia scripsit.

Moritur Ottomarus Oeplinus Svevus. Fuit is minister verbi in hac urbe primarius, ubi & an-

capita Christianismi h. e. Catechismi vulgari lingva edidit. Inde in aula Borussiaca Illustriss. Ducis Alberti senioris Concionator factus enarrationem dicti: Joh. 3. Sic Deus dilexit mundum &c. singulis ejus verbis seorsim & peculiariter explicatis populari etiam lingva scripsit. Viginti item quæstionum in Cœnæ Dominicæ controversia nostro tempore ἄνω καὶ κάτω agitata motarum, solutiones & declarationes pro concione in arce Regiomontana An. 63. Dom. Lætare propositas, eodem anno Alberti Borussiaci & Henrici Lignicens. ducum, qui concioni interfuerant, rogatu, auxit, & edidit germanice, iisque dedicavit. Collegit & ex omnibus omnium patrum scriptis postillam, ut vocant, in qua Regi Poloniæ προσφωνεῖ. Obiit ibidem hoc anno 1568. quem non ita diu post princeps ipse cum uxore secuti sunt, eodem die 20. Mart. mortui. Extat effigies ejus impressa cum Epigrammate C. W. K. A.

12. Aug. erkaufft ein Rath das Dorff Waldau um 18000. Thaler. Das ward hernach den Laubnern auf Bitte gelassen.

1569. Hoc anno vertente, decedente Dn. Petro Vincentio, (in patriam enim commigravit, factus ibi Scholæ Elisabethanæ professor & cæterarum inspector, ibi tandem est mortuus Anno 1581. 1. Octobr. æt. 63.) gubernacula Gymnasii 21 Octobr. tradita sunt *M. Joach. Meistero* Gorlicio, Göttingensis antea scholæ Rectori, & *Laurentio Ludovico* ceu duumviris exæquata utrisque potestate. *M. Mart. Mylius* succedit 1594. *M. Ottomanus* primum Consul creatur.

Discedente P. Vincentio Joach. Meisterus & Laurentius Ludov. fiunt simul Rectores.

1570. *Frater Urbanus* ultimus Monachus nostri monasterii moritur die 5. Octob. placide. Sepelitur ad D. Mariæ.

Ab Imperatore postulatus in merces singulas nummus trigesimus.

1571. 8. Novemb. moritur *Leop. Burserus* Collega Scholæ Gorlicens. cui tetrasticho parentavit Manlius:

Dum sociam thalami germanam sperat Elisæ,
Occidit, hac tegitur qui Ph lerotus humo.
Heu cave, quisquis amas: iterum vetus ingruit error,
Mutavere iterum spicula Mors & Amor.

Elisæ autem germana soror erat Anna Molleriana, quæ nupta Eliæ Filio. Bursero successit Barthol. Cislingus Gorlicensis.

1572. 22. Aug. moritur prudentissimus Vir *D. Joach. Smidius* Cons. Ei succedit *Elias Melcerus* eo anno primum factus Consul. Mortuo heredes ei in cœmiterio D. Nicolai monumentum posuere cum his Epitaphii versiculis Christoph. Manlio autore:

Conf. Schmidius obit.

Joachimo Smidio:

Ejus Epitaph.

Qua Johannis avi, genitoris quaque Georgi
Exspectant summam condita membra tubam.
Smidius hac consul situs est Joachimus in urna,
Delicium patriæ, fama, paterque suæ.
Hic ubi honorata veteres longo ordine gentis
Graminea tumuli conspiciuntur humo.
Quæ circumsistunt lugubrem numina tumbam?
Patrono pietas lacrumat orba suo.
Luget & ipsa Themis, luget sapientia, namque
Illius ex æquo cultor & hujus erat.
Quarta serenato Constantia mascula vultu
Tutoris servat, dum monumenta sui.
Sola quidem non flet, neque enim decet: hoc tu optas,
Et quisquis patriam diligit, optat idem:
Talia ne veniant mox tempora, Consulis hujus
Ut res cum lacrumis publica quærat opem.

10. Sept. moritur *Onuphrius Schnitterus Cons.* sepelitur ad D. Nicolai. Ei parentavit his versibus sepulcro inscribendis Manlius:

Onuphrius Schnitterus Cons. mortuus.

Onophrio Schnittero,

Epitaphium.

Maternum juxta tumulum, tumulumque paternum;
Ast ipso prima Conjugis in tumulo,
Schnitterus hic condi volui mea Onophrius ossa,
Dilecto ut fierem cum cinere ipse cinis.
Hunc etiam vivus jussi fabricarier arcum,
Quo monumentum hæres poneret & titulum.
Seu corpus spectes, procero corpore nulli,
Augusta nulli fronte secundus eram:
Sive animum, spectata animi prudentia nostri est,
Dum ter in hac fasces Consulis urbe tuli.
Sedecimi jam contigeram confinia lustri
Cum viridis lenta concido tabe senex.
Anna vale conjux, natorum turba valeto,
Et tu cum genero filia care vale!
Anna vale rursum: post mollia fata senecta
Cælo animam, exuvias hic mihi junge tuas.

26. Septembr. moritur reverendus Vir Dn. M. Casp. Mussus Minister Ecclesiæ Gorlicensis. Huic successit Anno sequenti 19. Mart. Basilius Zender Gorlicensis, qui prius in pago Kreiba fuerat pastor.

Hoc anno mense Novembri cœpit incendium stellæ illius quam vocant miraculosam; ostentum cui simile a stella Christi, quæ Magis apparuit, non vidit mundus. Visa est in signo Cassiopeæ cum cujus tribus stellis rhombi figuram expressit. Stetit a mense Novembri Anni 1572. usque ad Martium A. 1574. sine ulla parallaxi, in eodem cœli puncto ac nil nisi magnitudinem mutavit. Extant de eo prodigio scripta latina hæc:

Stella miraculosa apparet

1. Dialexis de novæ & prius incognitæ stellæ inusi-

Scripta de hac stella edita.

inusitatæ magnitudinis & splendidissimi luminis apparitione: & de ejusdem stellæ vero loco constituendo per Thaddæum Hagœcium ab Hayck. Extant ejusdem autoris disputationes contra quendam Italum Hannibalem Raymundum, qui contenderat, stellam non novam fuisse sed veterem. 2 De peregrina stella Cornelii Gemmæ Lovaniensis judicium. 3. De eadem judicium Guilielmi Postelli. 4. Observatio Mathematica Mich. Mœstlini cum carmine Nicodemi Frischlini Professorum Scholæ Tubingensis. 5. Oratio D. Penceri senioris de Cometa inter sidera lucente: & quæstio Junioris Peuceri cum responsione Wolffgangi Schuleri Mathematici Vitebergensis; quæ omnia extant in 7. Tom. Vitebergens. declam. 6. Epigrammata de eo extant Peuceri, Bezæ, Rudolphi Gualtheri & aliorum.

Moritur Melch. Goldhammer. 14. Jun.

1573. M. Ottomanus secundum Consul.

Sortilegium institutur.

Sortilegium ollæ (sic vocatum a duabus ollis, quarum altera nomina sortientium, altera schedulas continet) Gorlicii hoc anno institutum est. Schedæ continentes sortientium nomina fuere 21874. factum est sortiendi initium 16. Sept. & usque ad 28. diem ejusdem mensis duravit.

1574. Novus Consf.

Joh. Glycius primum Consul. Officium postea An. 1592. resignavit.

1575. Gorl. Vogel-Schiessen.

Ad diem 7. Augusti fuit institutum Gorlicii ludicrum certamen in arte jaculandi balistis ad avem, invitatis ad illud vicinarum urbium civibus, quorum ex diversis locis 85. convenere. Volucres tres fuere affixæ. Prima versus urbem nigri coloris dejicienti s. Regi ut vocant βραβεῖον attulit 30. Joachimicos: Media viridis coloris 40. Joachimicos; Tertia rubra 50. Joach.

Moritur *D. Georg. Burserus* Gorlicens. medicus Physicus Oppenheimensis 20. Sept.

Christ. Manlius moritur Pragæ.

14. Octob. moritur *Pragæ Christoph. Manlius Gorlicius* poeta & historicus excellens, Lusaticæ Historiæ scriptor. Pragæ sepultus ad corporis Christi. Ipse sibi vivens hoc fecit Epitaphium:

Quæ tumulum servat? Pietas. Quis conditur illo?
Scrutator patriæ Manlius historiæ.

Natus est ille 26. Febr. A.C. 1546. Extat ejus libellus Epigrammatum Pragæ impressus: & in parato est justum volumen ejus Poematum edendum Lusaticæ historiæ corpus integre complexus est, sed præmatura mors non sivit eum laudabiliter opus institutum pertexere, supremamque manum addere. Utinam vero exoriatur aliquis, qui eam historiam tanquam Veneris picturam inchoatam ab Apelle relictam absolvat & ad editionem præparet. Cæterum ingenium in Manlio fuit excellens, judicium maturum & plus quam senile. Quin nihil de homine tam eximie dici potest, quod non ille videatur sustinere potuisse, si eum nobis fata superstitem esse voluissent.

Renovata est turris Curiæ & machinis atque tabulis usque ad globum miro artificio extructis, tollitur globus & postea rursus reponitur cum hac inscriptione in globum conjecta: 1576. Turris curiæ renovatur.

SOLI DEO UNITRINO GLORIA.

Inscriptio globo imposita.

Restitutum est hoc epistylium cum petalo & renovata turris mense Augusto anno post nativitatem Jes. C. supra millesimum quingentesimum septuagesimo sexto, Imp. Cæsare Augusto Divo Maximiliano secundo; principe orbis terrarum laudatissimo, pacifico, pio, sapiente; ejusque filio primogenito Rudolpho II. Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ rege &c. Cons. Valent. Rittero, Consularibus Joh. Glich, Georg. Ilsmanno Synd. & El. Melcero, Prætore Georgio Schmidio. Pastore Ecclesiæ Balthasare Theodorico Gorlicense: Ludi literarii Rectoribus Joach. Meistero & Laurentio Ludovico, quo anno a proceribus Poloniæ in Comitiis Warsaviensibus abdicato Henrico Gallo, qui ex regno in Galliam profugerat, Maximilianus II. rex Poloniæ & magnus Dux Lituaniæ, contraque ipsum a paucis factiosis per seditionem popularem ordinis equestris Stephanus Bathorius Transylvanus, visio creatus & cum defuncti Regis sorore coronatus est; Conventum Imperii Maximiliano tum Ratisbonæ agente, quo etiam a Moscorum Duce Joh. Basilio legati accesserunt cum mandatis, ut cum Imp. firmato fædere, de regno Poloniæ armis vindicando consultarent. Deus optimus Maximus eventum prosperet.

D. O. M. V.

Cen decus auratum supremis turribus addunt,
Ad solis radios & micat igne globus.
Et versata crepat vel levi bractea vento,
Estque fides Petalo, quo ruat axe Notus.
Sic decus adde Deus superum de sede per auras,
Atque Jova radiis urbs fine nostra micet.
Sed ne versa crepet ceu leni bractea vento,
Tu qua parte ruant noxia flabra, doce.

Inscriptionis autor est M. Georg. Ottomannus; versuum Joach. Meisterus.

21. Jun. *Muscovitarum* legatio per hanc nostram urbem Pragam versus, & deinde Ratisbonam habuit iter. Muscovitica legatio urbem transit.

16. Maj. *Rudolphus II. Imp.* in Silesiam proficiscens, ut civitates post obitum patris, cui in Imperio successerat, in fidem suam acciperet, Gorlicium ingreditur manetque ibi per quatriduum usque ad 20. Maj. Annum Adventus Rudolphi in urbem Gorlic. exprimunt numerales literæ in his duobus verbis, quæ simul Rudolphi nomen significant: PrUDens a UXILIUM. 1577. Rudolphus II. Imp. Gorl. venit.

Apparuit mense Novembri *magnus ille Cometa*, primum conspectus est die X. Novembr. in occiduo cœli cardine: corpus luce nitida, splendore eximio eoque eleganti & venusto. Ex Magnus Cometa.

corpo-

corpore eminebat oblongo tractu juba in speciem barbæ & nubæ cujusdam turbidæ, colore ex candido flavescente, densior, spissior & angustior, quo corpori Cometæ proprior, varior subinde & tenuior, quo remotior ab eo ac diffusior s. diductior veluti in ramusculos expansa, quomodo scopas s. virgas in unum collectas videmus: eratque in modum arcus seu cornu inflexa, aut etiam figura gladii Turcici seu acinacis spacium caudæ in longum XXV. & amplius gradus circuli magni in cœlo occupabat. Apparuit a nono die Novembr. usque ad XIII. Jan. An. 1578.

Scripta de hoc Cometa. De eo infinita variorum autorum *scripta* extant, latina autem in primis hæc: 1. De prodigiosa specie naturaque Cometæ, qui nobis effulsit altior Lunæ sedibus, insolita prorsus figura ac magnitudine A. 1577. plus septimanis 10. apodixis tum Physica tum Mathematica per D. Cornelium Gemmam Lobaviensem Ordin. & regium Medicinæ professorem. 2. Descriptio Cometæ, qui apparuit An. 1577. a. 9. die Nov. usque ad 13. Jan. An. 1578. autore Thaddæo Hagœcio ab Hayck. Ejusdem Epistola ad Mart. Mylium, in qua examinatur sententia Mich. Mœstlini & Helisæi Rœslin de Cometa Anni 1577. Ac simul etiam pie asseritur contra profanas & Epicureas quorundam opiniones, qui Cometas nihil significare contendunt. Addita est ad finem Epistola Mart. Mylii ad eundem Thaddæum. 3. Theoria nova cœlestium μετεωρῶν, in qua ex plurium Cometarum Φαινομένοις ἐπιλογιςικῶς quædam afferuntur de novis tertiæ cujusdam miraculorum sphæræ circulis, polis & axi. Super quibus cometa An. 1577. novo motu & regularissime ad superioribus annis conspectam stellam tanquam Cynosuram progressus Harmoniam singularem undique ad mundi cardines habuit, maxime vero medium Europæ & exacte Germaniæ Horizontem, non sine numine respexit, autore Helisæo Rœslin Medico Tabernis Alsatiæ. 4. Judicium de Cometa, qui An. 1577. a 10. die Nov. usque ad 22. Dec. Viennæ conspectus est, in quo varia de Cometarum natura & forma tractantur, autore Paulo Fabricio, Medico Doctore & Cæsaris Mathematico. 5. Cometæ A. humanitatis 1577. a 10. Nov. per Decembr. in 13. Jan. sequentis anni continuis quinqvaginta quinque diebus in sublunari regione apparentis descriptio, autore Barth. Sculteto. 6. Cometa Pogonias, qui anno labente 1577. mense Nov. & Dec. apparuit demonstratus una cum parallaxi distantia a Centro terræ & significatione ejus, autore D. Nicol. Wincklero Halæ Svevorum Physico. 7. De Cometis, qui antea visi sunt, & de eo, qui novissime mense Novembri apparuit, narratio scripta a Joh. Prætorio Joachimico Reip. Noribergens. Astronomo & Mathematum Professore in schola Altdorfiana. 8. Observatio & demonstratio Cometæ, qui A. 1577. & 1578. constitutus in sphæra Veneris apparuit cum admirandis ejus passionibus, autore M. Mich. Mœstlino Gœppingensi. 9. Carmen Joach. Meisteri.

M. Ottomannus tertium Consul.

Epitaphium Joh. Emerici, Georgii nepotis. Joh. Emericus Georg. Emerici conditoris Cenotaphii Christi in hac urbe, nepos, vivens adhuc sibi poni curat in templo Petrino Epitaphium cum horum versuum inscriptione autore Joach. Meistero:

Emericus varia caput arte Georgius olim
Extulit, aurata gloria militia.
Per freta, per terras, quam dum petit, acer eundo
Repperit ad divi busta verenda Jova.
Inde ea vicino simulando extruxit in agro,
Virtutis statuens sancta trophea sua.
Hac etiam hoc templo posuit monumenta, parentis
Gestorum possit quo meminisse nepos.

Organum musicum fistulis augetur. Organum musicum majus, quod prius constabat fistulis 1350. auctum est novis fistulis 114. Prius constabat 12. follibus, nunc tantum sex, iisque aliquanto amplioribus. Præmium fuit 200. Joachimicorum.

1578. Turris S. crucis cum templo restauratur. Tectum lateritium templi, & turrim sanctæ Crucis ad Cenotaphium Christi curat instaurare Joh. Emericus. In globum est imposita descriptio literarum, quæ Georg. Emerico Hierosolymis, cum super sepulcrum Christi factus fuit eques auratus, datæ fuerunt. Illis literis subscripta fuere verba, quæ sequuntur:

Vita Georg. Emerici. *A reditu igitur suo Georg. Emericus Eq. nobiliss. & sacellum hoc & Cenotaphium impensis suis extruxit in tanta rei memoriam cum suis huic civitati: in qua ipse honoratus, Senator ad annos XXXVI. Consul V tandem obiit A.* CIϽ.IϽ.VII. *M. Januar. D. XXI Anno deinde* CIϽ.IϽ LXXIIX. *tectum lateritium fieri, globum hunc tolli & reponi curavit Johannes Georgii ex Johanne Jun. filio nepos: gubernantibus Remp. M. Georg. Othomano Conf. Elia Melcero, Valent. Rittero Joh. Glycio Consularibus; docentibus in Ecclesia Balch. Theodorico Gorl. in ludo Augusto Joach. Meistero Gorl. Laurentio Ludovico Leoberg. cum suis collegis. Rerum inprimis & imperii potiente Rodolpho II. Imp. Aug. &c. Cujus gubernatio, ut tum fuit annua; ita utinam sit fausta orbi Christiano! Amen!*

Ad IV. Id. Majas.

Inscriptio monumenti in sacello. Eodem A. idem Joh. in superiori sacelli conclavi curat poni duo monumenta ex adversum sibi opposita, alterum cum germanica, alterum cum latina inscriptione, quæ talis est:

D. O. M. S.

Sirenum instar habent ignavo perdita luxu,
Lustra, domus, silva, rura, popina, Venus.
Quæ fugiens, Emerice, cava trabe cærula sulcans
Multa solo passus, multa pericla salo.

Ergo sedens virtus rediviva ad busta Jebova
Donatum merito vexit honore domum.
Ut non parcus opum, patriæ hac monumenta locaret:
Virtutis figens celsa tropæa suæ.
Sic geminas tendens palmas, passoque capillo
Victam se Syren sub tua jura dedit.

Imitare virtutem, ne æmulare,
Virtutem colere par est, non invidere.
AN. C. CIƆ. IƆ. LXXVIII.
M. Quarto.
O. S.

Georgio Emerico Eq. nobiliss. qui cum opifice & duobus eum sequentibus comitibus in Palæstinam præfectus, ibique militari dignitate & equestri super sepulcrum Christi An. CIƆ CCCC LXV. M. Jul. D. XI. donatus esset, post tot exhaustos terra marique labores, tanto itinere confecto, cum domum ad suos, *patre* adhuc superstite, revertit: tum sacellum hoc D. Crucis, vicinumque Cenotaphium ad exemplum expressum sibi & posteris F. F. Ipse deinde Reip. hujus senator ad annos XXVI. Conf. V. finem clausit An. CIƆ. IƆ. VII. M. Jan. D. XXI.

Johannes Johannis F. Georgii Eq. Nep. Emericus avo B. M. Poni Cur. CIƆ. IƆ. LXXIIX.
DeVs erIt aVXILIVM
FIDeI LVX Vera trIVMphat.

1579. Domus Præfecti (Vogts Hoff) ædificatur. Cœpta est ædificari jam propemodum penitus collapsa domus, quam vocant præfecti Vogts Hoff. Nunc residentia Capitanei Gorlicens. Jacobi a Saltza.

Groschius rebellis rota punitur. Hoc anno Casp. Groschius bellum indixit huic urbi, qui anno sequenti captus, rotæ supplicium subit. Eandem pœnam & scriba ipsius pertulit.

Conspicitur Gorlicii X. die Octobr. *Cometa* sub capite piscis antecedentis inter Zodiacum & 1580. Cometæ visi descriptio. Æquatorem sub V. circiter gradu dodecatemorii piscium. Tristi admodum & lugubri vultu fuit naturæ videl. Saturninæ, obscurus & lucidus, ac superans magnitudine, quoad visum, stellas primæ magnitudinis. Cauda caruisse visus est: neque apparebant circa eum ulli cincinni, ut vel crinita vel pogonias vocari potuerit: eaque forma visus est primis illis suæ apparitionis diebus. Ad primum quidem ejus intuitum radii quidam seu lumen quoddam aut defluvium exile admodum, tenue & rarum ac vix sensu perceptibile in partem a sole aversam recta versus ortum spargi videbatur. Intentius vero eundem aspicientibus radius ille a conspectu auferebatur: solumque Cometæ corpus obscurum, triste, luridum & tanquam nodus quispiam aspiciebatur: a reliquis stellis sola caliginositate, progressuque incitato, ab ortu in occasum differens: ut mirer ab imperitis dignosci potuisse: sub tali forma diebus circiter XIV. & amplius spectabatur perrepens obliquein occasum contra signorum ordinem: primum per Æquatorem pone stellas in manu dextra Aquarii ad caput Pegasi, ejusque claram stellam, quo illo erat superior. Inde per Equiculum Delphinum satis citata vectione provehebatur. Nam unius diei naturalis spatio conficiebat plus minus gradus IV. sub finem Octobris & principium Novembris cœlo admodum sudo, videbatur multo illustrior, quam diebus præteritis. Cauda s. defluvium apparebat tum conspectius & prominentius semper a Sole aversum in plagam Orientalem, exile, tenue & rarum: fumum subtilem dixerit quispiam potius quam radium. Hinc paulatim langvescebat ejus cursus: dum ferretur inter alam dextram Aquilæ & sagittam per Galaxiam, ejusque alterum divertigium usque ad XIV. Nov. Ab hoc die lentius Sole progrediens, vespertinus simul & matutinus fieri incipiebat usque ad VI. Dec. a quo tempore saltem matutinus fiebat, ac caudam non jam in ortum, ut antea sed in boream porrigebat: nimirum pro diverso Cometæ positu ad Solem, dissolutus est tandem inter XVI. & XXV. Decembr. ita integrum tempus erit dierum plus minus 76. De hoc Cometa extat apodixis Physica & Mathematica Thaddæi Hagecii, ex qua hæc etiam transscripsimus.

Morbus Epidemius in autumno hujus anni totam pene Europam pervagatus est, idque per tam multorum capita, ut si quis omnibus quos corripuit, moriendum fuisset, supra tertiam partem hominum totius Europæ abstulisset. Gorlicium ille adortus est circiter 29. Augusti. De eo morbo *D. Petrus Monavv* medicus Cæsareus ad *Mart. Mylium* in hunc modum: Morbus epidemicus Gorlicii grassatur.

Quod morbum Epidemium attinet, symptomata satis ostendunt catarrhum fuisse, qui febrem adjunctam ut plurimum habuerit. Febrem autem illam quemadmodum ex continuarum genere fuisse manifestum est: ita nondum satis liquet, putrisne synochus, an imputris appellari mereatur. Mihi quidem Dn. Joh. Cratonis nostri sententia non displicet, qui putredinis aliquid admixtum habuisse constanter asseverat: eo quod sine hujus saltem leviculæ, mentione contagii, ratio astrui nullo pacto possit. Quis vero omnium est qui contagium negare ausit: cum non domos tantum & familias integras, verum etiam oppida & regiones morbus hic pervaserit celerrime. Jure tamen malignitatem ex qua λοιμώδη emergunt, illi adimimus: & epidemium quidem, sed tamen mitem & benignum καὶ εὐήθη interpretamur. Causa externa & maxime generalis (ut analogia inter causam & causatum s. morbum constet) recte assignatur äer ipse. Hic enim ob præcedentem cæli constitutionem præhumidam primo, mox æstuosam & squalidam vehementer alteratus, & quodammodo impurior redditus, humana corpora ab

D. Monavii Medici Cæsarei epistola de hoc morbo ad Mart. Mylium.

ſis attractus inquinavit, unde putredinis ſeminarium in certis corporibus conceptum & aëri per νοσερὰν ἀπέκρισιν communicatum, reliquos etiam poſtea mortales, quotquot per inſpirationem μιάσματα illa in aëre ſparſa hauſerunt, contaminavit. Prout tamen diverſimode prædiſpoſita corpora fuerunt: ita alia etiam atque alia ſymptomata inter ſe mirifice varia conſecuta ſunt. In ſpiritibus & Ichoribus præcipue (ſicut in contagioſis pene omnibus) cauſam morrificam collocatam fuiſſe, curatio ipſa ſatis indicavit. Fere enim pleriſque venæ ſectio & humorum per catarrhum detractio nocuit: diaphoreticorum & hidroticorum uſum contra nullis non levationem attuliſſe, morbumque adeo jugulaſſe, deprehenſum eſt, unde bezoartici vocati pulveres apud ditiores magno in pretio fuerunt. Cæteri tenuioris fortunæ homines cornu cervi præparati aut ligni Viſci quæſivere vel Zedoariæ pulverem itemque boluoi Armen: & terram Lemniam cum aq. Card. vel acetoſæ pauculisque Caphuræ granis non minori cum ſucceſſu uſurparunt. Quod ſi morbo principali pulſo catarrhi quidam reliqui remanſerunt, plevritidem notham & peripnevmoniam in paucioribus excitarunt: propria & peculiari curatiune adhibita & ipſæ tandem evanuerunt. Certe ſalubrem hunc morbum fuiſſe non hoc tantum arguit, quia ex infinito illo, quos corripuit numero, pauciſſimos ac fere nullos (niſi errore externo accedente) ſuſtulit: ſed etiam quoniam mortalium ſaluti impoſterum quoque conſulit: omnem illam materiam intra corpus abſumendo, ex qua alioquin ægritudines novæ pullulaturæ erant. Solos medicos eo ipſo inſigni affecit injurio: qui nimirum nullis aut pauciſſimis ægrotantibus ſecundum veteris Comici verſum ipſi ægrotant, & ob peculii imminutionem male habere incipiunt: ὅτε γὰρ ἰατρὸς ὐδὲ εἷς (ἂν εὖ σκοπῇς) τοὺς αὐτοὺς αὐτοῦ βούλεθ' ὑγιαίνειν φίλους ὅτε στρατιώτης πόλιν ὁρᾶν ἄνευ κακῶν. Sed agnoſcis jocos noſtros. An Cometes, qui ante triennium luxit, aliquid ſive ut ſignum, ſive ut cauſa, ſive etiam utroque modo ad hujus mali generationem contulerit, in medio relinquo. Abſurdum tamen non fuerit affirmare: materiam illius h. e. viſcoſis & lentis vaporibus non integre diſcuſſis & abſumtis aliquid in aëre impuritatis remanſiſſe, quæ malo huic fomentum præbuerint. De nomine cum nemine facile diſputare velim. Scribit tamen Guiliel. Rondeletius morbum huic noſtro plane ſimilem, qui An. 1557. in Gallia graſſatus fuerit: vulgo appellatum la Coqueluche, q. d. Cucullionem. Verum de his in præſentia ſatis. Hæc Monavius. Extat de eo morbo ſcriptum germanicum D. Balth. Brunneri medici Halæ Saxonum hoc titulo:

Kurtzer Bericht von der itzo regierenden Haupt-Kranckheit, u. wie dieſelbe zu curiren ſey.

Autumnus calidus.

Autumnus adeo fuit calidus, ut paſſim grana tempore meſſis inter demetendum in agrum forte prolapſa rurſus germinarent, & jam vaginis incluſa frumenta ſlarent. Si conſtans manſiſſet aëris temperies, ſecundam meſſem habituri fuiſſemus. In Bavaria arbores gemmas extruſere. Cuculus apud nos deceptus aëris caliditate rurſus prodiit & ſuum κοκκυσμὸν ingeminavit. Ranarum quoque coaxationes & alaudarum cantus auditi.

1581. Nix grandior arboribus & tectis multum damni affert.

Hoc anno *nix* circa Martini magnum damnum tectis ædium atque arboribus intulit. Nam cum inciperet jam illa colliqueſcere & ſubito ſuperveniente frigore rurſus indureſceret: tantum accepit pondus, ut mole ejus preſſa tam tecta quam arbores paſſim frangerentur magno cum ſtupore. Nulla fuit arbor, quæ non aut penitus fracta aut humi proſtrata vel certe ramis miſerum in modum mutilata fuerit. Omnes horti, omnesque ſilvæ jacuerunt conſtratæ ramentis arborum, quæ materiam focis multis annis poſt præbuerunt; damnum quod illatum eſt ſaltui Gorlicenſi (der Görlitzſchen Heyde) æſtimatum aliquot millibus florenorum.

M. *Ottomannus* quartum Conſul.

Petrus Vincentius Vratislaviæ moritur.

Petrus Vincentius noſtri Gymnaſii Rector primus moritur Vratislaviæ ætatis 63. cum ſcholis in annum 36. ſerviiſſet. Ei Epitaphium fecit M Sam. Wolffius Sileſius ſcholæ Lavartovienſis R. hujusmodi:

Epitaphium.

Nestora qui vicit Petrus Vincentius ore,
Qui varias rexit, non ſine laude, ſcholas.
Dulcia cui blanda dictabant carmina Muſæ
Quem poſita ſtupuit Phœbus & ipſe lyra.
Qui mores hominum multas luſtravit & urbes,
Nunc luſtrat ſuperi regna beata patris.

Crucis Christi effigies ſuſpenditur.

Effigies nova Chriſti in cruce pendentis ex Argilla confecta ab Aurifabro Joſepho Metzker, ſuſpenditur e regione ſubſelliorum ſenatus in locum alterius ligneæ, quæ Imperatoris matri donata in Hiſpaniam transportatur.

1582. Cometa.

13. Maj. conſpicitur hic Gorlicii Cometa in ſidere Erichthonii inter duas ejus ſtellas humerales, protendens caudam verſus pedes urſæ majoris, duratque usque ad 22 ejus menſis diem. Cum ortu hujus Cometæ paſſim magnæ & ſtupendæ extitere tempeſtates, grandines, fulmina cum inauditis catharactis aquarum, quibus totæ urbes, domus; agri everſi ac vaſtati fuere. Apud nos Gorlicii turris Reichenbachenſis ter de cœlo tangitur. Ac die 15. Jul. cum Wendelinus Roskopff lapicida hujus urbis, mandato ſenatus turrim conſcenderet, exploraturus quo ratione fiſſuræ lapidum vi adacti fulminis factæ conſolidari poſſent, cobrta ſubita tempeſtate, fulmine exanimatur. Schola Gorlicenſis de hoc Cometa publicum ſcriptum juventuti ſcholaſticæ propoſuit, in quo hanc argumentationem tractat. Cum ortu

Magnæ Tempeſtates

Lapicida fulmine exanimatur.

 Erich-

Erichthonii oriuntur tempestates, unde & Capellæ, quæ sunt in Erichthonio, sidus pluviale vocatur ab Ovidio: *Nascitur Olenia sidus pluviale capella.* Ergo Cometa in hoc sidere constitutus magnas tempestates portendit: in primis vero mari mediterraneo s. Ægeo, idque duplici de causa: primum quod Ægeum mare ab αἴξ, capra illa cœlesti nomen habet, secundum Melanchthonem. Deinde, quod hic Cometa illi mari verticalis est. Hanc prædictionem prubavit eventus.

1583. Moletrina extruitur.

Mola trium rotarum hoc anno mense Julio cœpta ædificari Georg. Smidin & Zachar. Willero Nosocomii ad S.S. procuratoribus. Inscriptio: *Sero molunt Deorum molæ.*

Nov. Ecclesiastes.

5 Octobr. discessit Gorlicio Vratislaviam in patriam *M. Joh. Birckenhain*, Ecclesiastes, in cujus locum postea anno sequenti successit *M. Elias Theodorus.*

Senatus emit 2. Pagos.

Senatus emit duos pagos *Langenaw* & *Schulzenhain* pro 20000. fl. Honorarium additum 300. fl.

M. Joh. Hopp, Syndicus hujus reip. sepelitur 10. Aug.

Syndicus obit. Incendium.

20. Octobr. *ingens incendium* excitatur in postica parte ædium Jac. Ottonis lanionis in lunga platea & reliquorum vicinorum,

1584. Calendarium Gregorianum publice introducitur.

4. Jan. allatum est huc & affixum publice mandatum Cæsareum de Correcto Calendario hoc est 10. diebus è Calendario eximendis; quibus a Synodi Nicenæ tempore justa anni quantitas major accreverat. Eam correcturam curat magistratus altero die post, qui erat Dominicus, publice de suggestu prumulgari, & statim post 6. Jan. diem decimum septimum numerare Gorlicenses incipiunt. Tota autem ratio emendationis sic se habet, ut breviter rem comprehendamus.

Ratio emendationis Gregorianæ.

A. Synodi Nicenæ tempore, quæ fuit celebrata An. 325. propter justo majorem anni quantitatem Æquinoctium vernum & ex eo dies fixi integris 10. diebus h. e. an. 21. die Martii in quem tempore Concilii Niceni incidebat usque ad 10. Mart. in quo est hoc anno recesserat. Et propter justo majorem quantitatem aurei numeri, qui Novilunia & exinde Pascha, aliaque mobilia festa a Paschate dependentia indicare debebat. Novilunia hoc tempore plusquam 4. dies retro distant ab aureo numero in veteri Calendario, atque adeo Pascha raro justo tempore, sed sæpe una, sæpe quatuor, sæpe etiam quinque septimanis tardius celebraretur. Ut ergo rursus affigeretur æquinoctium ad diem 21. Martii, qui fuit tempore Concilii Niceni, omisit correctio 10. dies, quas justo major anni quantitas tanto temporis spatio pepererat, statuens pro Juliana quantitate an qui fuit D. 365. Hor. 6. quantitatem dierum 365. Hor. 5. 49′. 12″. Ut autem etiam prima lunatio verna vera haberetur, pro aureo numero 19. annorum substitutus est Cyclus Epactorum, constans ex 30. numeris epactalibus. Cujus qualis sit ratio docet Calendarium Gregorianum: qui quidem nihil aliud est, quam clyclus decennnvalis aurei numeri æqualis. Hanc emendationem Gregorius XIII. Pontifex M. Mathematicorum opera An. 1582. instituit; & extat ejus Calendarium Romæ & postea Antwerpiæ impressum hoc titulo: Calendarium Gregorianum perpetuum. Gregorium secutus Imperator noster Rudolphus eandem emendationem in Austria & Ungaria A. 1583. & hoc An. 1584. in Bohemia, utraque Silesia & Lusatia superiore instituit. Electores Imperii seculares & alii Germaniæ principes, Duces, Barones plurimi, emendationem eam hoc An. 1592 quo ista annotamus, nondum receperunt: quæ res deformitatem parit nostris Ecclesiis in celebratione festorum solennium non congruentibus: & mercatorum negotiationibus non parum incommodat. Extat super ea re, tam pontificiorum, qui emendationem defendunt, quam reformatæ religionis virorum doctorum, qui rejiciunt, scripta, quorum Catalogum annotare infiniti propemodum laboris res esset. Nostra schola suis discipulis de eodem negotio scriptum proposuit. Diploma autem Cæsareum, quod superius diximus, hic affixum fuisse, ejusmodi est:

Calendarium hoc a multis Germaniæ Statibus rejicitur.

Scripta de hoc Calendario.

Edictum Cæsaris ad Status Lusatiæ super recipiendo Calendario Gregoriano.

Wir Rudolph der Ander von GOttes Gnaden erwehlter Römischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, zu Hungarn, Behemb, Dalmatien, Croatien 2c. König, Ertz-Hertzog zu Oesterreich, Marggraff zu Mehren, Hertzog zu Lutzenburg und in Schlesien, Marggraff zu Lausitz. 2c. Entbieten den Wohlgebohrnen, Würdigen, Gestrengen, Ehren-Vesten und Ehrsamen, unsern lieben getreuen Herrn, Prälaten, Ritterschafft Mannschafft und denen von Städten, auch allen andern unsern Unterthanen unsers Marggraffthums Ober-Lausitz. Unser Kayseel. und Kon. Gnade und alles Guts. Lieben Getreuen, wir wollen euch gnädiger Meinung nicht bergen, daß aus sondern Gewissen, nützlichen beweglichen und billigen Ursachen, nach gehabter, gnugsamer stattlicher Erwegung und Berathschlagung der allgemeine alte Calender, so bißher in der gantzen Christenheit gehalten, um 10. Tage corrigiret und verändert worden ist, welchen wir auch als regierender Römischer Kayser im heiligen Reich, allen Ständen ingemein, denselben anzunehmen und zu halten publiciren haben lassen. Wenn wir denn auch nicht weniger gnädigst wollen, daß solcher Calender in unsern Marggraffthum Ober-lausitz, so wohl als in unsern Königreichen und Landen, im Eingang nechst künfftigen Jahres von männiglichen angenommen, hinführo und in künfftig gehalten werde, als nehmlich dergestalt, daß das schierste und 84. Jahr seinen Anfang vom Neuen Jahrs-Tage wie vor Alters habe.

aber

aber nach der H. DreyKönig-Tag, welches ein unbeweglich Fest ist, und der sechste Tag des Januarii alsbald darauff der 17. als S. Antonii geschrieben, und die folgenden Monat durchs gantze Jahr nach ihren ordentlichen gesetzten Festen, Feyer und Werck-Tagen, der Correctur und Besserung nach im alten Calender biß 84. Jahres begriffen, unverbrüchlich von Männiglichen in Krafft dieser Unser General-Mandate gehalten, und aus Befehlig ieder nachgesetzten Obrigkeiten dergestalt gedruckt werden sollen. Derhalben befehlen wir euch Unsern getreuen Unterthanen Unsers Marggraffthums Ober-Laußitz samt und sonderlich, und wollen, daß ihr so wohl als andre Unsere und fremder anstossender Königreiche und Länder Herrschafften Völcker und Unterthanen zu Verhütung allerley Widerwärtigkeit, Irrung und Weitläufftigkeit, so mehr gedachten neuen Calender gutwillig beliebt und angenommen, Unserm gnädigsten zu euch habendem Vertrauen nach, zu Beförderung nachbarlichen Friedens, Einigkeit und euer selbst Auffnehmens in allerley Gewerbe, Handlungen und Hanthierungen, auch gehorsamlich annehmet, und starck darob haltet, auch also euch mit den andern Königreichen und Landen hierinnen allenthalben vergleichet. An solchem beschicht Unser gnädiger Wille und Meinung. Geben auf unserm Königlichen Schloß Praga, den 10. Tag des Monats December. An. 1583. unsers Reichs, des Römischen im 9. des Hungarischen im 12. und des Böhmischen im Neunden.

Hoc eodem anno Dn. Valent. Rittero sextum & ultimum Consule, abrogatur apud nos *integrum*, quod vocant, *horologium*, substituto in ejus locum *dimidio*. Ac incipit illud sonare ab hora prima pomeridiana die 30. Mart. De veteri tamen horologio sphæra & indicatio horarum ad turrim Curiæ, pro nonnullis, qui tam facile novi horologii rationem non essent intellecturi, retenta est. Commentatus est tum aliquid de usu dimidii horologii Mart. Mylius & Consuli exhibuit, ut illud etiam aliquid faceret ad urgendum negotium hoc, cui nonnulli obstare videbantur. *[Horologium dimidium abrogato Bohemico substituitur.]*

Hoc anno alter Rectorum *Dn. M. Joach. Meisterus* vocatus ad gubernationem scholæ Bremensis in inferiore Saxonia, resignat suum officium & discedit Gorlicio 26. Sept. postquam hujus scholæ Rector fuisset in annum decimum quintum. Die tertio post, qui fuit 28. ejus mensis, in solenni scholæ conventu, præsente senatu, latina oratione e memoria recitata a Dn. M. Ottomano viro Consulari & Syndico hujus urbis: commendatur gubernatio *Dn. M. Laurentio Ludovico*. Curriculum studiorum & quo ordine, quaque methodo lectiones proponantur, discentibus a Rectore Laurentio Ludovico consignatum & senatui exhibitum extat impressum cum oratione ejusdem de Ciceronis oratore. *[M. Joach. Meisterus abdicato munere Bremam commigrat.]* *[Succedit M. Laurentius Ludovicus.]*

Magna fuit *annona caritas*, ita ut farris modius veniret 3½. marcis, avenæ Joachimico integro, tritici 4. marcis, hordei 3. marcis. *[Annonæ caritas.]*

1585. *Hieronymo Nostitzio* in Neundorff *Capitaneo Gorlicense* mortuo, eligitur a Commissariis Cæsareis in ejus locum Gorlicii 8. Januar. Jacobus a Salza in Heidersdorff; qui superioribus annis præfectus (Lands-Hauptmann) fuerat Lusatiæ inferioris. Hic primus inhabitare cœpit aulam, quam vocant, præfecti (im Vogts-Hoffe.) *[Hieron. Nostiz Capitaneus Gorlicensis moritur.]*

26. Mart. nova schola novo modo celebrat *festum scholasticum Gregorii*: productis in theatrum minoribus pueris quatuor classium inferiorum candidatis omnibus & cum vexillis, secundæ classis pueri partim virginali habitu formam septem artium, novem Musarum & aliquot virtutum præ se ferentes, partim virili habitu virginum ductores producuntur. Ex superiori classe eliguntur Episcopus, cum suo acolutho & quatuor patribus Ecclesiæ: item quatuor Doctoribus Theologiæ: Imperator cum 7. Electoribus & Comitatu Aulico 4. Jurisconsulti; 4. Medici: omnes vexilliferi: Imperator vexillum gerebat Imperii. Electores sua insignia. *[Festum Gregorii celebratur a Scholasticis.]*

Circa Bartholomæi festum f. Encœnia nostra subito *pestis contagia* incidunt, quæ initio statim paucorum dierum spatio plurimas domos corripiunt, & postea serpente lue per totam pene urbem & omnia suburbia miserabilem stragem edunt. In primis vero suburbio D. Nicolai malum fuit infestum: adeo ut dimidiam hominum partem sustulerit. Intra urbem etsi nulla platea, excepto foro mercatorio a lue fuit immunis, nusquam tamen atrocius, quam in foro, quod vocant, Judæorum sæviit. Calendis Januarii, quibus vetus finitur annus & novus init, cum pro more pastor Ecclesiæ de suggestu renunciaret defunctorum numerum, fecit summam 2402. centum quidem & sexaginta novem ante pestem h. e. usque ad 14. Augusti, duobus fere millibus ducentis & triginta tribus ipso tempore pestis a 14. Aug. ad finem anni extinctis. Sed cum suspectus esset numerus, quod Vespillones seu libitinarii lucri causa deprehensi fuissent plures justo sæpe ad Consulem retulisse, visum est optimum senatui sequente anno inire numerum accuratissima, qua fieri posset, ratione. Constitutis igitur, qui ostiatim circumirent & in singulis domibus in defunctos inquirerent, repertus est numerus ab initio Anni octogesimi quinti, usque ad primum Maji anni 86. defunctorum 2455. Jam si subducas 169. illos ante pestem, qui numerus certus esset 2233. post Cal. Januar. annum octogesimum sextum incipientes, ad initium usque Maji defunctos, relinquitur numerus pestis tempore mortuorum. Et quia tum una eadem- *[Pestis abripit 2233. homines.]*

denique opera vivorum quoque numerus indagari potuit: censa sunt capita in universum 6614. connumeratis exteris & peregrinis, qui tum vel negotiorum vel studiorum causa hic versabantur vel operas exercebant manuarias.

1401. Wohnungen. In der Stadt 526. vor der Stadt. 875. 9069. Menschen in gedachten Wohnungen verhanden. 676. darinnen 2455. in und vor der Stadt gestorben. 2644. Menschen, so in Sterbe Häusern beym leben erhalten. 725. Häuser, darinnen diese Zeit der XVI. Monat niemand gestorben. 3950. Menschen in gemeldten sichern Häusern gefunden. 6614. Menschen, so in sichern und unsichern Häusern im Umzehlen übrig blieben.

Præsagia hujus pestis. Pestis prodigia hæc antecesserunt, anserum sylvestrium media æstate abitus; repetentium ea loca accesserant, quæ alias non nisi præcipiti æstate repetere solent. In nostra urbe paulo antequam contagia intercederent, tam fœdi canum ululatus per noctem auditi sunt, ut omnium hominum animi vehementer consternarentur & certam sibi pestem ominarentur, canibus quippe intonantibus & præsignificantibus miserias, quæ paulo post consecuturæ essent. Item 19. Febr. fulmine tacta est *domus sub curia*: in qua excubias agunt vigiles.

1586. Schola post pestem rursus aperitur. Die Scholasticæ qui erat 10. Febr. rursus aperta est schola & reditum ad intermissas per 22. septimanas operas. Significata est instauratio publico scripto ad valvas scholæ & templi affixo, quod huc adscribendum duximus:

RELIQUIIS SCHOLÆ
Gorlicensis.

Programma Scholasticum eo fine publicatum. *Misericordia Domini, quod non consumti sumus; quia non deficiunt miserationes ejus, sed quotidie renovantur. Thren. 3.*

Propheta in dissipatione scholæ divinitus constituta non tantum oculis ac mente defixus hæret in pœnis publicis, pœnarumque tristissimarum causas deplorat, sed in calamitatum multitudine intuetur etiam bona reliqua: & prædicat misericordiam Dei, qui in exilio tam ærumnoso servavit præcipua membra Ecclesiæ, partem familiæ regiæ, ac summorum sacerdotum, nec non aliquas docentium & discentium reliquias: hortatur eos ad pœnitentiam & agentibus pœnitentiam promittit restitutionem: non agentibus pœnitentiam vaticinia & imagines pœnarum longe graviorum ob oculos ponit.

Hoc lugubri Prophetæ carmine, quod Ecclesiis atque scholis omnium ætatum præscribi voluit spiritus S. nos quoque edocti, agnoscamus paternam Dei castigationem: doleamus de peccatis nostris: divinis animos consolationibus erigamus: vitam a morum turpitudine, Deum ad iram provocante avocemus, & grati celebremus misericordiam Dei; qui in his periculis incolumem voluit esse Reip. hujus magistratum: manifesta sua præsentia testimonia edidit in conservandis verbi sui ministris: suas quoque scholæ reliquias, salvo & ipsius scholæ ab omni lue tabernaculo, servavit: ne deesset in posterum inter nos semen sanctum, quod ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Κυρίου, in doctrina Christi & humanitatis studiis erudiri atque ad officia Deo grata in omni vitæ genere informari posset.

Quod ergo bonum, fortunatum, felixque salutareque sit populo Gorlicensium scholastico, reique literariæ populi GORLICENSIUM scholastici, Collegisque nostris, fidei muneriq́ nostro: in Nomine filii DEI, Domini nostri JESU CHRISTI, qui λόγος est & Orator æterni Patris, summus Rector atque Doctor piarum Ecclesiarum Scholarumque; denunciamus juventuti scholasticæ & aliis, qui frequentibus hactenus nunciis de instauratione Scholæ cupide & solicite quæsiverunt: nos ad operas dicendi publicas redituros ad diem 10. Febr. atque eandem, qua hactenus in studiis discentium laboravimus, fidem atque industriam, atque etiam si fieri poterit majorem, in regendis cum studiis tum moribus primæ ætatis, assiduitatem, Deo aspirante, præstituros. Pia juventutis erit, Deo nobiscum gratias agere, quod in ira misericordiæ recordetur: afferre εὐσέβειαν, φιλομάθειαν καὶ σωφροσύνην, animos pios, discendi cupidos, continentiæ, modestiæ, sobrietatis amantes, disciplinæ scholasticæ patientes, denique alienos ab omni ferocia atque contumacia contra Os Dei, qua tandem πανωλεθρία rebusp. Ecclesiis atque scholis attrahitur: eam ut Deus a nostris myrmeciis clementer avertat: nec has terras anathemate percutiat, a patre Domini Servatoris nostri Jesu Christi toto pectore precamur. P. P. GORLICII LUSAT. Cal. Febr. Anno τῆς παγκοσμίου σωτηρίας 1586.

Collegæ docentes piam juventutem in Cœnobio scholæ Gorlicensis.

Ad portam, quam vocant tenebrosam in ea area, in qua olim villa Georgii Ost steterat, ædificatur Nosocomium ad recipiendos tempore pestis contagiosos. In eadem area sæviente pestifera lue complures scenæ fuere excitatæ & eo infecti peste passim ex ædibus deportati. Quod ergo tempore pestilitatis præstiterunt scenæ illæ: id si in posterum tales calamitates (quod Deus clementer prohibeat) incidant, hanc domum præstare vult providus & vigilantissimus hujus urbis Senatus. Nosocomium pro contagiosis ædificatur.

Hoc eodem Anno pons lapideus ad portam D. Nic. sumtibus non parvis, sed opere in primis utili & valde necessario ædificatur in autumno. Pons ad portam Nicolai extruitur lapideus.

Die 25. Nov. diem suum obit hujus urbis Consul *Dn. Valentinus Ritter* publice de universa hac Politia, Schola & Ecclesia: & privatim de multis, inprimisque de studiis discentium longe optime meritus, postquam Consulatum & fasces hujus urbis sexies gessisset. Natus est Valentinus Gorlicii patre Petro Ritter Strelensi, qui in hac urbe primum servivit scholæ, Cantoris- Valent. Ritter Cons. moritur.

torisque ac deinde Ludimoderatoris officium sustinuit, postea scriba publicus & tandem senator factus est, mortuusque peste Anno 1552. Hoc patre natus Valentinus die Scholasticæ qui fuit 10. Febr. An. 1523. missus est anno ætatis 13. Goldbergam in scholam Trocedorfii, ibique quinquennium didicit, Vitebergam deinde missus per biennium audivit Phil. Melanchthonem, postea peregrinatus per aliquot annos, domum reversus publicis muneribus præfectus, tandemque senator & Cons. factus est, ac denique post sextum Consulatum mortuus, cum annum 63. ætatis Climactericum superasset. Parentavit ei Schola hæc nostra recitato carmine a Fridr. Papa Collega Scholæ.

Joh. Leisentritius Decanus Bud. moritur.

Antecessit eum morte unius diei spatio Reverendus in Christo Vir *Dn. Joh. Leisentritius, Decanus Budissinens.* Vixit Decanus annos 59. M. 6. D. 13. Cujus ideo mentionem libentius facio, quod eum nostræ Ecclesiæ defensorem æque fidum atque Catholicæ expertæ sunt. Vir a crudelitate & persecutione remotissimus, quod in paucis ejus religionis hominibus, præsertim eo loco constitutis, reperias.

Ingens multitudo ciconiarum.

IV. Aug. incredibilis multitudo Ciconiarum Gorlicium appellit & in pinnis templorum ac monasterii, aliisque ædificiis editioribus pernoctat. Tracta est ea res in admirationem eo magis, quod maturior videretur hæc expeditio, quam sicut aliis annis fieri soleret; & quod hominum memoria non nisi præter volantes, non autem hospitantes Ciconias hæc urbs vidisset. *Sed nihil memorabile secutum est.*

1587.

Joach. Meisterus antehac Rect. Gorl. moritur Bremæ in eadem dignitate.

Hic annus nostris annalibus nihil memorabile suppeditat præter obitum Dn. M. Joach. Meisteri, Viri doctiss. & Poëtæ & Oratoris clariss. Natus est is Gorlicii An. 1532. die 1. Novembr. patre Oswaldo seplasiario. Didicit in schola Gorlicensi sub præceptore Dn. M Georg. Ottmanno. Postea in Academiis Francfordiana ad Oderam, Lipsiensi & Vitebergensi vixit.

Ejus munera,

Administravit scholas quinque summa cum laude: Laubensem in Lusatia, Elbingensem in Borussia, Göttingensem ad Harcyniam; Gorlicensem in patria, Bremensem in Saxonia.

elogium,

Vir summus, ingenio acerrimo, poeta inprimis præstans, cujus poemata antiquam poetarum gravitatem & sublimitatem spirant & suo tempore in publicum edentur.

Bremæ moritur.

Moritur hoc anno die Scholasticæ, qui est Febr. 10. post febrim continuam dierum septem, postquam vixisset annos 54. M. 3. D. 9. & scholam Bremensem rexisset annos nondum integros tres. Vir longiori vita dignissimus propter ingenii, eruditionis, doctrinæ, facultatis oratoriæ & poëticæ præstantiam & morum gravitatem rerumque scholasticarum eximium.

præsagium mortis.

Præsagium mirificum futuræ mortis animadvertitur ex carmine ipsius paucis septimanis ante, Calendis videl. Januar. ad Dn. Pezelium pastorem ejus loci perscripto: quod parti alteri scholarum in Examen Theologicum Philip. Pezelius præfixit. De eo carmine, cum dixisset illi Pezelius coram, videri sibi eum, utpote valere, ominari forte aliquid de ipsius ex hac vita discessu hoc anno, qui ei futurus esset Climactericus septimus. Ad hæc respondit Meisterus: Non tibi sed mihi videor præsagire vitæ meæ in his terris finem & exitum. Ego enim te præcedam. Te ut Deus diu Ecclesiæ & scholis servet opto precorque. Hæc tum Meisterus.

A Lugdun. Profess. Theol. desideratur.

Nec diu post, Academia Lugdunensis Batavorum legatum miserat Bremam, ut aut Pezelium aut D. Henricum ad primariam Theologiæ professionem illuc attraheret, stipendio amplissimo oblato. Cum neutri illorum integrum esset tali rerum Belgicarum statu sequi eam vocationem, nominaverat Pezelius legato Meisterum: sed is rursus sibi ominatus est mortem: Non ero, inquit, superstes tam diu, ut vel responsum de me mittat legatus, qui speciale mandatum de ipso tum non habebat, aut si superstitem me Deus esse sinet, a tuo Pezeli complexu non avellar, donec meo arbitratu res meas disponere mihi licuerit.

Epicedium Bremense.

Die sepulturæ Joh. Evvich D. Medicinæ & Physicus Reip. Bremensis, valvis templi & Gymnasii sequens affixit carmen a se compositum:

Eheu quam sors est hujus miserabilis ævi!
Quam mors humanæ dura noverca viæ!
Ecce diem Meisterus obit, vel plurima dignus
Qui fuit annosi vivere lustra Noæ.
Meisterus Rhetor clarissimus atque poeta,
Quales vix paucos Teutona terra tulit.
Qui decus eximium patriæ, regionis & urbis
Musarumque chori gloria magna fuit.
Ille piæ cultor doctrinæ strenuus olim
Nominis & vindex, dive Philippe, tui.
Ille modestorum ludi graviumque magistrum
Exemplar, solis criminis acre reis.
Testis Gorlicium, testis Gottinga, recensque
Testis ob erectam plebs Fabirana scholam,
Hic ubi Musicola magna cum laude juventæ
Præfuit & Meister nomine reque fuit.
Illi (inquam) nimis ingrato subducitur urbi
Qui tanti dignus non fuit arte viri.
Sed quæ causa fuit mortis? pro. febris,
Quam σύνοχον *proprie Græcia docta vocat.*
Hæc fuit haud tarde venturi nuncia lethi,
Nuncia vel solo nomine dira suo.
Nam dum continuo conflagrans æstuat igne
Et caput argutus lancinat inde dolor,
Dum sensim toto minuuntur corpore vires,
Et fesso requiem noxque diesque negat.
Dum nimis aucta sitis, dum prisca recedit ὄρεξις,
Sæpeque vox siccis faucibus hæret iners.
Dum gelido corpus sudore resolvitur ægrum,
Et totum liquidæ diffluit instar aquæ.
Dum lacrumis crebro suspiria mixta recurrunt,

Ver-

Verbaque nonnunquam lingua aliena refert.
Denique dum pulsus venarum tardat & aura
Jamjam claudendum cuncta minantur iter.
Morbus naturam superavit, mors fera morbum,
Septenaque fugit corpore vita die.
Vita abit, cunctis lacrumas luctumque reliquit,
Qui cari vivo cunque fuere viro.
Nec satis est, vulnus vehemens Ecclesiæ & urbi,
Damnaque deserta dat miseranda schola.
Cur igitur merito de te non conquerar o Mors!
O mors, qua doctis hostis es usque Viris.
Qua struis insidias semper melioribus, & fers,
Qui vitiis potius dissidiisque favent.
Quin prius hinc aufers, cunctos quia tollere mens est,
Qui prodesse minus plusque nocere solent.
An ratio tibi nulla boni, vel tempore solum
Venturo servas jura cuique sua.
Scilicet ut mundum ludas, dum propria Christi
Ad decus æternum sub cruce membra paras.
Sed reliquos longa per mollia tempora vita
Paulatim ad pœnas ducis agisque suas.
Consilium Domini mirum est, & panditur uni,
Illius in sanctum qui penetrale subit.
Tu tamen injuste fieri nil, optime lector,
Qui sapis, a justo judice, crede, Deo.

Parentavit ei schola Gorlicensis aliquot carminibus, quæ impressa extant.

Epitaphium Bremense.

Bremæ in lapide sepulchri Meisteri hæc legitur inscriptio:

Hic sepultus est Vir optimus & doctiss. M. Joach. Meisterus Gorlicens. Poeta & Orator Clariss. Qui cum Rectorem Scholæ Bremensis egisset in annum tertium & alibi pluribus in locis cum laude præfuisset scholis, placide in Christo obiit X. Febr. A. 1587.

Æstas solito frigidior.

Æstas hujus anni frigidiuscula fuit, adeo, ut frumenta, olera & legumina multis in locis non satis maturescerent, ubique vero serius colligerentur. Messores, tantum abest ut seminudi meterent fruges, ut etiam vestibus pelliceis ob frigidiorem auram uterentur.

Suggestus renovatur.

Cum mense Augusto anni superioris suggestus in æde Petrina fuisset renovatus, illustratis quæ in eo sunt picturis: hoc anno tabula, quæ cervicibus concionatoris instar cœli imminet refixa, ut novis coloribus renovaretur, die 23. Junii rursum affigitur cum parergis, quæ super tabulam illam manu Joh. Emerici pictoris sculptis & pictis conspiciuntur.

Duo haleces capiuntur characteribus ignotis insigniti.

21. Nov. in diversis locis uno eodemque die, *duo halecer* & non plures, cum alias multa millia capi soleant, unus in Dania major, alter in Norvegia minor, *characteribus*, ut sequitur, *insigniti*, capti fuerunt. Characteres scribuntur fuisse nigri ad carnem usque profunde adhærentes, ad hunc modum formati:

In majore halece:

VI·ISwb WXI in latere dextro
VWX^ in sinistro latere.

In minore halece:

UΘJU in dextro latere.
WAIV1 in sinistro latere.

Scripta de his characteribus edita.

Illæ picturæ in hanc etiam urbem sub initium anni sequentis allatæ in multis admirationem singularem pepererunt. Edita sunt de isto portento duo scripta, unum Germanicum in patente charta ἀνώνυμον; alterum lathnum in octavo, scriptum, Anania Jeraucurio, & dedicatum Fridrico Regi Daniæ. Explicationes ut fortasse non satisfaciunt omnibus, doctæ tamen sunt & ingeniosæ, in quibus valeat illud tritum: *Qui bene conjecerit, vatem hunc perhibebo optimum.*

Consul *Georg. Schmid* creatus primo. 1588.

Vaticinia varia de hoc anno

Hic est annus, quem secum mirabiles rerum mutationes tracturum jam olim Regiomontanus prædixit: cujus vaticinium his rythmis germanicis comprehensum in omnium ore est:

Tausend fünff hundert achzig achte
Ist das Jahr, das ich betrachte.
Geht in dem die Welt nicht unter,
So geschicht doch sonst groß mercklich Wunder.

Latine ad hunc modum:

Mille salutis agat quingentos mundus & annos
Octavus decies, bisque quaternus eat.
Et tibi vel mundi ruitura notabitur ætas,
Omnia vel miris cladibus acta cadent.

Eadem sententia in his etiam verbis continetur:

AVt MVnDVs InterIbIt: aVt aLIqVa InsIgnIa eVenIent. Eadem & per versum reddita:

AnnVs aDest aVt qVo VertentVr qVæqVe sVb aXe,
AVt graVe qVI rebVs attrahet eXItIVM.

Terror improvisus sed irritus Gorlicii.

Maximilianus Archi Dux-Austriæ a nonnullis electus Rex Poloniæ: a nonnullis minus pro rege agnitus, cum propterea plerosque regni proceres haberet infestos, a Cancellario regni die 27. Jan. in oppidulo Silesiæ Picino (Pitschen) sito ad fines Poloniæ capitur. Quæ res tum Silesiam totam tum vero etiam nostram

stram

ſtram urbem cum tota Luſatia usque adeo terrore quodam Panico proſtravit, ut cum hoſtem haberemus, nullum hoſtem timeremus: & longiſſime adhuc abſentem & nihil tale cogitantem, tanquam jam præſentem & nos cædentem expaveſceremus: multi etiam relictis rebus omnibus fugerent.

Georgius Johannis filius *Emericus* moritur repentino 4. Junii.

Epitaphium Conſulis Schnitteri. *Onuphrio Snittero* Conſuli reip. Gorlicenſ. ante annos 15. mortuo hæredes hoc anno die 26. Jul. in templo Petrino *tabulam epitaphii* ſuſpendunt, eo artificio ac magnificentia adornatum, ut facile reliqua anathemata illius templi arte & ſumtibus ſuperare videatur: Pictura tabulæ continet hiſtoriam de filio prodigo, cui ſupra ſcriptum hoc tetraſtichon legitur:

Perdit opes juvenis, fit inops, veniaque receptus
Exultat patria rurſus, ut ante, domo.
Quisquis es hac oculis, hac pectore ſæpe volutes:
Donorum ne ſit prodigus ipſe Dei.

Autor horum verſiculorum eſt M. Joh. Vogelius paſtor Eccleſiæ apud Zittavienſes.

1589. Fridericus Spedius Eques auratus moritur Gorlicii. Fridricus Spedius eques auratus, poſtquam multis Imperatoribus, Regibus & Principibus ſtrenuam in bellis gerendis locaſſet operam, ac tandem ſenectæ ſuæ requiem quærens in hanc urbem ſedem rerum ac fortunarum ſuarum collocaſſet: moritur hoc anno 20. Febr. Ex ejus teſtamento candelabrum illud ex Orichalco artificioſe apud Noribergenſes confectum & thaleris 30 redemtum de tholo templi Petrini ante ſummum altare ſuſpenſum eſt menſ: Decembri.

Jac. a Saltz Capitaneus Gorl. moritur. Nocte ſequente undecimum diem Martii inter 11. & 12. noctis ſecundum horologium dimidium moritur Heidersdorfii nobiliſſimus vir Jacobus a Saltza Capitaneus Gorlicenſis ætatis 63. Cum Capitanei munus adminiſtraſſet annos 4. Ei ſuccedit Henricus a Noſtitz in Noës electus 26. Martii.

Βασανιστήριον, carnificis domus & cuſtodia publica ædificatur. Βασανιστήριον, (das Marter-Hauß) dit Henckerey und Büttley ædificatur hoc anno ea magnificentia, ut non admonitis & procul intuentibus domus aliqua regia videatur: ea deinde altitudine, ut cum officere luminibus vicinarum ædium videretur, ædificatio illa non ſine offenſione multorum prope habitantium ſuſciperetur. Carnifex tum rurſus in urbem ex ſuburbano tugurio revocatus, quo antea per Conſulem Onophrium Snitterum vix magno conamine fuerat ejectus, eam domum cum præcone publico habitare cœpit: non grati hoſpites vicinis, quæ & ipſa cauſa offenſionem vehementius auxit.

Novus Synd. M. Dan. Remlerus Lipſenſ. ex aula Electoris Saxoniæ Dræsda vocatur Gorlicium Syndici officium ſubiturus.

1590. Cometa mediocris magnitudinis apparet. A. die V. usque ad VII. Martii Cometa mediocris magnitudinis cum magna cauda ſurſum verſus porrecta apparuit, ſed a paucis fuit animadverſus. Ejus curſus fuit concitatiſſimus adeo ut ſpatio unius diei & noctis circiter 4. gradus in coelo conficeret. Illuxit primum circa piſcem borealem & Andromeden, ac inde recto curſu ad Heniochum per deltoton caput Meduſæ & pedes Perſei properavit, easque ſtellas omnes ſuo lumine aſpexit: ſed antequam Heniochum attingeret, circa pedes Perſei deflagravit, atque ita magnam partem dodecatemorii ♈ & ♉ tranſiit. De eo Cometa Matthias Menius Dantiſcanus in prognoſtico an. 1591.

Siccitas æſtas. Putatur hic Cometa portendiſſe ſiccitates illas, quæ hoc anno ſecutæ ſunt diuturnæ, quarum ſimiles ab An. 1540. non ſunt hæ terræ expertæ. De illis ſiccitatibus hæc ſunt memoriæ cauſa facta eteoſticha, autore, ut ego accepi, Gregorio Bersmanno:

Aret hIVLCVs ager CerVo sItIS ora perVrIt
ACCenſo rhenVs fLVMIne anheLat aqVas.

Aliud:

SqVaLet ager, qVerVlos InCeſtat funere saLVs
ECCe rVent trIſtI CerVa pereMta sItI.

Tres moletrinæ deflagrant. Frumentariæ molæ, quam ſuperiorem vocant (die Ober-Mühle oder Conſulis Mühle) adjunctæ tres aliæ moletrinæ mechanicæ, ut ſunt Cupraria (die Kupffer-Mühle) pannaria (die Walck-Mühle) & ferraria (die Schleiff-Mühle) incendio, incertum unde orto, nocte præcedente, diem 12. Aprilis conflagrant.

Terræ motus Gorl. & in vicinis regionibus animadvertitur. Nocte præcedente diem 16. Sept. terræ motus in his regionibus ante hac nunquam animadverſus urbem noſtram leviter concuſſit ſine clade ullius vel ædificii vel hominis. Mane facto cum exiſtimarent ſolam hanc urbem fuiſſe infeſtatam, compertum eſt paulo poſt, totam Luſatiam & vicinas regiones, Miſniam, Sileſiam, Poloniam, Bohemiam, Moraviam, Auſtriam eundem fuiſſe tremorem expertam. Nullibi vero majore cum clade quam Viennæ Auſtriæ, in qua urbe multas publicas & privatas ſacras & prophanas domos deformavit, dejecit, evertit, homines non paucos oppreſſit, complures ex urbe in hortos metu ruinæ expulit. Viennæ multum dedit damni. S. Stephani turrim, quod eſt præcipuum γνώρισμα illius urbis, penitus labefactavit, irreparabili cum damno. In aliis locis ita commovit cum alia ædificia tum vero celſiores turres, ut æra in illis pendentia per vehementiorem motum impulſis piſtillis ſonum ediderint. Quid portenderit? Etſi vero hic terræ motus indubitatum eſt ſignum extremi & mox ſecuturi judicii: tamen non dubitemus ſimul portendiſſe illas ir-

ruptiones barbararum gentium in Carinthiam, de quibus suo loco dicetur: & illos alteros motus, qui in religionis negotiis post Christiani Electoris Saxoniæ mortem secuti sunt in Misnia, & in vicinorum locorum oppidis tribunitiis, per quos tot Ecclesiæ & scholæ dissipatæ sunt, tot viri docti & innocentes in exilium acti, tot in carceres per vim sine legitima causæ cognitione conjecti, ut pia mens meminisse horreat, luctuque refugiat. De hoc terræ motu scripsit præclarum carmen præstantissimus poëta Joh. Major, quod hoc loco inserere volui, ut ejus lectio majorem hujus prodigii considerationem nobis excitet. Nemo enim præter hunc Majorem quicquam de hoc terræ motu scripsit: adeo miracula assiduitate vilescunt, nisi quod M. Mart. Weindrich scholæ Elisabethanæ apud Vratislav. collega, ab hoc quasi hypothesi occasione sumta, de thesi h. e. de terræ motu ingenere aliquid disputavit prolixius, & in publicum edidit. Elegia vero Majoris hæc est:

Elegia Joh. Majoris de hoc terræ motu.

Nox erat, & medium superarant sidera cursum,
Corpora per terras presserat alma quies.
Ecce dedit fremitum concusso viscere tellus,
Movit & ex nervis claustra, trabesque suis.
Corporaque excussit somno fragor, æraque sacris
Pendula culminibus concrepuere sono.
Flebile nos ducit terræ tremor iste per omen,
Et jubet occultum corda timere malum.
Quid loquor, occultumne malum? quin obvius ardor,
Ni talpæ essemus, lumina nostra ferit.
Tum sua Castra movet Mahometi cultor ab Arcto,
Sarmaticaque aditum quærit acerbus humo.
Deinde parem monstro vix terra eduxit Ibero,
Cui neque sit cura fedus & ulla fides.
Claudit iter Christi, ceu vallo, cæde piorum,
Et farre effictum protegit ense Deum.
Tum nil subsidii dedit æther ahenius arvis,
Nec gregibus pastum ferrea misit humus.
Nil imbres juvere solum, gensque insita rivis
Exhausta volucrum præda palude jacet.
Nec tamen impendent fera pectora tangit egestas,
Ad frugem ut redeant, officiumque colant.
Qui lingva ad mores debebant esse regendos,
Sunt gula, quid mirum? sacra Baalis habent.
Arte rudem vitam degunt in labe, lutoque,
Et vitia ut carpant hos sua vita vetat.
Nec Venus aut fœnus mordens in voce notatur,
Bos est in lingva, Vineus ore cadus.
Ergo vomunt saturi redolentia dicta venenum,
Et gladios fratrum, pieridumque fugas.
Ut taceant homines, cœlesti voce refutat
Crimina, ter motu concita terra suo.
Dum furor illudit monitus hominumque Deique,
Ecce tibi pœnas murmure terra canit.
Quando tremor terræ multas cum gentibus urbes
Orbe Palæstino vertere visus erat.
Forma sacri busti quassata voragine dira,
Nunc minus excelso est, quam fuit ante, loco.
Hacque vicem ingentem terris instare monebat,
Fecerunt subito bella secuta fidem.
Teutonis ardebat privatis motibus ora,
Carolus in Mysos arma ferebat agros.
Sed cœlo terraque, Dei ceu testibus ipsis,
Nuda sine exitiis est tribuenda fides.
Insolitæ species, aut murmur, vocis imago est
Divina, raro vi caruere minæ.
Ni tulerit fructus, cadet icta securibus arbor,
Nam Deus ad stragem sustulit ipse manum.
O lacrumis precibusque ictus elidite anhelos,
Fit melior vita de meliore DEUS.

Nobilis ab alio confossus in platea exanimis reperitur.

Christophorus a Schönaich (Belliquercius) à Segersdorff juvenis & doctus & modestia vitæ morumque spectatus, alumnus antea scholæ nostræ, cum vero ex Academia Heidelbergensi, ubi præclare in studiis vixerat, domum reversus, 3. Octobr. Gorlicii sub vesperam in publico diversorio, ad auream, quod vocant, aquilam, cum alio quodam juvene nobili a Köckeritz in contentionem devenit, quæ tandem in singulare certamen erupit. In ea monomachia Schöneichius, circa carpum sinistræ manus non magnum vulnus accipit. Sed cum id nemo animadverteret, & diremto certamine Schöneichius partim vino, quod biberat, partim ira æstuans in publica via per noctem discurreret, nec esset, qui vulnus tempestive obligaret: fit, ut sangvine copiosius ex vulnere effluente, primum in syncopen, ut putatur, incideret, mox animam ipsam cum sangvine miserabiliter poneret, repertus exanimis ad fores cujusdam civis in superiore urbis parte provolutus. Hæc ideo annoto, ut hac tanquam concione pœnitentiæ admoniti scholastici nostri in majore pietate vivant, vitantes pericula & occasiones periculorum, Vinum, discursationes nocturnas, pugnas cruentas. Cum enim Deus tale exemplum statuerit in ligno viridi h.e. juvene & probo & habente laudem modestiæ & obedientiæ apud suos præceptores, quid metuendum est iis, qui nullis admonitionibus permoveri, nullis legibus coërceri, nullis pœnis absterreri se patiuntur.

19. Octobr.

Duo putei fossores supprimuntur.

19. Octobr. duo fossores, dum pateum in hortis suburbanis incautius effodiunt, terra desuper defluente, oppressi suffocantur.

M. Georg. Ottomanus Cons. moritur.

24. Nov. obiit ampliss. Vir M. Georg. Ottomanus jam septuagenarius post sextum Consulatum. De ejus familia reperiet lector superius aliquid sub A. 1544. & in Carmine Dn. Gregorii Richteri ministri Ecclesiæ hujus, qui ei præter scholam & amicos peculiari carmine parentavit. Inde quæ ad hujus Ottomani studia, actiones & totam vitam pertinent, assumantur. Ego hoc de patre, non solum patriæ, sed meo quoque & simul olim præceptore vere commemorare possum: non me plures animi dotes & virtutes in ullo homine vivo unquam deprehendisse copulatas & conjunctas dulcissima συζυγία, atque in hoc uno Ottomano. Inter alias autem dotes eminuit in primis admirabilis illa eloquentia, qua sibi paravit auctoritatem apud omnes, gratiam apud Cæsares, in primis vero Maximilianum II. qui eum latine loquentem cum summa voluptate sæpe audivit. Altera est sapientia politica, in qua nemo ei his in locis par erat: ita, ut recte Peucerus in quadam Epistola, quam ad nostros de obitu hujus sui amici scripsit, queratur, *occidisse oculum, quo videbat, & sapientiam, qua sapiebat Hexapolis.* Probitas in eo erat tanta, & moderatio abhorrens ab omni violentia, ut non raro magis indulgens pater, quam justus judex videretur. Hoc vero etiam eximium in hoc viro fuit, quod ut de Socrate etiam scribitur, vultu semper esset eodem, sive in rebus adversis, sive secundis constitutus. Ejus consilio hæc Augusta Schola primum erecta, hujus labore cura & solicitudine monasterium ad hunc pium usum ab Imperatore obtentum, hujus opera stipendium annuum ab eodem impetratum est. Hoc pacto cum publicam rem curavit, suam neglexit, adeo quidem, ut præter boni nominis famam heredibus nihil reliquerit. Ideo Laurentius Ludovicus gener in Epitaphio Carmine recte pinxit ei lychnum ardentem cum lemmate: Inserviendo aliis consumor. His subjectis versiculis:

Dotes animi.

Merita.

Epicedium.

Per mare, per terras, dum saxa per ardua repto,
Dum quæro patriæ commoda justa meæ.
Dum schola nostra mihi, dumque est Ecclesia curæ,
Dum sanctæ torquet religionis amor.
Infelix curis distractum oppressit egestas,
Intulit & sævas mors violenta manus.
Gaudia sed quæ sunt, quæ præmia parta laborum?
Dum fruor aspectu, maxime Christe, tuo.

Trocedorffii effigies cum inscriptione in templum Petr. reponitur.

Hoc anno sumtibus Dn. Lauentii Ludovici Rectoris Scholæ picta & in chorum templi Petrini reposita est iconica imago Dn. Valentini Trocedorfii, cujus olim ille discipulus fuisset, & ad cujus scholæ ordinem ac methodum hæc nostra quoque fuisset accommodata.

Super effigiem legitur hoc distichon:

Ne ventura tui post viveret immemor ætas,
Discipuli memores hæc posuere tibi.

Infra imaginem addita est hæc inscriptio:

Valentino Fridlando Trocedorfio Bernh. F. an. æt. s. XVI. prima literarum elem. ruri edocto, cortice betulæ pro papyro, fuligine pro atramento uso, scholæ Gorlicens. an. Chr. MDXV. collegæ infimo, minori, supremo, primo docentium & discentium in eadem schola lingvæ græcæ doctori, D. M. Lutheri auditori religiosiss. Ph. Melanchthonis imitatori feliciss. scholæ Goldbergensis per An. XXXIII. Rectori clariss. animam Lignitii Elysiorum inter vota & lacrum: discipulorum. A. C. MDLVI. XXVI. Apr. Salvat. Christo commendanti discipuli memores & grati monum: hoc in patria posuerunt.

Greg. Richt. M. Miseno succedit in Diaconatu.

Die V. Decemb. moritur anno ætatis suæ 67. Reverendus Vir, Dn. *M. Andreas Misenus* Cotbusius, postquam ab A. 1551 docuisset Ecclesiam Gorlicensem annos 39. integros & novem circiter menses. Ei succedit *Gregorius Richterus*, cujus undecimo die post, qui fuit 16. Decembris, periculum fecit, magistratus in concionando ad plebem publice, dignusque judicatus, cui ea provincia demandaretur, die 26. Januar. anni sequentis munus docendi hanc Ecclesiam orditur feliciter.

Novus Ecclesiastes.

28. Febr. obit reverendus Vir Dn. Basilius Zenderus Gorlic. minister Ecclesiæ hujus, cui succedit Joh. Hachelbergius Gorl. qui primam suam concionem habet altero die paschatis hoc anno.

Die 6. Maj. obit *Michael Smidius* Senator, Scabinus & Prætor.

Jac. Händl Pragæ obiit.

4. Jul. moritur Pragæ præstantissimus nostri seculi & svavissimus Musicus *Jac. Händl* Carniolus. Ejus facio mentionem in his annalibus Gorlicensibus propter laudabile convivium nostrum Musicum, quod solis fere hujus cantionibus personat, & cujus nomini propterea a nobis memoria debetur perpetua. In ejus obitum edita sunt carmina Pragæ impressa in charta patente: ex quibus hoc eteostichon huc transscribendum putavi:

QVa CaDIt HanDeLIVs fato properante, treCentos
LVX FabIos LatIo sVstVLIt ILLa soLo.

Rect. Joach. Meisteri effigies cum inscriptione in templo reponitur.

Mense Julio fuit reposita in chorum templi Petrini effigies doctissimi Viri & Poetæ ac Oratoris clariss. *Dn. Joach. Meisteri Gorlicens.* cum hac inscriptione autore Laur. Ludovico.

Supra effigiem:

Colligite, o cives, divini scripta poetæ:
Ne pereat patrii, fama, decusque soli. Et:
Hic vir, hic est, Musas patriam qui duxit in urbem
Heroo resonant carmina docta pede.
Felix, quæ talem genuit te, patria, civem
Scribendo, fando vix habitura parem.

Infra effigiem:
M. Joach. Meistero.

Civi Gorlicensi, Philosopho præstantissimo, Oratori gravissimo, poetæ nulli veterum recentiorumve secundo, scriptis quam plurimis editis clarissimo, scholarum multarum, in primis patriæ per an. XV. Rectori felicissimo, an. C. 1532. die 1. Novemb. nato An. vero 1587. die X. Febr. ætatis suæ 54. M. 3. D. 11. Bremæ in Westphalia pie defuncto: discipuli memores & grati in patria posuerunt.

De Meistero plura sub An. 1587.

Pia Matrona Glychii jun. conjux obit.

24. Sept. pie & placide obit honestissima matrona *Barbara* Dn. Mich. *Enderi* Senatoris & *Scabini* reip. Gorlicens. filia, Dn. *Joh. Glych junioris conjux.* Hæc quam fuerit pia, quam religiosa, quamque in capitibus doctrinæ Christianæ erudita, testatur confessio paucis diebus antequam expiravit ab ipsa edita, & a marito ex ore decumbentis excepta & annotata est: testatur maritus vir fide dignus, qui ait, se hujus colloquiis & disputationibus, quibus sæpe magnam partem noctis in lecto secum jacens consumsisset, permotum, cœpisse accuratius de articulis hoc tempore controversis cogitare, & tum primum eos rectius intelligere & discere. Confessionem tanquam miraculum in tali sexu ascribam, qua magis piam & orthodoxam vix ab ullo Theologo edi posse existimo:

Notabilis ejus Confessio fidei paulo ante obitum edita de Sacramento Cœnæ.

So gewiß als ich aus der Hand des Kirchen-Dieners empfange das gesegnete Brodt und Wein, so gewiß empfange ich auch den wahren Leib und Blut Christi, nicht aber einen solchen Leib und Blut, der ins Brodt und Wein verwandelt wird, auch nicht einen solchen, der um der Worte oder Messe wegen da ist; sondern, den mein Glaube der sich an das Verdienst Christi hält, ergreiffen muß. Und seyn die Sacramenta nicht schlechte Zeichen, sondern solche, dadurch der glaubige Mensch, auch das, was bezeichnet wird, als den wahren Leib und Blut Christi, wahrhafftig im Glauben empfähet, und damit das gantze Verdienst Christi, und weiß gewiß, daß ihn das Blut Christi reiniget von allen seinen Sünden, und macht ihn zum Erben des ewigen Lebens.

Toxitarum domus Schieß-H.

Hoc anno cœpta est ædificari toxitarum domus egredientibus portam Marianam s. Meridionalem in pomerio ad sinistrum est. Opus satis honestum pro honestis conviviis & quidem syssitiis, quæ honestiores cives isthic præbere solent.

1592. Certamen cum balistis institutum.

12. Jul. institutum est certamen ludicrum in arte jaculandi balistis ad volueres: ad quod invitati fuerunt vicinarum urbium cives: quorum converunt 97. Volucres tres more consveto fuerunt affixæ. Prima versus urbem candidi coloris regi attulit 30. Joachimicos: singulis particulis vel frustis singulos Joachimicos, (dedit festucas 43.) Eam dejecit Barth. Adeler Königsteinensis ex Misnia prope Pirnam. Media crocei coloris 40. Joach. in singulas partes 2. Joach. quarum fuerunt 59. quam decussit Martinus Winckler Leobergensis. Tertia coloris rubri 50. Joach. in singula frusta (quorum fuerunt 101.) 3. Joach. Hanc dejecit Joh. Heinrich Sittaviens. Certamen hoc a die Soli. duravit usque ad diem Mercurii. Ex peregrinis hic fuerunt 97. ex nostratibus 36. ut totus numerus toxitarum fuerit 133. Die Spâne sammt den Abschiessen haben gestanden 584. Rthl.

Epitaphium in æde sacra Leopoldishainensium:

Michael Martini F. Enderus Nobili & Patritia Gente ortus
Senator apud Gorlicenses Eximius Dominus in Serichaw
& Leopoldishain Acris Vir judicii
Ingenii perspicacis
Gravitatis temperatæ



Non improviso Apoplexiæ turbine

AD

AD certam immortalitatem abreptus
Spem præter metumque;
Mens. Jun. Die XXIII, A. CIↃ. IↃ. XCII.
H. S. E.
Bene sit Dis manibus.

1592. Gorlicium ap. exteros in suspicionem Calvinismi cadit.

Cum Christiano Electori Saxoniæ illustrissimæ & sanctiss. memoriæ, exorcismum, quem vocant, in suæ ditionis Ecclesiis omitti placuisset: & alia moderatiora consilia tentasset: quibus vulgus theologorum seditiosum & inquietum minus delectatur: & propterea in suspicionem venisset apud subditos & princeps ipse, & ejus theologi: quasi Calvini dogmata invehere in Ecclesiam paulatim in animo haberet: consecuta Electoris mors, non solum universas illas ditiones turbavit, iis motibus, qui ante oculos sunt: sed alibi etiam fratres insidi tam speratam denique optatam occasionem nacti, tentarunt cum alias respublicas, tum hanc nostram quoque Gorlicensem in apertum periculum exponere. Ideo non cessarunt in nos concitare clementissimum pectus Rudolphi Imp. Domini nostri clementiss. perfeceruntque ut severis mandatis ad Præfectum Lusatiæ & Decanum Gregor. Leisentritium Administratorem Ecclesiasticum utriusque Lusatiæ, perscriptis serio inquiri in Lusatiæ utriusque scholas & Ecclesias, inprimis vero in hanc nostram mandavit. Vocati sunt ea de causa Budissinam aliquoties Consules nostri: vocati ministri Ecclesiæ: vocatus inter nos M. Mylius ex schola. Sed cum vere & unanimiter ab omnibus fuisset responsum, nihil in ceremonis Ecclesiæ, jam ante his usurpatis, nihil in doctrina mutatum: sed doceri congrua confessioni Augustanæ, Catechismia Lutheri & scriptis Melanchthonis: & simul ordo scholæ cum annotatione omnium lectionum & operarum fuisset exhibitus: nonnihil molitiones hostium nostrorum fuerunt repressæ & pericula sopita, non sublata sunt, quæ ut Deus penitus avertat, & nos nostrum ministerium deinceps quoque sine interpellatione exercere permittat, nec sinat apud nos quoque infinitam vastitatem fieri, Deum, quibus possum precibus serio et ardenter oro. Mandatum Imperatoris memoriæ causa huc ascribam:

Rudolphus Imp. severe jubet inquiri.

Rudolphus der Ander, von Gottes Gnaden erwehlter Römischer Käyser, auch zu Hungarn und Böhmen König rc.

Mandatum Cæsaris ad Præfectum Lusatiæ in quirendo Calvinismo.

Wohlgebohrner lieber Getreuer, wir fügen dir gnädigst zu wissen, daß uns glaubwürdig Bericht fürbracht, wie daß in unserm Marggraffthum Ober-Lausitz mehrer Orten wie auf dem Lande also auch in Städten, sonderlich aber in unser Stadt Görlitz und beym Schulen daselbsten, die verführische schädliche Sect der Calvinisten einwurtzeln, sonderlich aber jetziger Zeit ihrer viel, so sich aus Meissen und Sachsen begeben und wandern müssen, Unterschleiff und Auffenthalt suchen sollen.

Wann wir denn gar nicht gemeinet sind diese ärgerliche und schädliche Sect in unsern Landen einkommen zu lassen; Also ist hiermit Unser endlicher Befehl, daß du alsbald mit und beyneben dem würdigen Unsern Andächtigen lieben Getreuen Gregorn Leisentritt Admenistratorn und Thumb-Dechant zu Budissin, als Administratorn in spiritualibus allen Fleiß nicht allein zu Görlitz in der Schulen und Bürgerschafft, sondern auch an andern Orten, da dergleichen Personen halben Vermuthung gantz in der Stille eine fleißige Kundschafft anstellest und haltest, denn auch dieselben Verführer und Sectirer als an Unser statt abschaffest, und mit Verfahrung Unser ernsten Straff abweisest. Da sie sich aber nicht würden auf deine Vermahnung abweisen und warnen lassen, uns hernach solches mit ausführlicher Specification der Personen, und ihrer Ankunfft, und sonderlich derjenigen, so ihnen Unterschleiff geben, auch wie und durch was Mittel solche irrige und verführische Secte, und derselben zugethane Leute aus Unsern Landen abbracht und davon gesichert seyn möchten, gehorsamlich berichtest, inmassen wir dem gedachten Thumb-Dechant zu Budissin, Als unserm Administratori in spiritualibus im Obern und Nieder-Lausitz endlichen Befehl gethan, hierauf gute Achtung zu geben, dergleichen vagirende Sectische Prædicanten mit deiner Hülffe abzuschaffen, oder da es nicht seyn wolte, für dich selbsten Uns die Gelegenheit zu ferner Unser Resolution in Gehorsam zuberichten wollen Wir dir zur Nachrichtung gnädigst nicht bergen. Es geschiehet auch an dem Unser gnädigster und endlicher Wille Gegeben Königl. Schloß zu Prage 5. Jan. A. 92. Unserer Reiche; des Römischen im 17. des Hungarischen 20. und des Böhmischen auch im 17. Jahr.

Rudolph.

Ad mandatum S. Cæsareæ Maj.
proprium Seboldt Hingolt.

Adamus de nova domo S. R.
Bohemiæ Cancellarius.

Dem Wohlgebohrnen Unsern lieben getreuen Hannsen von Schleinitz, Unserm Rath und Landvogt Unsers Marggraffthums Ober-Lausitz.

Ex incuria pulvere py-

In diem Jun. 18. incidit infausta conjunctio ♄ ♂, cujus tese effectus eodem statim die apud

sic nonnulli enecantur, plures misere laeduntur.

nos magna cum clade ostendit. Dies erat Jovis, quo est mercatus Septimanarius Gorlicensibus. Forte erat quidam, qui pyritas h. e. lapides, qui percussi ignis scintillas edunt, venales circumferret. Venit is in plateam, quæ, quia olim, antequam monasterium fratrum mœnibus urbis inclusum fuit, istac ed fratres itum est, fratrum cognomentum accepit; & conspicatus merces venum expositas ad Alberti Tyroldi ædes, inter quas & pulvis tormentarius erat, eo accedit sciscitaturus ex hera, quæ merces vendebat, an emere velit; ac simul fit periculum lapidum, an bonæ sint notæ & probi, incertum ab emtrice ne an venditore. Hic infeliciter scintillæ incidunt in pulverem sulphureum, qui magna copia ibi erat expositus: & funestum edit spectaculum. Nam pulvis non solum pro sua natura immensum fragorem instar cujusdam tonitru edit, ita, ut tota pena urbs concurreret, visura, quis tantum tormentum, quod ex tam grandi sono grande esse oportere conjiciebant, exploderet, sed & contrahentes & prope astantes & forte prætereuntes miserandum in modum aduruntur, deformantur, enecantur. Ipsa emtrix Tyroldi conjux & ejus ministra jam vetula, cum flamma externas pariter & internas corporis partes, faciem, pectus, bracchia, os, palatum, fauces vehementer adussisset, inter magnos cruciatus moriuntur. Domina die 7. post, qui fuit criticus & ministra die 8. post & die 10. simul funere efferuntur. Venditor lapidum præbuit triste spectaculum per urbem. Cum enim vestes ejus lineæ, quibus erat indutus, undique concepissent flammas visus est in mediis ignibus stare & instar furibundi hominis discurrere per urbem, altaque voce auxilium hominum implorare. Hic vidisses undique accurrere ex proximis ædibus homines cum situlis, cum aqualiculis, cum cantharis etiam cerevisiariis & aquam simul & cerevisiam effundi ad extingendas flammas. Alii finium apportabant, ut ardores adustorum membrorum misero homini lenirent, en quidem emplastru imposito. Ex alia parte erat mulier rustica, ex alia puer quidam scholasticus, ex alia rursus alius, quorum miri gestus flammas extingvere conantium & ejulatus exaudiebantur. Denique 7. personæ, non annumeratis iis, quibus barbæ, pilei, vestes leviter, fuerunt adustæ miserum in modum ab ima calce ad summum usque verticem fuere combusti, sed cæteri diligenti chirurgorum opera & industria sunt conservati. Venditor lapidum & mulier rustica singulos amiserunt oculos. Ita merces contrahentibus pro lucro damnum attulit: ita pulvis in hominum perniciem primum repertus ab ingenita violentia sua non recessit: ita ibi mors latuit, unde summa securitas fuit sperata. Ajunt non procul ab expositis mercibus stetisse vasculum plenum pulveris: quod si flamma corripuisset, futurum fuisse, ut tota illa domus cum magno periculo vicinarum fuisset eversa.

Ejusd. mensis die 23. ♂ prid. Baptistæ moritur Nob. & Ampl. *Dn. Michael Ender.*

Ventorum & fulminum damna.

Ejusd. mens. die 29. circa vesperam magnæ ventorum & fulminum tempestates crassissimas arbores frangunt, multas ramis mutilant & detruncant, complures radicitus evertunt. Domus in hortis Georgi Helderici fulmine tacta, incenditur & deflagrat, reliqua ædium illarum parte, horreo item domui vicino, illæso.

In silva quoque Gorlicensi aliisque in lucis multæ arbores erutæ & contortæ. Fruges in agris parum læsæ. Eadem tempestas & ventorum turbo eruit quoque murum ante portam Reichenbachensem contiguum, ipsi portæ prope domunculam portitoris, qui prius constabat ex ligno, lateribus intersepta: quem mox sequentibus diebus ex lapidibus totum refecerunt. Ante decennium hunc ipsum quoque murum procella everterat. Observatum est a nonnullis, hanc tempestatem circa Fribergam in Misnia sumsisse initum & usque in Silesiam desæviisse.

Æditui ad D. Petri & obstetricis domus ædificata.

Hoc anno exædificatur quoque domus nova, quam æditus templi ad D. Petri & Obstetrix publica incolunt. Fit initium extructionis mense Majo: absolvitur mense Octobri. Autumnus hujus anni valde tristes attulit nuncios de incursionibus Turcicis in Carinth. tanta multitudine, ut vix ei humana ope resisti posse videatur.

Incursiones Turcarum in Carinthiam.

Vastarunt eam regionem cædibus: occuparunt aliquot in ea urbes & castella, multos utriusque sexus & ætatis homines in tristissimam servitutem abduxerunt. Et quia ingruente hyeme non recesserunt, sed in hibernis expectant proximum ver, quo longe atrocius & vehementius sæviant; ac insuper tres Bassæ vires suas conjuncturi dicuntur: pericula majora nobis impendent, quam fuerunt cum idem hostis A. 1529. Viennam oppugnavit: libenter enim confero hoc tempus cum illo, quia numeri utrinque sunt iidem & non nisi transpositione mutati.

Omina infelicia.

Schema: 1529. 1592.

Tum etiam Climacter magnus, qui ab eo tempore effluxit, in suspicionem nos adducit, ne forte hic annus illi effectibus suis respondeat. Non etiam de nihilo est, quod in diem 16. Sept. hujus anni incidit regni & potentiæ Turcicæ finis.

63. Tot anni intercesserunt, numerus autem indicat Climacterem magnum.

Quid si Turca ante hunc interitum suum, instar ægri alicujus, apud quem ultimus sæpe naturæ conatus aliquid molitur, ipse etiam extrema quæque experiatur, ut impleatur, quod ab Ezechiele de Gog & Magog prædictum est. Sed tu Deus averte omen, conserva nos in pace, pugna pro grege tuo. Ne patiaris grassari impune tyrannos in nomen ducunt qui fera bella tuum. Quod vero dixi de fine regni Turcici, sic accipiatur. Habent illi vaticinium, suum regnum duraturum annos mille. Incidit autem initium Mahometi in annum Christi 622. in diem Veneris, qui est 16. Jul. Ergo si mille anni Arabici (talibus enim utuntur Turcæ) qui faciunt annos Julianos 970. & dies 74. cum aliquot horis adduntur

622.
970
1592.

anno

anno Christi jam dicto incidet finis ipsorum in 16. Sept. hujus anni currentis 1592.

Novus Capitaneus.

28. Sept. obit nobiliss. *Henricus a Nostitz* in Noes capitaneus Gorlicens. cui succedit *Fridricus a Tschirnhaus* in Ciswalda, electus 17. Dec. hujus anni.

Juvenis melancholicus amissus post 6. dies in horreo reperitur.

Mart. Rösleri hortulani apud Gorlicens. filius adolescens amittitur, nec sciri potest per 6. dies, quo evaserit, aut quid de eo factum sit: quæ res anxios reddit parentes, qui eum quærunt per omnes angulos domus, in cellis subterraneis, in cameris, in horreo, in puteo, ubi non? Sexto die, qui fuit 5. Octobr. auditur in horreo super fœnum obscurus ejulatus, quasi ægri cujusdam hominis. Ascenditur, adolescens reperitur, fame pene enectus. Deportatur in ædes, fovetur, cibatur, potatur, quæritur ubi fuerit, & cur tot dies sese subtraxerit, nec domum redierit? Tum ille, qui potui, inquit, qui latui in aqua sub glacie, nec evadendi inde fuit potestas, donec vir quidam venit, qui dissecta glacie me extractum liberavit. Exemplum est insigne Melancholiæ & simul miraculi servati adolescentis a Deo per tot dies absque omni cibo & potu.

Exundatio Nissi.

3. Aug Nissus aquis pluvialibus auctus in tantum intumuit, ut aggerem moletrinæ supergrederetur. Piscatores ausi sunt affirmare proximis 20. annis tantum & tam repentinam Nissi exundationem non fuisse.

Novus Consul & Prætor.

Magister civium eligitur Cal. Sept. *M. Barth. Scultetus*, artifex in Mathesi excellens, cum prius præfuisset præturæ annos tres magna cum laude, singularis & stupendæ diligentiæ in consignandis accusationibus & responsionibus, quarum ascripsit 3900. Dn. Joh. Glyn senior, impetrata ab Imperatore venia, officium suum, quod hactenus in senatu multos annos gesserat, resignavit: cooptatur in numerum senatorum filius ejus ὁμώνυμος patri una cum Melchiore Steinbergio, viro doctiss. Dn. M. Sculteto Consuli novo in prætura *Georg. Rörler* successit.

1593.

Balenæ maxilla suspenditur in templo Petrino cum inscriptione.

Maxilla inferior balena suspenditur in templo Petrino ab Elia Richtero cive Gorlicensi, mense Aprili, cum hac inscriptione:

In maxillam balenæ, huic Divi Petri templo ab Elia Goldbachio, cognomento Richtero
Cive Gorlicensi in meliorem sui recordationem dedicatam:

Aspice prægrandem balenæ a corpore vulsam
Maxillam, hoc pendet quæ religata loco,
Hanc secum quondam peregrinæ vexit ab oris
Richterus, longum dum pede carpit iter.
In laudemq; Dei, qui talia monstra creavit
Sacro suspendens huic vovet ille loco.
Hoc pondus spectans, cœli terraque potentis
Quid valeat statuas dextera magna Dei.
Si certi pars ista levis tot continet ulnas,
Corpore quo fuerit bellua mente puta.
Ex tamen hoc tantum corpus, tam vastaque moles
Particula est tantum parvaque mica Dei.

Ich bin ein Wunder in der Welt
Der stärckste Fisch im Meer gestellt
Da ich meynt, ich wär selber Gott.
Ward ich erst den Menschen zu Spott.
In Finnar bey Warhausen zwar
Ich gfangen ward, mein gantz Läng war
Zweyhundert Schuh, nimms wohl in acht,
Mein Untergleiff hie auch betracht.
Elias Richter mit Bedacht,
Desselben sein Vaterland bracht.
Und es in St. Peters-Kirch schenckt
Zu Görlitz, drum sein jeder gedenckt,
Welcher auf heut da Bürger ist,
GOtt bhüt sein Weg zu jeder Frist.

5. Maj. effertur ad sepulcrum integerrimus Vir, honastate & vitæ inculpatæ laude commendatus *Georg. Schwettich* Senator & Scabinus.

Turcæ amittunt prælium ad Savum

Superioris anni irruptiones Turcicæ in Carinthiam excitarunt ad justam defensionem nostrum Cæsarem. Itaque hoc collectis militibus fortiter fuit, hosti itum obviam. Ac initia nostra parte læta fuerunt. Primum enim non procul a Petrinia, qua parte *Savus* ponte transitur, *octodecim millia Turcarum* deleti sunt, magis panico terrore in aquas certatim acti quam ore gladii, ut loquitur scriptura, percussi. Deinde ad Albam regalem nostri cum numeroso Turcarum exercitu confligentes, octo millia (duodecim ex relatione Dn. Barth. Sculteti Consʃ) Turcarum occiderunt. In superiore Ungaria intra trium hebdomadarum spatium una expeditione & arces Turcis ereptæ & Christianis restitutæ sunt: inter quas primi nominis Fillecum fuit, & loci natura & opere humano insigniter munitum. Pro hac victoria publica hic de suggestu indicta est gratiarum actio ad Deum.

Inundatio prodigiosa.

Præcessit hæc bella Junio & Julio mensibus stupenda & prodigiosa multisque cladibus, hominibus, pecudibus, agris, ædificiisque importatis memorabilis inundatio, non solum uni alieni territorio, sed toti pene Germaniæ & vicinis regnis communis, tanta cum aquarum ex continuis aliquot dierum imbribus copia, ut omnia aquis innatare viderentur, parumque deesset - - - - *quin* lucida mœnia cœli
Frugiferaque solum terra, pelagique sonora
In chaos antiquum penitus confusa redissent.
Præsagium hoc fuit magnorum omnium, quæ consecuta vidimus annis sequentibus: sed hoc longe fuit tristius & prodigio similius, quod has cœli lacrymas, quibus clades nostras cuncta

cta elementa defleruut, plurimi ſiccis oculis ſpectare potuerunt. Extat de hac inundatione Uraniæ παραίνεσις ad totum genus humanum autore *Salom. Frencelio poeta* Cæſareo, & aliud carmen Georg. Reimanni Dn. Jac. Monavio dedicatum: ex quo ſuperiores Verſiculos transſcripſimus.

Preces publicæ contra Turcas.

Ad placandum in his periculis numen divinum & cœleſte auxilium impetrandum, indictæ ſunt ſupplicationes per omnes regiones Imperatori aliisque imperii Principibus ſubjectas cœptæ apud nos 25. Oct. in templo Petrino hora 12.

Equites ſubſidiarii mittuntur.

Luſatia ſuperior mittit Cæſari ſubſidiarios equites 80. quorum delectus habitus eſt in hac urbe 15. Decembr.

Novus Conſ.

1. Sept. creatur Conſ. primum Ampliſſ. Vir *Sebaſt. Hoffmann.* Atque ita incidit ejus Conſulatus in ipſos motus bellicos, quos tamen ille magno animo & ſapienti conſilio feliciter gubernavit.

Typographus Gorl. obit.

5. Decembr. circa horam 10. dimid. horologii veſperi moritur hujus ſcholæ non poſtremum & ornamentum & incrementum *Ambroſius Fritſchius* typographus, in cujus obitum extant amicorum carmina. Horum annalium collector (M. Mart. Mylius) his ei verſiculis parentavit:

Ambroſios libros parto magno ære metallo,
Ambroſi expreſſi doctaque ſcripta virum.
Nunc vita in librum digito tuus ecce Redemtor.
Te notat, æterna paſcit & Ambroſia.

1594.
Tranſitus Cæſar. militum in Hungariam.

Menſis Martius hujus anni inquietus fuit tranſitu peditum undiquaque in Ungariam grandinis inſtar ruentium & hac tranſeuntium. Ipſe dux Franciſcus a Lawenburg 18. Martii urbem ſplendido equitatu ingreſſus eſt: ſed prima Decembris ſine ſtrepitu huc reverſus, comprobavit illud Proverbiorum: 1. *Equus paratur ad diem belli, a deo autem eſt victoria.*

Jaurinum (Raab) Turcis proditur.

Haud facile tam numeroſus exercitus in Ungaria convenit, ſed plus damni quam boni præſtitum eſt, Jaurino obice harum regionum amiſſo, vel potius proditione Comitis ab Hardeck in manus Turcarum tradito. Noſtra Luſatia 300. pedites miſit & 100. equites, quorum illi 14. Sept. hi 28. menſis ejusdem in hac urbe luſtrati ſunt. Conſtitit hujus anni & præcedentis expeditio Luſatiam noſtram ſuperiorem 27518. thaleris: quorum proportio geometrica adjudicavit huic noſtræ Reip. ἐπιβαλλόμενον 4362. thaleros.

Luſatia milites ſubſidiarios mittit.

Imperatoris Somatophylax Gorl. caſu lethali perit.

4. Aprilis *Joh. Bernt* Cæſareæ Majeſtatis Somatophylax inviſendi fratris ſui cauſa, quem ex Ruſſia domum reverſum multos jam annos non viderat, huc delatus invitatur a Jac. Schönio. Sed ibi cum neceſſaria de cauſa per gradus deſcendiſſet & jam per eosdem rurſus aſcendere vellet, retrorſum cadit, & fracta cervice ſubito extingvitur, fratre nondum compellato qui vix ante aliquot horas hoc ipſo die, non expectato fratris eventu, rurſum ex patria diſceſſerat.

15. Apr. pie moritur Clariſſ. & Reverendus Vir *M. Laur. Ludovic.* Rector ſcholæ Gorlicenſ. & tertio die poſt, qui fuit 18. Apr. humeris ſcholaſticorum nobilium elatus eſt. Quantopere hunc luxerint amici pariter atque diſcipuli ex ejus ſchola progreſſi innumeri, patet ex orationibus & verſibus, quos in ejus obitum ſcripſerunt Academiæ & ſcholæ plurimæ Wittenbergenſis, Marpurgenſ. Helmſtadienſ. Francofurtenſis, Serveſtana & hæc Gorlicenſ.

M. Laur. Ludov. Rector obit.

In gubernatione ſcholæ ſucceſſor ei datus eſt *M. Mart. Mylius*, deſignatus Rector ſcholæ 25. Maj. cum jam totidem annos, quod & ipſum notanqum eſt, ſcholæ ſervüſſet, introductus 6. Jun. qui dies habet in faſtis aſcriptum nomen Benignæ. Unde illud in bonum omen rapiens M. Barth. Ciſlingus Collega tum docentium in ſchola, gratulaturus Mylio de novis iſtis honoribus hoc fundit diſtichon:

M. Mylius Rect. ſuccedit.

Accipe Sceptra Scholæ, quæ lux tibi fauſta Benigna
Docte Myli defere, ſic ſtatuente Deo.

Et Elias Cuchlerus hoc Eteoſtichon:

QVa sCeptra agnoſCIs MyLIIs CoLa noſtra: BenIgna
LVX tIbI ſaCra ſVIt: JoVa benIgne faVe.

11. Jul. moritur *El. Meltzer Conſ.* hujus urbis, poſtquam faſces conſulares jam quintum adminiſtraſſet. Cauſa mortis fuit Eryſipelas, quod cum dextrum pedem ſine periculo primum videretur corripuiſſe: intra paucos dies tanta incrementa ſumſit, ut ad extremum remedium, h. e. ad ſectionem unius digiti decurrendum fuerit. Sed ne hoc quidem pacto malum vel averti vel mitigari potuit. Itaque undecimo die poſt, ſuperante & vincente morbo inter manus medicorum, aliunde etiam vocatorum, cum jam Climactericum illum ſenum ſuperaſſet, expiravit, quadrante ante horam V. matutinam. Memoriam ejus cum grata recordatione conſervara debet hæc ſchola, quod in teſtamento ſuo legavit 12. thaleros annuos partim inter ſcholaſticos pauperes, partim inter alios egenos diſtribuendos.

El. Meltzer Conſ. morit.

Ej. legatum.

Cum magnum vulnus morte Eliæ Meltzari accepiſſet hæc reſp. ecce quarto menſe poſt h. e. 6. Novembr. ſequitur hunc obitus ampliſſimi & ſapientiſſimi Viri *Georg. Smidii Conſulis*, ut ita civitas duobus conſulibus & patria duobus patribus nondum trimeſtri ſpatio elapſo orbaretur. Legavit & hic pauperibus ſcholaſticis & aliis extra ſcholam reditus annuos de 100

Georg. Schmidius Conſ. moritur.

Joach-

Joachimicis. Parentavit ei M. Joh. Falckenhanius heroico carmine, quod recitavit publice de Cathedra 22. Maj. anni sequentis. Collector horum annalium, ut declararet aliquam erga mortuum significationem gratitudinis, a quo vivo tantis beneficiis fuisset affectus; hos ei Epitaphios versiculos fecit:

Ejus Epitaph.

Cur ita JVS frontem rugat? Cur RELLIGIO orba
Mœret? PARNASSI cur bina juga gemunt?
Curia consilium prudens: Ecclesia fidum
Patronum amisit: præsidiumque schola.
Smidius ille pater patriæ, fulcrumque Senatus,
Curaque suggestus, curaque, lude, tua.
Smidius, aut potius Jessæa voce vocandus
Semideus, proprio funere mersus obit.
Inde sui defensoris, patrisque patronique
Interitum lugent, Curia, Templa, Schola.

Tergemini nati.

9. Aug. tergemini nati ex pellionis cujusdam conjuge, ex quibus unus circa diem a partu 21. moritur: reliqui duo adhuc, cum hæc scriberentur, in vivis erant.

Preces contra Turcas transferuntur.

Translatæ in alias horas supplicationes Turcicæ die 12. Decembr. cœperunt mane haberi post Conciones hora octava, vesperi prima ante noctem hora.

1595.

Præfectus sup. Lusatiæ obit.

1. Jan. apoplexia repentino moritur Budissinæ generosus Dn. Dittrich a Tzscherotin præfectus Lusatiæ superioris, cum præfecturam a 7. Jul. An. 1594. ad dictas Calendas Januarias dimidio anno nondum completo administrasset.

Encomium ejus.

Ejus justitia in jure dicundo, sapientia in gubernando, celeritas in negotiis expediendis, efficax diligentia & salutaris successus in magnis rebus agendis perficiendisque, concedunt eum fuisse sagittam, valida manu, secundum Psalmum extortam & obvia quæque ferientem. Sed tantum ostenderunt terris hunc fata, neque ultra esse voluerunt: idque propter peccata nostra & ingratitudinem. Affirmant hoc brevi tempore plura illum intricata negotia expedivisse, quam antecessorum ejus multis annis; quod sine ignominia ullius intelligi volo.

Nivis moles prodigiosa.

Circa finem Februar. hujus anni tanta vis nivium decidit, ut non flocculi, sed verius prodigiosi montes videri possent, æquantibus nivibus humilium casularum in pagis culmina, usque adeo, ut incolæ per nives veluti cuniculos agere & sibi exitum quærere coacti fuerint. Et quia propter tantam molem nivium viæ reddebantur impeditæ, factum est, ut multi inter vias, cum expedite progredi non possent, super decidentibus magis magisque nivibus illarum mole tecti & oppressi, denique suffocati aut frigore enecati perierint, & postea resolutis nivibus passim in agris exanimes reperti sint.

Homines in nive pereunt, & inter hos

Ejus rei triste spectaculum viderunt Barth. Benedictus pastor in Rauscha, vitricus & ejus uxor in filio Christiano Sturcelio, qui festo Matthæi finita liturgia Rauscha ad hospitem suum in Neuhammer brevi via descendens, hoc modo oppressus, cum alio casu amissus putaretur, post sextam primum septimanam campis jam liberioribus & a nive detectis, repertus est.

Christ. Sturzelius Past. filius.

Hæc nix non fuit multorum dierum, sed subito spirante molliore & tepidiore aura, resoluta, novas inundationes peperit, superioribus, quas A. 1593. descripsimus, nihilo minores, imo vero longe sæviores, cum passim pontes visaquarum avulsit, perrupit, moletrinas conquassavit, & mille alias clades hominibus pariter & pecudibus importavit. Tollant capita pii & spectent, quæ mala denique hoc prodigium consecutura sint.

Resolutio nivis dat nocivas inundationes.

Novus Scholæ Collega.

Ad ministerium docendi in Ecclesia vicini pagi (Deutsch Ossig) vocatus *Paulus Popilius* scholæ Præceptor, die 28. Mart. quæ fuit 3 feria Paschatis primam habuit concionem. In schola ei succedit *Joh. Siganus* Gorlicens. introductus 22. Maj.

Varioli grassantur.

Varioli per multorum capita transeuntes, plurimos præsertim tenerioris ætatis jugularunt. Abstinuit morbus ne ab adultis quidem: & cum heri quidam in thalamo jacuisset Sponsa, hodie in lecto decubuit ægra, & pro basiolis exanthemata suo sponso porrexit.

Milites conscripti.

Cum Cæsarea Majestas rursus imperasset milites, conscripti sunt in superiore Lusatia 300 pedites & 150 equites, quorum illi explorati sunt Budissinæ 11. Maj. & hi Laubæ 25. Maj. Verum illi mense Decembri reversi sunt nulla re memorabili gesta.

Ædes Petrina foris dealbatur.

Ædes Petrina superiori anno foris dealbari cœpta, hoc anno iis fenestellis, quæ in tecto Cyprio inter majores illas interjectæ meridiem versus visuntur, factis, iisque picturis atque inscriptionibus renovatis, quæ per templum circumquaque conspiciuntur, leguntur que, vestita est:

1. *Ac primum illa pila*, quæ inter eas, quæ in meridionali latere ortum versus prima est, hanc habet inscriptionem:

Inscriptiones.

Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo paratam & ornatam. Apoc. 21.

2. *In secunda hæc* legitur sententia:

Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei. Ps. 86.
Quia hodie salus huic domui facta est. Luc 19.

3. *In tertia pila:*

Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli. Gen. 28.

Solarium in hac æde.

Supra hanc inscriptionem visitur Solarium delineatum & descriptum opera Barth. Sculteti M. A. 1567. ut habet inscriptio cum aliis parergis, ut sequitur:

Supra effigiem Solis

OSIRIS ÆGYPT.

Ad finistram:

SOLEM ORIENTEM PLURES ADORANT QUAM OCCIDENTEM.
MITHRA PERS.

Ad dextram.

SOL OMNIUM DIERUM NONDUM OCCIDIT.
APOLLO GRÆC.

Infra effigiem Solis ad Numerorum notas

A finistris:

PARE TEMPORI.
SEQUERE DEUM.
NOSCE TE IPSUM.

A dextris:

♄ TEMPORIS DEUS.
♃ LOCO SUPPOSITUM.
○ DEVORAVIT.

In medio hæc leguntur:

A. B. Sculteto 1567. Jul. 14. primum delineatum Solar. 1595. Jun. 5. denuo coloribus renovatum.

In quarta pila:

4. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis. Apoc. 21.

In quinta pila:

5. Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis quam in tabernaculis peccatorum. Ps. 83.

In Vestibulo templi eo, quod habet columnam marmoream.

Supra effigiem Petri:

A. C. 1430. auff S. Bartholomæi sind diese zwey Bildnisse D. D. Petri und Pauli Apostolorum an diese Stelle gesetzt.

Supra effigiem Pauli.

A. C. 1595. auf der h. h. Apostel Theilung nach 165. Jahren 10. Monatten 21. Tagen sind diese 2. Bildnisse renoviret worden.

In latere templi occidentali ad dextram supra cochleam, qua ascenditur ad organum Musicum sub imagine Christi pendentis in cruce, extra templum:

Urban Laubenisch und Blasius Böhmer Pollierer, neben Conrad Pflugern, dieser Stadt Werckmeister haben An. 1497. *A. l. 6. O.* d. 14. Aug. Sonnabend, dieses löbl. Gebäude der Kirchen S. S. Petri und Pauli mit den Pfeilern, und darauff stehenden hohen Gewölben vollendet. (Lit. A. Dominicali 1. primo a Biss. 6. Sept. o D. Intervallo minori.)

In eodem latere occidentali ad finistram ad imaginem Episcopi Misnensis Casparis a Schönberg.

Herr Casp. von Schönberg Bischoff zu Meissen 12. Jahr lang, ist gestorben den 1. Jul. die ♀ 1463. hat diese Kirche zu St. St. Pet. und Pauli consecriret, Quart. Luciæ 14. Dec. die ☿ 1457.

Infra imaginem Præsulis.

Fundamenta ædis tibi Petre & Paule dicatæ
Mystes a Kittiz adjecto prima locavit
Saxo Schönbergus præsul Misnensis honori
Sacravit divum: bis septem lustra quaternis
Adjectis annis, opus absolvere stupendum.

A. 1423. 8. Maj. Sonnabends ist der Grund zu dieser Kirchen geleget. An. 1497. 14. Aug. Sonnabens ist sie mit dem Bau vollendet. Ist also der Bau nach 74. Jahren 3. Monat und 6. Tage verrichtet worden.

Cum globus turris Petrinæ, quæ est in occidentali latere, templi refixus, die 29. Aug. refectus & inauratus restitueretur, in globum simul scriptum continens commemorationem historiæ patriæ est inclusum: Quam adjiciendam esse non putavimus.

Aliis Chartis in hunc globum conjectis, modò hanc de mentione Ludi Rectorum Scholæ Gorlicens. in Monasterio apertæ, adscribendam existimamus.

Sciat igitur posteritas, si qua forte erit, qua talia curabit, Dei Opt. Max. & invictiss. Imp. D. Maximiliani II. auspiciis, studio vero, cura, sollicitudine & sumtibus incluti Senatus Gorlicensis monasterio fratrum Minorum, apertam esse novam scholam Augustam, primo Rectore & pia doctrina atque artium liberalium Professore M. Petro Vincentio Vratislaviensi, Viro Clariss. ex Academia Wittebergensi accersito. Is cum hujus schola felix exordium fecisset, annis quatuor post iterum hinc discessit, vocatus in patriam, factus ibi Schola Elisabethana professor & caterarum inspector, ubi etiam tandem est mortuus An. 1581. 1. Oct. æt. 63. (Inscriptio in globum turris Petrinæ reposita.)

Post Petrum Vincentium 21. Oct. An. 1569. gubernacula Gymnasii tradita sunt M. Joach. Meistero Gorlicensi, ante Gottingensis Schola Rectori & M. Laurentio Ludovico Leobergensi. Hi simul scholam rexerunt usque ad A. 1584. quo Meisterus ad gubernacula Schola Bremensis in inferiore Saxonia vocatus hinc 26. Sept. discessit: & schola administrationem soli Laurentio reliquit: cui illa de novo, die statim tertio post, qui fuit 28. ejus mensis, in solenni Schola conventu, prasente Senatu, latina Oratione ex memoria recitata a Domino M. Georg. Ottomanno Viro Consulari & Syndico hujus urbis est commendata.

Sub hoc Ludovico, optimo ingeniorum informatore & artifice, maxime floruit hac schola, adeo

adeo ut sua celebritate reliquas in vicinis regionibus omnes facile obscuraret.

Verum in hoc fastigio dum est constituta, & jam eam rexisset Laurentius, per decennium, moritur ille Paralysi jam ante affectus d. 15. Apr. A. C. 1594. & die tertia post, magno cum luctu totius Civitatis & comitatu omnium ordinum, humeris adolescentium nobilium ad sepulturam effertur.

In gubernatione Scholæ Successor ei datus est, & die 6. Jun. A. 1594 introductus M. Mart. Mylius Gorlicens. qui hodie praeest, utinam diu & feliciter, cedente hac ejus provincia ad Nominis divini aeternam laudem, & discentium multam utilitatem.

Conscripta hæc sunt d. 21. Aug. anno Christi Salvatoris nostri 1595. hora ante meridiana 9.

Bractea ceu regitur ventis perflantibus orbem
Nubila seu fuerit, sive serena dies.
Sic rege Christe tua sancti spiraminis aura
Hanc patriam seu sit sors bona sive mala.

M. Mart. Mylius.

Alia inscriptio.

Anno. Dn. 1595.

Quod Rudolphus 2 Rom. Imp. Augustus
Jam annum tertium cum Turca continuaret
Ob ruptum a Turcis induciarum fedus,
Et violatum jus legatorum sacrosanctum,
Et quo Ivan Theodor, magnus Moscorum Dux
Pacem perpetuam cum Cæs. & Rom. Imp. initurus.
Per legatos sui Ducatus spectatissimos
Hac transeuntes
Fidem suam donis, promissisque magnis attestatus
Auxiliumque maximum adversus Turcam pollicitus est:
Et quo Mens. Aug. 17. die stupendæ eluviones aquarum
Homines & pecudes suffocarent,
Ædificia & moletrinas everterent,
Agros vastarent,
Frumenta secum raperent,
Et mille alias clades importarent:
Hæc ÆDES
D. D. Petri & Pauli renovata est
Præsidibus Dn. D. M. Barth. Sculteto
Mathematico & Consule
Et:
Joanne Glychio Juniore in Serchau
Senatore
Qui in felicem memoriam, hæc sua manu
scripta imponi curavit
Die ♂ 29. Augusti
An. Dn. 1595.

Signa venalis cerevisiæ, quæ fuerunt hactenus cacumina pinorum, ante tabernas, non aliter atque hederæ suspendi solitæ, abrogata sunt: & in eorum locum surrogatæ pyramides coloris viridis, si Martialis: rubri, si vetus & acetosa cerevisia venderetur. Cum enim Pinus sit πανόλεθρος & semel recisa non repullulet, unde & mortis indicium apud veteres fuit: ne ille unicus usus in tot arbores sæviret, & solius cacuminis recisio totarum arborum esset pernicies, visum est magistratui, ut loco pinorum, pyramides deinceps ligneæ, quæ in longos annos durare, minoreque pretio comparari possent, ante tabernas cerevisiarias signi loco collocarentur & pinibus parceretur. *Nova signa cerevisiæ venalis introducta sc. Bier-Regel.*

Pons portæ meridionalis, vulgo a vicino D. Mariæ templo dictæ (das Frauen Thor) sublicis abjectis, quibus ante constabat, totus ex fundamentis lapideus exædificatus, duabus cum fornicibus. *Pons portæ Marianæ e lapidibus structa.*

9. Aug. Legatio Moscovitica ad Cæsarem huc appulit, excepta 60. equitibus nostrationum Civium & 120. peditibus. Cumque hic duas noctes pernoctasset, tertio die, qui fuit 11. Aug. iisdem finibus eam usque ad fines agri Gorlicens. comitantibus, proxima via Pragam ducente discessit. Causa hujus legationis fuisse dicitur, ut Muscoviæ princeps ab Imperio receptus, deinceps membrum ejus agnasceretur. Cum autem ad pulvinaria Deorum secundum proverbium, vacuis manibus accedere nefas sit: advexit secum Xenia, suæ regionis res pretiosissimas quas legati 16. Aug. Cæsareæ Majestati nomine sui Principis honorifice obtulerunt: centum puta fasces (Ballen) rubro corio, quod nos a bonitate Corduban q. d. corium bonum, appellamus, inclusas, & insuper hirsutis Alcium pellibus tectas: in quibus fuere *Moscovitica legatio Viennam tendens Gorlicium transit.* *Ejus Xenia quæ secum portavit.*

1200 quadragenæ (Zimmer) pellium Zobellarum optimæ notæ
7000. suffulturæ (Futter) pellium fibrinarum
3000. pelles vulpinæ, coloris nigricantis & ejus generis infinita plura: cum ingenti pondere aureorum nummorum, quorum singuli sesqui duorum florinorum valorem æquarunt.

Atque his currus 50. onerarunt. Habuerunt præter hos onerarios currus 15. refertos iisdem rebus, partim distribuendis in honoratiores procerces aulæ Cæsareæ, partim distrahendis pretio. Dimissa est legatio a Cæsare apophoretis honorificis & tali Monarcha dignis. Eo tandem 1. Oct. hac rediit, & pari honore, sicut prius & accepta & a nostratibus dimissa est.

17 Aug. Nissus tantum repentino imbre incrementum cepit: ut Annales nostri a tempore conditæ hujus urbis vix meminerint eluvionem atrociorem. Inter maxime stupendas & horrendas inundationes annotatur apud nos Annus 1537. Verum hæc quinque partibus ulnæ, *Atrox Nissi eluvio.*

 cum

cum tribus digitis transversis, priorem illam exuperavit. Apud nos trium illarum molarum, quæ Nissi aquis impelluntur, rotas omnes comminuit, domunculas ad molas pertinentes abrupit & ex fundamentis evertit: sed hominem Dei benignitate & clementia nullum suffocavit. Longe atrocior facies hujus diluvii fuit apud Zittavienses: ubi complures utriusque sexus & ætatis homines, noctu excubias agentes ad lintea, quæ apud Nissum expansa candefaciebant, miserandum in modum submersit & suffocavit. Descripsit illud diluvium M. Joh. Vogelius Dresd. Ecclesiæ Zittaviens. pastor Elegiaco carmine & Senatui nostro dedicavit, ubi & hoc Eteostichon legitur:

AVgVstVs qVartoqVartos sVbDVXerat ortVs,
ProXIMa fVnestIs noXVbi saVIt aqVIs.

Pastor primarius moritur. 1. Sept. ea ipsa pene hora, qua Consul primum eligitur Dn. D. Joh. Welsius, Scabinus Tob. Schnitterus, Senator Joach. Smidius h. e. intra 4. & 5. matutinam, moritur primarius Concionator & Doctor hujus Ecclesiæ Balth. Theodorus, pater 29. liberorum ex tribus uxoribus. Sicut autem supra de Laurentio Ludovico observatum est dimidium -- illum ætatis in hac schola docendo transegisse: ita Deus partitus est etiam hujus Theodori annos, ut cum 68. ann. integram ejus ætatem determinasset, dimidium illius h. e. 34. hic Ecclesiam Christi eum docere voluerit. Successor illi datus est filius M. Elias Theodorus 10. Oct. (Succedit ejus filius M. El. Theodorus.) Cum hoc modo vacaret locus ministrorum; Ex Ecclesia pagi Hertwigsdorff in Diœcesi Sittaviensium, vocatus est Greg. Eichlerus Gorlicens. qui auditus 17. Dec. ea ipsa, nimirum Dominica, qua ante annos quinque ipsi ὁμώνυμος Greg. Richterus primam concionem hic habuit, in numerum Diaconorum, ut esset ultimus, receptus est & confirmatus. Quam extrusionem in messem hujus Ecclesiæ cum amborum illorum, tum cæterorum etiam hic docentium ut salutarem & efficacem efficiat filius Dei toto eum pectore precamur.

Epitaph. Rect. Laur. Ludovici. M. Laurentio Ludovico superiori anno mortuo schola gratitudinis ergo die 27. Sept. hujus anni Epitaphium in choro templi Petrini posuit, cum his inscriptionibus, ut sequitur

Supra effigiem Ludovici Iconicam:

M. Laur. Ludovicus Leoberg. Schola Gorl. Rector Anno Christi MDXXXVI. d. VIII. April. natus postquam dimidium vitæ suæ annos XXIX, magna dexteritate, pari felicitate, non minore cum laude & celebritate nominis hic docuisset: moritur A. C. MDXCIV. d. XV. Apr. cujus memoria sit in benedictione, laus in Ecclesia, nomen in libro vitæ:

Talis majestas Ludvici ex ore nitebat:
Gorlitia gereret cum data sceptra scholæ.

Infra effigiem:

Accipe pro meritis tibi, quæ, venerande Magister,
Discipuli memores hic monumenta locant.
Hæc tibi mortales damus, immortalis in æthere
Unigena meritis parta corona datur.

Epitaphium Cons. Melceri. Eodem mense & die etiam Dn. Melcero superiori anno pie defuncto in pila prope Sacristiam positum est ex lapide Alabastrite Epitaphium, continens tres apparitiones Christi quas in unum diem, diversis tamen annis, coincidisse dicitur. In summitate tabulæ sculpta est historia Magorum, munera Christo offerentium. In medio de Baptismo Christi. Sequitur historia de Nuptiis in Cana. Deinde effigies ipsius Melceri & conjugis ipsius cum tali inscriptione:

Spectatiss. & Ampliss. Dn. Eliæ Melcero Cogn. Eschlauer, Viro in hac Rep. Consulari, qui pie obiit An. 1594. Jul. XI. Æt. 63. an. 7. M. 17 d. Ursulæ Ux. Mar. H. M. P. C.

Statuarius in cella domus suæ mortuus reperitur fossurus aurea, ut suspicio erat, thesaurum. 17. Octob. Statuarius homo sane ingeniosus & in suo genere atque artificio vere Roscius (idque D. Melceri Epitaph. cujus ipse fuit artifex, ostendit) vesperi accensa lucerna, clam descendit in cellam suæ domus, fossurus, ut opinio fert, thesaurum. Cum per illam totam noctem ab uxore desideratus esset: mane albescente cœlo, quæritur per omnes vicinorum ædes, perque omnes suæ domus angulos: sed nusquam reperitur. Pervenitur tandem ad cellam subterraneam: quam ubi uxor ostendit obdito pessulo intus occlusam, (occluserat autem ille non vecte aliquo, sed vinculis tibialibus) venit in suspicionem de latento ibi marito suo. Conclamat igitur vicinos, accurritur, cella aperitur, descenditur. Ecce reperitur ille in gradibus prostratus mortuus, altero pede ad se attracto, altero extenso ad foveam, quam foderat, non ita valde profundam, super ipsum cernitur vestis: infra & ad pedes reperiuntur cum alia instrumenta ad fossionem necessaria & idonea, tum vero bipalium (Grabscheit) & ligo, stilis quibus tractantur fractis. Lucerna reperitur extincta, candela tamen nondum prorsus consumta. Quæ res ei mortem intulerit, & sive sidere percussus, sive a spectro enecatus fuerit (quam suspicionem valde confirmabat lividus color cutis in altera colli parte) sciri plane non potest. Spectaculum omnino triste fuit, & exemplum merito observandum iis omnibus, qui deserta via vocationis suæ atque ordinariis vitæ sustentandæ mediis, aliis rationibus opes sibi & divitias quærere cupiunt.

Strigonium (Gran) a Cæsareis occupatur. Strigonium ad Danubium situm (arx in Ungaria inferiore primaria & munitissima) nostris A. 1543. d. 10. Aug. per Turcas ereptum, & ab eo usque tempore probe munitum ab ipsis: a nostris vero An. 1594. frustra oppugnatum, & soluta obsidione propter adventum Sinani Bassæ Ussirii, turpi fuga relictum, tandem hoc an-

no

no 95. vi prius expugnato castello Sockern e regione arcis Strigoniensis sito duabus item urbis partibus, quarum altera a Rasciis (die Ratzen-Stadt) altera ab aqua alluente (die Wasser-Stadt) nomen habet, in nostrorum devenit potestatem, arce d. 2. Sept. a Turcis per deditionem nostris tradita. Fuit sub potestate Turcarum annos 52. dies 22. Pro qua victoria Deo opt. max. a quo omnis est victoria & salus, gratias agimus immortales.

1596.

Infans monstrosus nascitur. 12. Febr. mulier quædam rustica in pago Rengersdorff spatio unius miliaris hinc dissito, enixa est infantem monstroso admodum capite & visu horrendo. Nam primum superne nulla erat caluaria seu vertex, neque frons ulla apparebat, sed quasi gladio superior & eminentior capitis pars recisa esset, nil nisi cruentum vulnus rotundi disci magnitudinem adæquans, cum sangvinolento cerebro ostendebat. Oculi erant grandes & protuberantes, longeque a se invicem distantes. Nasus simus & latus leonino similis, ori incumbens. Os ipsum etiam leonis ori simile, sparsum & utrinque ad aures pene deductum. Labia lata qualia sunt canum venaticorum, in medio tamen sub lacuna nasi conniventia aut certe concreta. In superiore sinistra maxilla conspiciebatur series dentium. Ad mentum utrinque singulæ verrucæ, Aures rotundiores humanis & in plicas corrugatæ. Denique tota facies leoninæ magis quam humanæ similis. Reverendus vir Joh. Wincklerus olim scholæ hujus Cantor, tum vero pastor Ecclesiæ in Zodelan αὐτόπτης & oculatuus testis, rhytmis germanicis monstrum descripsit, quos hic imprimere non putavimus.

Georg Rösler Prætor obit. *Georgius*, Jacobi olim Consulis reip. Gorlicens. filius *Röslerus* Scabinus, & tum temporis urbis Prætor, moritur 14. Febr. Sepultus ad D. Nic. cum his versiculis tumulo inscriptis.

Hic generosa rosa, in patriam qua sparsit odores
Multiplices, lethi vulnere rosa jacet.
Sparge rosas quisquis transis, dum præmia facti
Majora a grata posteritate ferat.

Novus suggestus in templo Mariano. 8 & 9. Apr. suggestus vetus in D. Mariæ templo a sinistra ad summum altare accedentibus situs, amotus & ex nova materia artificiosior extructus atque renovatus e regione ad dextram loco ad vocem colligendam & docentem sublevandum commodiore est collocatus. Habuit ex eo primam concionem Primarius 12. Apr. ipsis Soteriis.

Morbus epidemialis. *Morbus epidemialis*, febris nimirum maligna petechialis cum iis symptomatis, quæ sunt morbo, quem vocant Ungaricum, familiaria, atrociter hic sæviit Aprili & Majo mensibus, hominesque quam plurimos, in primis vero mediæ ætatis & robustiores atque firmiores jugulavit.

M. Cislingus Scholæ collega obit. *M. Barth. Kislingus* Gorlicens. scholæ patriæ Collega & præceptor in annum usque 23. moritur 1. Jul. an. ætat. 49. qui fuit climactericus septimus minor. *Præsagia mortis ejus.* Præsagia mortis habuit plurima. Paucis diebus ante morbum repositorium librorum sine ulla vi impulsum de scamno, in quo stabat, cadit & libros omnes effundit. Ante fores cubiculi, quod nunquam quisquam incolarum antea sensit, aliquoties noctu auditi sunt strepitus nocturnorum spectrorum. In templo cœnobii, in quod ex suo cubiculo per fenestram prospectum habebat, similiter fragores atque tumultus quasi eversorum & provolutorum doliorum auditi; & inter hos clamor, velut hominis, inconditus alta voce bis iteratus, cujus sonus totum templum complevit. Refero huc & quod campana horologii cœnobialis, cujus pulsu quotidie cœtus scholasticus mane convocatur, raucum & obtusum sonum edidit tanquam in rimas fissa hiaret. *Morbus.* Morbus ut insolentior fuit, ita tristior & sævior, retentio nimirum urinæ, quam ἰσχουρίαν vocant medici, per dies integros undecim, cum humor ille ex obstructis Uretetibus novas sibi & præternaturales vias non sine insigni ægri cruciatu & dolore quæritavit. Epitaphium ei feci hujusmodi:

Epitaphium.

Qui fecisse putat parvam, leviterque dolendam.
Jacturam nostra pulpita mæsta scholæ.
Dum Cislingus obit, longa experientia rerum,
Ipsaque quem genuit docta Camœna scholis:
Ne glacies circum præcordia talia crevit,
Et hunc non tangit publica cura virum.
Longa opus est arte & variarum indagine rerum,
Ut sculpas tali pectore Mercurium.
Ergo tuum defle prareptum morte Magistrum
Atque parem votis posce, juventa scholæ!

Sal. Teichm. Gorl. obit. Medicus Leobergensis. Obitum Cislingi paucis diebus post, vid. 21. Jul. consecuta est mors clariss. Viri *D. Salomonis Teichmanni* Gorlicensis medici Ordinarii apud Leobergenses, viri non in medicina solum, sed etiam tota Philosophia egregie versati, ideoque longiore vita dignissimi. Sed climactericus quintus major etiam huic fuit fatalis, apoplexia eum extingvens agentem annum ætatis 45. Epitaphium ei tale factum:

Felici dextra Teichmannum pellere morbos;
Indignans Lethe talia verba facit.
Tu ne mei regni pestis dicere, meaque
Errabit per te rarior umbra domo?
Non ita: Et arripiens lethæum protinus arcum
Lethali medicum vulnere sternit humi.

Lustratio militum subsidiariorum prope Gorl. Inferior Saxonia, quas hoc anno Imperatori auxiliares contra Turcam copias, equites mille

in tres turmas distributas misit, 23. Jul. in campo urbi vicino, & ad eam rem idoneo, (pascuum pecorum appellant,) lustrata sunt. Dux hujus equitatus fuit Franciscus & signifer prætorianus Otto, ambo duces Luneburgenses: quibus se honoris causa comitem expeditionis adjunxit Joach. Carolus Dux Brusvicens. Vexillum prætorium hanc habebat inscriptionem:

Nexus favore numinis, quis dissolvet?
In altero hæc lecta sunt verba:
Pro religione tuenda
Libertatis amore
Hic militemus!

Tertium vexillum nullam habuit inscriptionem.

Petulantia horum militum. Ante lustrationem distributi equites in pagos circumjacentes, quod petulantiæ genus, quas rapinas, quam impietatem in Deum & homines exercuerint, quam impune vixerint, quam scelerate omne hospitii jus violarint, tacere malo, quam commemorando refricare caussam mali, quod paulo post nos oppressit. Nam etsi initia belli in Ungaria hujus anni bene se habuerunt, expugnato & capto a nostris 3. Sept. Casello Hatvan. tamen lætam illam victoriam paulo post munitissimi & primarii superioris Ungariæ Castelli Agriæ amissio excepit.

Cometa luridus apparet. In hosce apparatus bellicos incidit incendium *Cometæ* in Erichthonii asterismo, qui conspectus est a nostris die 17. Jul: colore debili & *lurido*, cujus cauda ad capellos porrecta subito aspicientibus satis longa, intentius autem intuentibus minui & velut evanescere videbatur. Cumque Erichthonii sidus ad geminos referatur: inde celerrimo motu per Cancrum & Leonem usque ad principium Virginis, confectis in æquatore 79 gradibus & 34. minutis, progressus, in Ursa majore expiravit. Edidit de eo peculiare scriptum vir Reverendus Dn. Gregorius Eichlerus Ecclesiastes Gorlicens. ubi plura huc pertinentia legi possunt.

1597. **Novum forum panarium & carnarium a Cæsare impetratur priori pistorum & laniorum licentia repressa.** Hic annus nihil adeo memorabile secum traxit, præter contentiones præcipuarum tribuum de obtinendo a Magistratu libero foro panario pariter & carnario. Impune exercuerunt laniones pistoresque jam per annos complures insignem petulantiam in carnium & panum venum expositorum pretio pro sua libidine & arbitrio augendo intendendoque, cum insigni cæterorum municipalium & pauperum detrimento. Accesserant postea alia violenter & tentata & facta ab iis erga pauperes, quibus sæpe si quid vel carnium vel panum viliori pretio alibi emtum pro famelica familia in urbem importare voluerunt, per vim eripuerunt: ut non dicam de licentia, quam sibi sumebant laniones in distribuendis & designandis plurium vel pauciorum pecudum mactationibus, prout quisque plura vel pauciora macella possideret. Denique alia insolentiora ab utraque tribu suscepta fuerant: quæ omnia ex querelis civium & libellis supplicibus, illas querelas continentibus & magistratui suppliciter exhibitis cognoscere melius fuerit. Cum postea eo anno incideret summa annonæ caritas, usque adeo, ut modius frumenti tribus marcis s. florinis nostratibus venderetur, cives indignitate rei commoti, & difficultate temporum compulsi, sibi illud quasi servitutis jugum tandem aliquando excutiendum esse existimarunt, ideo ad senatum tanquam ordinarium judicem re delata contenderunt: ut deinceps potestas esset omnibus promiscue ex peregrinis carnes panesque in urbem vendendi causa importare. Senatus ne videretur non esse satis pronus & paratus ad avertenda omnia incommoda, quæ Reip. detrimentum adferre possent, jussit singulos ordines suas querelas scripto comprehensas exhibere. Ibi tum certatim a singulis tribubus scripti sunt libelli, ut jam diximus, supplices, in quibus acerbius laniones & pistores accusarunt cum nonnullis etiam aculeis in Magistratum directis. Senatus rem ad seditionem & ad pacem tranquillitatemque Reip. turbandam spectare animadvertens, sapienti circumspectione utendum sibi existimavit: ideoque neque nimis durum sese exhibet, ad majores dissipationes minimam fenestram patefecisse videatur, neque nimis est indulgens, ne confirmet vulgi insaniam & de sua pariter autoritate & existimatione periclitetur. Mediam igitur viam, eamque tutissimam init, delata totius negotii expositione ad Cæsaream Majestatem: videlicet, ut ratum haberetur, quicquid Imperator decerneret. Quid multis? causa defertur, forum panarium & carnarium conceditur, idque a Magistratu anno sequente die 16. Febr. publico diplomate promulgatur, ea tamen conditione & restrictione, ut utrumque forum non nisi semel in septimana aperiretur: panarium die ☽. Carnarium vero die ♄ idque rursum ad messis usque tempus: ut si e re fuisse videretur, aut etiam prorsus tolli & abrogari posset.

21. Mart. d. ♀ h. 1. summo mane moritur Clariss. Vir, Dn. *Joh. Welsius V. J. D.* postquam consulatum semel gessisset, vir multorum mores qui vidit & urbes, ut de Ulysse suo prædicat Homerus. Ergo Epitaphium ei feci hujusmodi: **D. Welsius Consul moritur.**

Discitur ex solis nunquam sapientia libris,
Ni partim jungat docta experientia rerum;
Id proprio exemplo Welsi, Vir clare, probasti,
Qui postquam instruxti doctrina pectus, & omne
Cognosti, tradunt quodcunque volumina Juris,
Insuper Ausonios, Gallos, Anglosque videre
Cura fuit, varios hominum & cognoscere mores.
Hinc tibi Doctoris titulum dedit extera tellus:
Hinc urbis fasces commisit patria tellus:

Nunc

Nunc equidem corpus jacet, at non fama jacebit
Hos apud eloquium quibus & sapientia cordi est.

Joach. Emericus Scab. æt. 80. moritur.

14. Maj. moritur Joach. Emerich, Georg. Emerici οἰκιστοῦ Cenotaphii Christi apud Gorlicenses ex fratre Wenceslao nepos, Senator & Scabinus Gorlicens. an. ætat. 80.

Exedræ lapideæ in templo Petrino exstructæ.

Mense Junio in templo Petrino novæ illæ sessiones supra gradus, per quos in chorum ascenditur fornicato opere ex quadrato lapide ædificantur.

1598. Venti tempestas.

11. Mart. magna & stupenda tempestas ventorum usque adeo sævìit, ut hominibus pariter & pecoribus, domibus atque arboribus, quas e terra evulsit, evertit, prostravit, inæstimabile damnum inferret. Horreum etiam quoddam ad urbem scimus duabus ulnis & quadrante loco motum fuisse.

Jaurinum (Raab) a Cæsareis recuperatur.

Jaurinum non Pannoniæ solum sed & totius orbis Christiani propugnaculum longe maximum, postquam in potestate Turcarum per annos sesqui quatuor (3½) fuisset, hoc anno plusquam miraculose recuperatur, auspiciis imperatoris Cæsaris Rudolphi secundi, fortitudine & animositate Adolphi Baronis Schwartzenbergici. Captum illud est nocte præcedente diem 29. Mart. qui est Gideoni sacer non sine omine: ut cum hæc victoria miraculo & stratagemate cum Gideonis responderet; eodem etiam die obtineretur, quo Gideonis nomen in fastis est adscriptum. Apud nos pro illa victoria supplicationes publice indictæ & in templo Petrino habitæ fuerunt solenniter. Nostra quoque schola, ut hujus mirandæ victoriæ deinceps memor sit perpetuo, ego Martinus Mylius votum Deo feci, me dum vixero, & hunc locum, quem nunc Deo sic disponente indigne teneo, obtinuero: quotannis hunc diem solennem habiturum, & liberalibus scholasticis institutis, cum toto cœtu scholastico precibus & cantibus celebraturum esse. Porro Georg. Christophori poetæ & historici ex fratre nepos Manlius, juvenis lepidus & spei indubiæ hoc distichо historiam & annum recuperati propugnaculi inclusit:

AVro qVoD perIIt, ferro reparat Vr & arte
JaVrInVM, LaVs sIt, qVI regIt astra, IoVa.

Extant de eadem victoria & Nic. Reusneri Comitis Palatini Cæsarei trophæa elegantibus & doctis versiculis modulata. Tota vero historia ex aliis scriptis certatim de hac victoria editis petatur.

Martinus Scultetus Collega docentium Scholam Gorlicensem *moritur* epidemiali morbo extinctus.

Hieronymus Fritschius juvenis mutus repente loquitur.

Domini D. Thomæ Fritschii Medici Physici ordinarii apud Gorlicenses filius Hieronymus, juvenis non indoctus, postquam ante annos quatuor in longinquo, inquieto & vix simili audito morbo usum sermonis omnem amisisset: ita ut si quid vellet, scripto tantum animi sensum significare cogeretur, cum alias omnia recte intelligeret, ad ea annueret & pro qualitate rei renueret, etiam libros, præsertim historiarum lectitaret, ita ut magnam eorum cognitionem assecutus esset, repente soluto linguæ vinculo proloqui incipit nocte sequente diem 28. Maj. hujus anni. Illud miraculi instar habitum proxima Dominica post de suggestu in frequenti concione significatum est & gratiæ Deo pro illo actæ.

Campana major refusa suspenditur.

Cum anno superiore Campana, quam veterem appellabant, & cui sub fusione, tanquam ejus tali ex gentili superstitione Susannæ nomen inditum fuerat, fissa fuisset, ita ut ejus usus amplius nullus esse posset: conducta fuit opera artificum Urbani Schoberi & Mart. Weigelii, qui campanam illam, cujus æs pendebat 108. centenarios cum tribus lapidibus ponderalibus & septem libris refunderent. Non libet hic referre, quantum laboris & temporis, vel in forma fingenda fuerit insumtum, quot vecturis opus fuerit ad omnis generis materias convehendas: quanto pretio opera fusorum redimenda fuerit; hoc solum ponimus, feliciter eam inter bona vota, preces & sacras Psalmodias a vulgo spectatore decantatas nocte sequente diem 24. Jul. in pomœrio portæ Occidentalis fuisse fusam: eo inquam die, qui nomen Christinæ in fastis habuit ascriptum; ita ut si omnino superstitionem veterem æmulari libeat, Christinam nominare possimus: In turrim postea Petrini templi non sine labore 26. Aug. primum fuit impulsa vesperi. Tota moles campanæ per libram Zygostaticam examinata, deprehensa est continere 115. centenarios, 3. lapides ponderales & 5. libras. In ipsa campana hæc leguntur inscripta:

Inscriptiones campanæ.

Laudate eum in Cymbalis bene sonantibus:
Laudate eum in cymbalis jubilationis.
Omnis Spiritus laudet Dominum. Alleluja.
Psal. 150. Pietas ad omnia utilis.

EXpVLIt hVngarIa sIgno Vt VICtrICe PoLonos
ReX MatthIas CepI eX are reteXta noVo.
FæDIfragIs VICtIs turCIs CLaraqVe RVDoLphI
EX RabapVLsIs arte refeCta fVI. J. T.

Post hanc inscriptionem visuntur insignia consularium.

In inferioris partis circumferentia rursum leguntur hi versus:

Fusa fui quondam bello, Casimire, Mathiam
Cum regni peteres ob diadema sui.
Fissa refusa fui tibi cum Schwartzbergius heros
Reddidit ereptam Marte, Rudolphe, Rabam.

Tracta

Tracta dedi primum sonitum, Sculterus at edis
Et Smidius sacra præsos uterque fuit.
AVro qVoD perIIt ferroreparatVr & arte
JaVrInVM, LaVs sIt, qVI regIt astra, JoVa.

Ipsi artifices ne sui obliti & nomen suum omisisse viderentur, circa medium hæc addiderunt:

Tausend fünff hundert acht und 90. Jahr,
Goß mich Urban Schober und Merten Weigel, das ist wahr.

Fecerant quoque alii in eandem sua epigrammata non indocta, latina certe & satis arguta, sed fuerunt repudiata, meum ponam:

Anno fundebar, tibi quo Rex Dive Rudolphe,
Belligerante Deo, reddita Raba fuit.
Id celebrent Dii cantu, fidibusque tubisque,
Ipsa meo sonitu facta stupenda canam.

Feliciter fusa iis, quibus diximus, modis campana hæc, placuit præsidibus templi unam insuper fundere, quæ quidem minor esset hac, major tamen ea, quæ a Vesperis nomen habet; idque ea de causa, ut plenior & svavior fieret concentus, & ad majestatem ædificii jucunda etiam campanarum musica accederet.

Fusio administrata est nocte, quæ 9. Oct. est consecuta & inscriptio hæc addita:

Cantate Domino in cymbalis: modulamini illi Psalmum novum: exultate & invocate nomen ejus. Judith. 6.

Sum soror alterius, spatio quæ fusa trimestri
Me prior in sacra nocte, Jacobe, tibi.
Capta Gesthe, Vitham, dote Vesprina atque Patolta,
Turcica vis, Jova vindice, fracta fuit.
Belli cum Turcis gesti, victore Rudolpho,
Et messis sterilis septimus annus erat.
Ære novo quo sum fusa illo capta fuere
Non procul a Verthes dissita castra jugis.
Da pacem Domine, in nostra victumque diebus
Da tibi sit victis hostibus omnis honos. I.T.

1598.

Inundatio.

Sicut Martius hujus anni suis stupendis ventorum tempestatibus infestus fuit silvis & ædificiis, ita Augustus inundationibus aquarum, quæ 24. die ejus mensis ingruerunt, chordo & demessis frugibus, quas correptas secum avexerant, inimicus fuit: Sic September infantibus in primis deinde & nonnullis adultioribus pestilens & funestus fuit, quos diarrhœa & simul dysenteria laborantes magno numero jugulavit.

Morbus grassans.

Cervus in fossa urbis enecat puerum.

Cum unus ex cervis, quos magistratus in fossis civitatis delectationis causa alere & asservare solet, eo tempore, quo illi libidine maxime infestantur, & multo cum rancore cornua abjiciunt, solito more fureret: & pueri quidam ut hoc hominum genus stolidum & curiosum & simul etiam improvidum, talium vero spectaculorum avidum est, in ponte portæ minoris (die Pforte) starent spectatores: fit ut unus ex illis Joh. Wigalius Stannarii filius scholasticus, puer octo annorum vel impulsus ab aliis, vel incautius progressus (varie enim res narratur) in fossam illam decideret. Cervus furibundus objectam sibi velut prædam cernens, subito accurrit, & puerum cornibus sublatum in sublime jacit, mox rursum ex aëre delapsum, & velut pilam lusoriam exceptum ejaculatur, idque tantisper iterat, dum puer jactatione pariter & vulneribus quatuordecim plane confectus, semianimis furori bestiæ vix eriperetur. Deportatus domum, sextum diem non supervixit, per quod tempus jacuit ille attonitu similis, nec quid de se factum esset, commemorare potuit: nisi quod subinde in hæc verba materna lingua pronunciata, erupit: O du böser Hirsch. Factum id est 9. Sept.

Velamen altaris sacrilego aufertur.

30. Decembr. summum altare spoliatur albo illo velamine lineo, quo insterni altaria solent. Sacrilegus sive eorum furum soboles, quos Λωποδύτας græci h. e. detrahentes aliis vestes, vocant, nondum est, cum hæc scriberemus, repertus.

Pterygium turris Nicolaitanæ renovatur.

Cum pterygium turris ad portam D. Nicolai, itemque conus ejusdem, injuria cœli corrupta fuisset, & refici illa oportere viderentur, conducta fuit opera cujusdam Jac. Schmidii Misnens. quod ille minoribus sumtibus & opera faciliori, sine operosis tabulatis aut machinis id non perficere solum vulgo posse putaretur: sed & alibi locorum reipsa comprobasset. Is igitur non nisi scalis aliquot per longitudinem turris applicatis & singulari solertia ad fastigii ambitum per intervalla annexis & alligatis, pendenti similis ad summum fastigium & cacumen turris evasit & instar Dædali cujusdam auræ se credentis in aëre veluti deambulare visus est. Ac primum ipsum globum revulsit, revulsum & de collo suspensum deportavit, deportatum, refectum & usque ad summum rursus elatum affixit. Quin imo perfecto opere in ipsum globum temerario ausu ascendere & modo erectus stare, modo sedens tibialia exuere & nova induere visus est. Spectaculum oculis spectantium magis tremendum, quam ipsi artifici periculosum visum.

Imposita in globum inscriptiones.

In globum tum conjecta fuere hæc, quæ sequuntur, Latina pariter & Germanica (quæ referre non libuit) a M. Barthul. Sculteto Consule conscripta:

Imperante D. Rudolpho II. semper Augusto. Consule Reip. Gorl. Alexandro Snittero. Consularibus Sebastiano Huffmanno & Barth. Sculteto. Prætore Melchiore Steinbergio. Syndico M. Davide Rhamlero. &c. Gubernantibus

tibus Ecclesiam & scholam Elia Theodoro & Mart. Mylio magistris. Collegis eorum, in templo quidem Gregorio Richtero. Joh. Hachelbergio. Gregorio Eichlero. In schola vero: Elia Cüchlero. Fridrico Papa. Joh. Falckenhain magistris. Cantore & moderatore Chori: Gregorio Haussio. Praeceptoribus inferioribus: Valentino Thebano. Greg. Schneeweisio. Joach. Schönio & Joach. Fauerbachio. Anno reparatae per Christum salutis 1598. Quo duo miraculosa divini auxilii exempla Deus toti terrarum orbi ostendit. Alterum in Jaurino totius orbis Christiani propugnaculo longe maximo, animositate & fortitudine liberi Baronis Adolphi a Schwartzberg plusquam miraculose recepto: Alterum in Varadino a gravi obsidione Turcica, propugnante fortiter illustri & magnanimo heroe Do. Melchiore a Redern, libero Barone in Fridland. &c. liberato: Hic globus stupenda & audaci (aliquot saltem scalis applicatis) ad eum per Jac. Schmid, in Misnia natum, ascensione facta, avulsus & fastigio, quod aetate & coeli tempestatibus labefactatum fuerat, redintegrato, repositus est die 17. Dec. novi, cum ab anno erectionis & suffixionis sui 1516. stetisset annos 82.

Tu Deus in celsis regnans, fortissima turris
Sis nostra, & custos ac vigil usque mane.
Infelix etenim structura & cura fabrorum
est,
Ipse Deus custos ni tueare domum.

Memoriae posteritatis.

Ante annos bis sex hac turris fulmine tacta,
Admotis scalis quando refecta fuit:
AnnVs qVo Raba est fCeptro fVbIeCta
RVDoLphI
Et BVDa Vrbs rVrfVs, TVrCICa, Capta
refert.
Felices cives, quorum concordia munit
Mania, quos Christi dextera dia tegit.

Justus Titius,
faciebat &c.

Auf die Fahne oder Wetterhan ist in dorsum geschrieben:

Turris
Fortitudinis
a facie
Inimici
Psalm LX.

(Scripturam contextam, quae an. 1598. 17. Dec. d. ♃ h. 2. p m. reposita cum petaso in turrim ad portam D. Nicol. a B. Sculteto Gorl. ob prolixitatem non adscribendam putavimus.)

1599. Hyems asperrima. Praecedens hiems anni 1598. asperrima fuit: aestus hujus anni & siccitas subsecuta insignis, quam rursus hiems longe frigidior excepit: adeo ut hominum memoria major & diuturnior non videatur extitisse.

Mulier mulierem misere jugulat. Dies 28. Mart. qui fuit dies ☉ (der schwartze Sonntag) ob abominandum & funestum admodum casum ad omnem posteritatem merito atro lapillo signandus est. Eo namque die mulier quaedam, quae partim a statura sua, partim a marito Alardo die kleine Alerten nominabatur, & Pribusio ante aliquot annos huc commigrarat, in vicinam domum horti suburbani sibi ante portam tenebricosam, sub concione matutina missali, absente marito & reliqua familia, ingressa matrem familias Josephi Tzschebschii conjugem Catharinam, apud quam aliquid pecuniolae reconditum suspicabatur, adorta, crudeliter primum verberando, lancinando, tundendo, alterum cyrrhum f. spiram capillitii (πλόκαμον graeci vocant) radicitus una cum parte pericranii evellendo tractat, deinde cultro per gulam adacto miseram insuper jugulat & trucidat. Duoque peracto facinore homicida per posticam aedium partem effugit: adest alia mulier Anna, (die einäugige Schmiedin) quae anteriores fores pulsat, incertum quid emptura. Huic adhuc utcunque spirans saucia fores aperit, sed statim concidit exanimis & moritur. Conclamantur ergo mox vicini, rumor per urbem diditur, Magistratus de negotio factus certior, statim mittit per diverticula viarum, qui homicidam insequantur, capiant, ad supplicium retrahant. Nec multi dies intercidunt cum scelerata capitur & quaestionibus subjecta profitetur non solum praesentem a se caedem perpetratam, sed alias complures & inter has duobus suis liberis & privigni sui uxori illatas.

Ejus supplicium. Quare 22. Apr. ignitis forcipibus ante aedes Tzschebschii primum discerpta, mox rotae imposita, justas sui sceleris & furoris poenas persolvit.

Barth. Schwalbe Senator moritur. Quo die illud crudele facinus perpetratum fuisse diximus, Dn. Barth. Schwalb senior & hujus urbis Senator vir antiqua virtute & fide, funere honesto, ad sepulturam effertur, cum annum 77. aetatis jam pene superasset. Vir dignus, cujus in his nostris annalibus cum propter pietatem & probitatem, tum vero propter duo lumina patriae Barthol. & Abrahamum Medicinae D. D. quos rarissimo exemplo ex se genitos post se reliquit, mentio fiat. Martinus Mylius ei seques epitaphium scripsit:

Vixisti Schwalbi, sat natura, tuaque
Non invidenda gloria.
Natura vixti satis. Anni nam duo supra
Recurrunt lustra quindecim.
Corporis exuvias quando tellure recondis,
Vita fruere, caelo inhians.
Sed quoque jam vixti, Schwalbi, sat honoribus unus
Qui prole bina nobilis,

Post te relinquis generis decora ardua vestri
Et posterorum semina.
Obiit 25. Martii.

Abr. Böhm mor.

2. April sepelitur vir doctiss. civis integer vitæ scelerisque purus Med. exercitatiss. Abrah. Böhm.

Candelabrum in templo Petrino suspensum decidit.

Candelabrum prope suggestum de tholo templi Petrini suspensum fracto unco, de quo pendebat, nocte diem 30. Jun. sequente decidit, uno saltem ramo ex hastili egrediente fracto, sed in pavimento conspicuo vestigio excavatæ ob pondus molemque candelabri terræ relicto. Hic casus haud dubie portendit mortem Magistri Eliæ Theodori primarii concionatoris, quæ triginta sex septimanis post est consecuta.

D. Elias Röber Gorl. Prof. Juris in Acad. Franc. obit.

Elias Röber Gorl. J. U. D. Professor Academiæ Francof. publicus & tum temporis facultatis Juridicæ secundum Decanus, Magnifici Viri Dn. D. Sebast. Gersmanni ejusdem Academiæ Ordinarii gener, vir omnibus bonis gratus, patriæ laudabilis, discentibus desiderabilis & omnium nostratium in Academia commune asylum, cum jam tricesimum quintum ætatis annum egressus esset, & primum diem anni Climacterici quinti, h. e. tricesimum quintum ætatis ingrederetur, ecce fato fungitur 20. Aug. cum illum annum astrologi quoque ei gravem futurum prædixissent.

Quæ fuerint aliæ hujus Viri virtutes, quæ studia, quæ peregrinationes, in programmate publice sub funerales exequias Francofurti affixo videantur. Nos ei hos versiculos fecimus:

Nulla tua a nobis ponuntur carmina tumba
Elia, o patriæ lausque decusque tuæ.
Luctus nos prohibet, tanta & sub pectore dotes
Quas facile haud fuerit commemorare stylo.
Sed pia posteritas mox laudum præco tuarum
Præsto erit in laudes officiosa tuas.
Interea heroas inter cœlestia carpe
Gaudia, & in tumulo molliter ossa cubent.

Elias Cüchlerus M. sequens tetrastichon de eo fecit:

Cum decimi & quinti secli postrema volaret
Æstas, Elia Spiritus astra petit.
Röberi nomen fuit, artes Musa Themisque,
Patria Gorlicium, Marchia sensit opem.

Pestis levior.

Postquam contagiosa lues aliquot annis proximis ab occasu in ortum progressa multas passim urbes miserum in modum vastasset, hoc anno tum decreto divino, tum incuria nonnullorum sese periculis temere objicientium, nostram quoque urbem, sed leviter corripuit. Exordium illa fecit a dysenteriacis fluxibus, quibus desævientibus successit pestis, longe minore tamen cum strage quam πρόδρομος ipse. Cum enim spatio duorum mensium ultra ducenti, cum adultiores, tum vero inprimis ex puerili ætate dysenteria extincti occubuissent, subsequens pestis toto reliquo tempore numerum illum vix adæquavit. Quod vero rumor periculum adeo amplificavit, & omnibus nos vicinis abominabiles reddidit, fecerunt nonnullæ primariæ ædes ad forum sitæ, quæ peste corruptæ vehementiorem ipsam luem reddiderunt.

Justus Titius Scnat. Gorl. obit peste.

Justus Titius Francosteinens. cum olim in hanc scholam nobilis adolescentes Burckhausios discendi gratia adduxisset, & primum hospitio viduæ Elisabethæ, quæ Joh. Heincio antea nupta fuerat, usus fuisset, mox etiam matrimonium cum ea contraxisset, inter Senatores insuper Curiæ cooptatus esset, vir cætera doctus, solo conjugio infelix 25. Dec. hujus anni pestilentiali lue hic grassante infectus extingvitur. Sed opere pretium est, ejus fatum verbis paulo pluribus describere: Mortua fuerat jam passim in urbe sparsis contagiis filiola ejus natu minima, sed ut putabatur alio quovis morbo quam peste extincta: Itaque sine metu non solum domus ipsa vivebat, sed & ab omnibus sine metu frequentabatur. Sed mox incipit ægrotare alia filia natu grandior. Hanc ubi mater tractat, curatque ipsa quoque venenum haurit, & obeunt pariter & mater & filia uno die, una etiam sandapila reconditæ ad sepulturam efferuntur. Ibi tunc domus non suspecta modo haberi cœpit, sed etiam pestilentialem revera esse tot funera sese consequentia demonstrarunt. Auxit eandem sententiam rursus alia filia natu maxima paucis diebus post moriens: ibi dum cœpit consilium Titius de domo relinquenda seque cum liberis superstitibus in villam recipiendi. Ne autem vel minima contagia secum asportarent, placet novas ei vestes fieri, quæ ad villam ex intervallo deponuntur. Cum noctu ex urbe emittuntur Titius & ejus liberi, alio loco deponunt vestes ex urbe secum allatas, alio loco novas & a contagione puras ac immunes induunt. Jam videbatur res in vado esse & periculum evitatum. Sed heu fata dura & inexorabilia, quæ nequidem ferreus murus arcere possit. Vix unus & alter dies abit, cum contagii aliquid secum circumferre animadvertens Titius, ne in commune malum trahat liberos, nocte rursus ad urbem accedit, & in domum suam reversus, paulo post eo, quem supra diximus die, moritur. Liberi in villa incolumes malum evaserunt.

Fatum ejus lethale.

IX. ædes conflagrant.

Quarto Decembr. noctu circa septimam horam oritur incendium ante portam Occidentalem s. Reichenbachensem incuria cujusdam linteonis aut potius uxoris ejus commissum. Incendium horrendum & vastum, quo 9. ædes periere. Si venti ex contraria cœli plaga spiras-

rassent, haud dubie tota illa domorum series (die Rade Lauben) flammis correpta periisset. Sed Dei omnipotentis custodia, angelorum præsidio, civium fideli auxilio profectum fuit, ut intra istum numerum incendium cohiberetur. Quorum ædes perierunt, ii postea potestate hac a magistratu ipsis facta circumierunt & ostiatim stipem honestam collegerunt, quibus nervis instructi rursus ædes suas potuere instaurare.

1600.
M. El. Theodorus.
Epitaphium

M. El. Theod. Primarius concionator moritur, cui his versiculis parentavimus.

Eloquium, pietas, divina scientia rerum
Vita probata homini, vita probata Deo.
Religiosa modo templi, quæ nostra tenebant,
Nunc cessere loco, religioque gemit.
Tu Jova, qui mittis doctores atque Prophetas,
Da virtute parem, da pietate parem.

Joh. Glyck Cons. moritur.

Joh. Glyck hujus reip. olim *Consul*, sed tum privatus, (quod otium ei fecerat Cæsar Rudolphus) moritur die 25. Mart. anno ætatis suæ 77.

Novum Candelabrum in templo suspenditur.

19. Maj. Dominus Servatius Rademan, Civis hujus urbis, consecrat templo Petrino tanquam *ἀνάθημα candelabrum* illud *grandius* ad subsellia Senatus suspensum.

Aliud suspenditur in choro templi.

Aliud postea mense Novembri fuit suspensum in choro ejus templi, donatum ab eo, qui tum permissu Senatus circumferebat sortes, quæ quia in ollam conjiciuntur & rursum ex ea, qui fortunam experiri volunt, extrahuntur, *fortuna olla* vulgo dici solent.

Olla fortunæ.

Κειμήλια quæ sortientibus fuere proposita, æstimata sunt, septies mille, quingentis & octaginta sex thaleris. Sortes vero ex olla extrahendæ fuerunt octogies ter mille numeratæ, inter quos octogies mille fuerunt vacuæ & inanes, h. e. in quibus nulla *κειμήλια* fuerunt assignata: & ter mille reliquæ, quæ certa præmia feliciter sortientibus designarunt. Duravit illa sortitio per decendium a die nimirum 30. Octobr. ad 8. Nov. usque, tanta frequentia, tantoque concursu civium pariter & paganorum, ut cum scire debebant, non pariter omnibus fortunam pronam & propitiam esse: quisque tamen per se hoc ageret, ut pecuniam temere profundendo sese spontaneæ paupertati objicere videretur.

Joach. Smidius Scabinus obit.

Joachimus Joachimi Consulis olim apud Gorlicenses filius *Smidius* Senator & Scabinus, Vir integritate vitæ, sapientia, justitia, virtute, pietate & literis egregie ornatus, & omnibus bonis charissimus immatura morte 29. Oct. hujus anni *moritur*, & in signum debiti officii, scholæ, cujus ille simul inspector erat, humeris ad sepulturam effertur.

Novus Primarius.

Reverendus & Clariss. Vir Dom. *Mart. Möllerus* Sprottavia huc ad docendam Ecclesiam in locum M. El. Theodori vocatus, primam concionem habuit 30. Julii.

Forum panarium Cæsareo diplomate confirmatum.

Forum panarium anno ut supra annotavimus 1597. tentatum, hoc demum anno impetratum & diplomate Cæsareo publice hic affixo confirmatum est. De eo sibi in præsentia placeant illius tragœdiæ actores: sed paulo post, ubi publica damna in ipsorum thalamos intrare animadverterint & viderint reditus publicos ex vectigalibus advectorum frumentorum & ex molis conquiescentibus accisos & diminutos, & ipsa membra secundum Agrippæ apologum, una cum ventre simul esurire & contabescere, tum demum conferant culpam non in magistratum emersum inde mala longe prospicientem & avertere conantem, sed in se ipsos, qui non contenti præsenti reip. forma, quippe regem sibi cum suo damno & interitu dari postularint. Diploma, cujus modo mentionem fecimus, datum fuit Pragæ hujus 1601. anni, cum his conditionibus, quas ex diplomate ad verbum descripsimus:

1. Daß allen und ieden auf dem Lande und um die Stadt wohnenden Bauer-Volcke Brodt zu feilen Kauff in die Stadt zu führen, zugelassen und vergönnet.

2. Daß solche Zufuhr und Verkauffung alle Wochen einen Tag, als den Montag von Aufgang der Sonnen biß derselben Niedergang durchs gantze Jahr geschehe; Jedoch soll das unterkauffte Brodt in der Stadt, und so weit sich derselben Ring-Mauern und Fluren erstreckt, keines Wegens eingesetzt, sondern bey Verlust des Brodts, welches dem Armuth zum Besten in die Hospital zu geben, wieder heraus geführet werden.

3) Soll zwar das Brod nach der Hand ungewogen zu feilem Kauff um gleichmäßigen Werth hingelassen; Jedoch daneben aus des Raths Mittel 2. Personen, denen zween aus den Handwercken und Gemeinden vom Rath zu adjungiren, zu Inspectoren jederzeit verordnet werden, ob etwan ein schädlicher scheinlicher Mangel befunden, damit nach Befindung dergleichen Kauffmann der Brodte verlustig gemacht, solches in die Hospitalia verliefert, auch nach Gelegenheit seines Verbrechens mit Willkührlicher Straffe wieder ihn verfahren.

4) Soll das Brodt gut, derb und zu menschlicher Unterhaltung wohlausgebacken seyn, auch in keiner kleinern Sort als zu kleinen Gr. zu feylen Kauff gebracht, jedoch ob etwan solches ein 2. Pfennige wohlfeiler hingelassen, soll es dem Verkäuffer ohne Gefahr seyn, iedoch daß aller Betrug und Unterschleiff vermieden.

5) Soll den Stadt-Becken desselben Tages gleicher gestalt ihr grob groß Brod auf freyem Marckte zu feylem Kauff auszulegen vergönnet seyn.

6) Soll zwar denen in der Vorstadt wohnenden Platz-Becken, das Brod, Kuchen, Stritzel und dergleichen, ausser der Jahrmärckte und Kirchmessen zu feilen Kauff zu backen hinfürder verboten, jedoch denselben, wo ein und der ander aus den Handwerckern und Gemeinden sein eigen Mehl erzeugen könnte, ihnen solches um

ihr vor gebräuchliches Lohn zu backen unverschrenckt, sie auch solches in alle Wege zu thun schuldig seyn.

M. Zach. Wels Gorl. foris muneribus inclytus hic æt. 72. obiit.

M. Sacharias Wels Gorl. postquam totam pene vitam obeundis muneribus consumsisset, domi quidem docuisset juventutem Scholasticam, foris vero in aula ducum Megalburgensium Cancellarii munus per annos 12. administrasset, Glogaviæ Syndicum illius principatus egisset per annos 9. denique Colbergæ in Pomerania ibidem Cancellarii munus per annos 7. gessisset, requiem senectutis quærens, huc tandem rerum & fortunarum suarum sedem collocavit, in qua quiete expectans æternam quietem, etiam mortuus est anno ætatis 72. cum dimidio die 9. Apr. hujus an. Cujus anima etiam nostro voto in pace quiescat.

Uxor ejus moritur post 20. dies.

Hunc consecuta est uxor ejus diebus 20. post, die nimirum 28. Apr. ut quos nunquam vita separasset, mortui etiam una essent.

Uxor maritum moriendo mox sequitur.

Simile exemplum duorum conjugum simul pene mortuorum accidit eodem anno cum 24. Jun. Vincentius Wagner Civis Gorlicens. & diebus 6. post, ejus uxor obierunt.

Cornix tribus pedibus & tres albæ cornices captæ.

Pro iis, qui talia ex superstitione ad certas significationes referunt, significamus die 2. Jun. cornicem tribus pedibus & tres alios cornices albo colore captas fuisse.

Puer absque brachiis hic visitur.

Puer septennis sine manibus & brachiis spectatum ductus per vicinas regiones, huc quoque Gorlicium appulit die 18. Jun. hujus anni: Ejus descriptionem integram & opera per pedes administrata hic subjicere libet, ut Dei providentia & ludus ejus in natura ab admiratione in stuporem nos convertat. Puer in Livonia natus perhibebatur, facie erat liberali, vultu hilari, corpore obæsulo & nitido, annos tum habens 7. Natus enim dicebatur anno Christi 1595. Cæterum sano corpore erat, nisi quod manibus esset mancus & truncus brachiis. Pedes erant, sed genua nulla, patella nulla. Unde neque ingredi, neque erectus incedere poterat. Pes dexter brevior erat, digiti in eo quinque: sinister pes longior, digiti quatuor. Etsi vero natura ei beneficium manuum brachiorumque & eorum usum denegarat, in alia tamen re ad miraculum usque defectum illum compensavit, & damna brachiorum artificioso pedum ministerio rependit. De puero loquace dixit Zeno, ut est apud Laërtium, ejus aurem in lingvam defluxisse: ita si ridicula cum re seria conferre licet, omnia manuum opera huic puero in pedes defluxerunt, quibus expediit ea, quæ alii manuum beneficio perficiunt. Si namque ori cibus potusve admovendus erat, admovebant pedes; scripturus pedum digitis calamum regebat: filum in foramen acus ingesturus, ingerebant sine frustratione pedes. Lusurus tesseris, discum in gyrum circumacturus, numos humi jacentes sublaturus, nodos ex segmentis coreaceis nexurus & rursus extricaturus, indusium sub mento constrictum soluturus, omnia illa pedibus expediebat. Simile ludentis naturæ miraculum paucis abhinc annis spectatum est in Thoma Schweickero: de cujus miranda solertia: in his & aliis operibus per pedes administrandis, qui legere vult, consulat succisivarum Horarum Camerarii Tom. I. p. 157. Circumlata fuit tum temporis charta continens Schweickeri effigiem & ejus opera descripta aliquot versiculis latinis & rhytmis germanicis. Latini versiculi in secundam partem Camerarii Horarum sunt inserti: Germanicos ne forte aliquando pereant, visum est hic inserere, ut si vivent hi annales nostri, ipsa simul rhytmorum vita conservetur: Sunt autem hujusmodi:

Pedibus loco brachiorum mirifice utitur.

Dieweil ich, daß es GOtt erbarm,
Hab weder Finger, Händ noch Arm,
Und mich also behelffen muß,
Schreib ich doch das mit meinem Fuß:
Drum frommer Christ dein Lebenlang,
Sag GOtt vor diese Wohlthat Danck,
Daß du hast ein geraden Leib,
Wie meinst, daß ich mein Zeit vertreib,
Das zeigt dir die Contrafactur;
Weil mich nun GOtt und die Natur
Also erschuff, hats mir doch gegeben,
Alles zu thun mit Füssen eben,
Essen und trincken über Tisch
Mit meinn Füßn ich behend erwisch,
Schreib, mahl, schnitz, binde Bücher ein,
Das Armbrust kan ich brauchen fein,
Zehl Geld, und auf freundlichs Begehrn
Im Bretspiel meins Mans auch thu wehrn,
Schenck ein, trinck aus, die Kleider mein
Anleg, selbst schneid ich Federlein.

Tempestas nociva. Fulmine duo tacti.

7. Aug. mane intra horam 6. & 7. subito oritur tempestas intonante polo & crebris micante æthere ignibus: in hac tempestate duo viri opera rustica facientes de cœlo tacti sunt: alter subito extinctus, alter semi mortuus relictus, sed postea sanitati restitutus est.

D. Fritschius Physicus ordinarius æt. 76. moritur.

D. Thom. Fritschius Oschacensis hujus Reip. Medicus Ordinarius per annos. Moritur ætatis anno circiter 76. die 24. Oct.

1602. Stupendi ventorum fragores.

Primus quadrans hujus anni inprimis obnoxius fuit magnis & stupendis nec non ominosis ventorum fragoribus, qui in primis sævierunt nocte diem 7. Mart. præcedente, usque adeo, ut cum magno metu mortalium ædium tecta passim avulsa per aërem avexerint, arbores in agris hortisque radicitus evulserint, aut alias deformem in modum mutilarint, sepes & munimenta hortorum prostraverint, everterint, loco moverint.

Alex. Schnitter Cons. moritur.

Alexander ex vetustissima & honestiss. Schnitterorum Gorlicensium familia, quæ complures Consules huic Reip. suppeditavit, moritur die 31. Maji, qui fuit dies Veneris, qua die & in hunc mundum natus fuerat, ætatis suæ 39.

23. Jun.

Crux nigricans in cœlo conspecta.

23. Jon. vespere duabus ante occasum solis horis, non procul in luna, quæ jam supra horizontem ascenderat, conspicitur in cœlo Crux nigricans, sex circiter ulnas longa, sed non usque adeo lata. Conspecta ea fuit non quidem a multis, sed tamen fide dignis. Neque etiam in sermone multum fuit versata, quod miracula assiduitate vilescere nunc soleant & mundus talia signa pro vanis spectaculis habeat. Eo usque securitatis processum est.

Capit. Gorl. moritur novusque eligitur.

21. Maj. obit Nobiliss. Fridricus a Tzschirnhans in Kiswalda, Capitaneus Gorlicensis cui succedit Georgius a Nostitz in Jahmen & Klix, electus 26. Jun. hujus anni.

M. Dav. Rhamler Lips. Cons. factus.

1. Sept. qui est dies ἀρχαιρεσίας, quo Consul annuus apud Gorlicenses creari solet, cooptatur in ordinem quatuor virorum & Consul eligitur Vir ampliss. sapientia eruditione & fide præstantiss. *D. M. David Rhamler* Lipsens. cujus magistratum Deus fortunet, ut ille cedat in Ecclesiæ & Reip. emolumentum.

Joh. Linck novus Collega

Joh. Linck Celichius poëta laureatus ex Lincio oppido Stiriæ, ubi 16. integros annos scholam provincialem docuerat, & Musicam simul templi administraverat, vocatus Gorlicium, fit Collega docentium, introductus 24. Oct. Cumque schola per aliquot annos novum Collegam desiderasset, additus est Joh.

Joh. Theod. novus Collega.

Theodorus Balthasari Theodori primarii ministri Ecclesiæ Gorlicensis filius.

Incendium zu Teutsch-Ossig.

In pago Offigo Teutonico, dimidio milliari ab hac urbe sito, incendio pereunt aliqvot villæ, & inter has ipsa etiam pastoris domuncula. Incendii hujus causa fuit adeo levis & frivola, ut merito in autorem incendii graviter animadvertendum fuerit. Est quidam ejus

Causa incendii.

pagi rusticus Andreas Croschius dictus, huic cum esset ministra furax, & fuisset furti convicta, erat autem res furtiva parvi pretii, præcinctium nimirum, alteri ancillæ ereptum, ex cupiditate vindictæ sub primam facem, cum forte reliqua familia cœnaret, subjectis ignibus lectum super clibanum incendit, non quidem, ut credibile est, ut alteri vicino ulli, sed solum heri sui rationibus noceret. Sed proh dolor! eas vires incendium illud sumsit, ut ulterius progressum, quinque alias villas corripuerit & in cinerem redegerit, tanto cum damno reconditarum etiam excussarum frugum, aliarumqoe rerum supellectilis domesticæ, ut illud 6000. florenis fuerit æstimatum. Itaque pœna par delicto est consecuta.

Ancilla incendii autor comburitur.

Nam ex firmis præsumptionibus famula comprehensa & quæstionibus subjecta, postquam facinus est confessa, incendii damnata, super rogo ad patibulum Gorlicense extructo, combusta est die 5. Dec. hujus anni 1602.

1603.

Quem diximus superiore anno 1602. 24. Octobr. in scholam nostram vocatum fuisse Joh. Linkium Poëtam Laureatum, is proxime anno post 1603. 20. Jul. terrena hac schola relicta in æternam immarcessibili corona coronandus commigravit, cum attigisset jam annum ætatis 42. qui fuit ex climactericis minoribus sextus.

Horribilis tempestas. Iris lunaris.

Nocte sequente diem 20. Aug. circa mediam noctem surgit tempestas coruscationibus & tonitruum fragore horribilis, jaciens globos grandinis ad instar ovorum columbinorum magnitudinem, quæ passim in fenestris orbes vitreos miserabili spectaculo confregerunt. Inter illa tristia signa simul apparet Iris, ex refractione radiorum Lunæ, quæ tum non procul aberat ab oppositione nata: quod Deus instar iræ suæ signa, impiis proposita, simul videretur piis & Deum timentibus signum gratiæ præponere, ne deficerent; sed in media etiam ira eum clementem futurum certo scirent. De his prodigiis extat scriptum Greg. Eichleri Ecclesiastæ hujus Ecclesiæ, in quo exactius omnia, ejus Φαινόμενα docte & pie examinat, quod videre debent & cognoscere omnes, qui talibus prodigiis apparentibus capita sua tollunt & lætam ἀπολύτρωσιν expectant.

1604. pastor in Nissum se præcipitans misere perit.

Eventus hujus anni a tristi protasi initium cœperunt, contineo te tragicum admodum casum Barth. Benedicti, Pastoris Ecclesiæ Rauschianæ in territorio Gorlicensi. Is nescio quibus furiis impulsus, cum forte in urbe fuisset, & jam domum properaret, a via declinans in Nissi sinum quendam non procul a pago Ludwigsdorff sese præcipitem egit & ibi miserandum in modum suffocatus periit. Dicitur reperta charta fuisse in mortui vestibus, continens horrendas diras, quibus se omnibus crucibus devovit, Quæ quia δύσφημα sunt, potius æterna oblivione sepeliamus. Accidit hic tristis casus 13. Febr. hujus anni. Sepultus Vesperi Ludwigsdorfii in cœmiterio sine ceremoniis.

Hoc anno obiit *M. Joach. Schönius Schol. Colleg.* Hujus curriculum totum studiis fuit transactum, sed admodum breve. Nam intra unum decennium tribus in scholis docuit. In schola nimirum Gorlicensi, Sprottaviensi & Goldbergensi. In patriam scholam primum introductus est A. C. 1596. 14. Octobr. Magister factus 1602. In conjugio vixit hebdomadas 31. Moritur A. C. 1605. 10. Jun. h. 6. p. m. ☽ postquam plevritide & peripnevmonia dies quatuordecim decubuisset, anno ætatis suæ trigesimo tertio, mense decimo, die quinto completo. Vidua relicta prægnans, enixa est posthumum die trigesimo Aprilis, qui & ipse non sine magno matris luctu mox Patrem suum secutus est, dum nimirum 9. Maj. ☽ obiit.

Georg. Rhon Scabinus. Item obiit,

Ut Schönii vita & totum ejus curriculum breve fuit: ita hujus Rhonii fuit properatum. Nam ante tempus omnia in ipso & cum ipso immatora facta sunt. Natus est eo anno, quem numerales literæ indicant, dicto illo quo pro Symbolo usus est: PIetas aD oMnIa VtILIs.

h. e. A. 1559. Ab eo anno ad hunc ejus emortualem elapsi sunt anni 46. quæ est tota vita ejus.

Vict. Glich. Obiit quoq

Victorinus Glich: Dædaleum prorsus in hoc viro ingenium fuit & ad omnia summa factum & a natura compositum. Latine enim scribebat & loquebatur pure. In agendis causis nulli pene Jurisperitorum inferior: in consiliis dandis promtus. In Arithmetica & Geometria, quæ sunt duæ alæ tollentes nos in cœlum, exercenda expeditus, ita ut inextricatissimis supputationibus sæpius adhiberetur, in excitandis magnis & artificiosis substructionibus artifex, in aquæductibus, in agrorum & amnium dimensionibus & aliis studiis Geometricis perspicax. Hic tantus vir ἀπροσδοκήτως repentino moritur. 2. Febr. æt. suæ 47. cum paulo ante conjugem Dorotheam Goridiam sepelivisset.

Mortuus etiam Sebast. Hoffmann Cons.

Sebast. Hoffmann Cons. Vir genere, eruditione, sapientia, auctoritate & rerum publicarum usu vere nobilis, Consul hujus Reip. vigilantissimus & præcipuum ejus decus & ornamentum moritur 4. Maj. hujus anni æt. suæ 54. Patrem sequitur filia Magdalena, 1. Jun. nupta Jacobo Rindfleischio Vratislaviensi. Tolerabilior fuisset Hoffmanni obitus, si quod nobis semen reliquisset, & non simul cum corpore gentilitium ejus στίγμα fuisset sepultum, nullo superstite hærede masculo, ac ne quidem Epitaphio hactenus:

Nulla Sebaste tibi qua carmina scripta sepulchro
Hactenus, & veluti nomen inane jaces.
In causa stupor est tam tristi in morte profectus,
Quem mollire satis lacruma nulla queat.
Sed breve tempus adest cum Musarum inclyta turba
Certatim in laudes est ruitura tuas.
Interea placida compostus pace quiesce,
Ad superos dum te buccina læta vocet.

M. Mart. Mylius.

Porro obiit Joh. Becker, Sen.

Joh. Becker Senator obiit. Cum in schola patria & Academia Wittebergensi prima artium fundamenta posuisset, peregrinationes suscepit & in Stiriam pervenit, ibique munus in schola docendi invenit. Cum autem proprior ab Italia abesset, eo profectus est & Venetias, compendium mundi, ut vocant, visit. In patriam reversus studia Juris vehementius coluit, donec membrum Senatus factus est, An. 1601. nec dubium fuit, quin ad summos honores evasisset, nisi fata longiorem vitam invidissent. Vere enim fuit Sacerdos Justitiæ, ut vocantur Juris periti, & qui veritatem amaret, & justitiæ acerrimus vindex esset, remotus ab omni Sophistica. Mortuus est 9. Octobr.

M. David Rhämlerus. Consul & Syndicus obit.

An. 1567. æt. 19. factus Baccalaureus. Medica tractavit. Tribus Anatomiis interfuit. Disputationes medicas administravit. Privatis suis Logicam, Eth. Phys. prælegit. Ter publice pro loco disputavit: 1. de humoribus. 2. de concoctionibus. 3. de facultatibus administrantibus. Ut in Facultatem, quam vocant, reciperetur, publice sine respondente de Intellectu agente & patiente disputavit.

An. 1570. æt. 22. factus est Magister, ubi deserto studio Medico ad Theologiam animum applicavit. Curator novi Collegii Lipsens. constitutus An. 1573. Serotinis disputationibus præsidere coactus est. A Theologica facultate receptus est inter publicos professores Hebraicæ lingvæ An. 1576. Studiosis Hebr. Grammaticam Cleonardi prælegit, usum hujus lingvæ ex Psalmis monstravit. Duas Theologicas disputationes administravit de Peccato & Resurrectione mortuorum. Pro completione in Canicularibus Epistolam Pauli ad Galatas in frequenti auditorio publice prælegit. In Paulino templo 4. Theologicas Orationes Lat. habuit. Deserto studio Theologico ad jura discenda se contulit. An. 1580. eligitur Universitatis Lipsens. Notarius, cui muneri Intimationibus formandis & asservando protocollo quinquennium præfuit. An. 1584. institutiones Juris nonnullis nobilibus & aliis Juris studiosis privatim prælegit. In Aulam An. 1586. 17. Jun. a Christiano I. Electore Saxoniæ Secretarius intimi consilii in utraque lingua Dresdam vocatur: quod munus triennio administravit. Gorlicium An. 1589. 16. Maj. a Senatu Gorlicensi ad Syndicatum vocatur. Venit huc comitatus egregio testimonio Academiæ Lips. in amplissima forma, inprimis vero hanc laudem retulit, videlicet in agendo fidem, & promtitudinem & in judicando dexteritatem ab eo fuisse adhibitam. Cum aliquot annos hic vixisset, ecce præter prius onus & consulatus ei imponitur Anno nimirum Christi 1602. quod officium etsi præter spem & opinionem sibi imponeretur & vehementer repugnaret, semel atque iterum deprecaretur, tamen ne accideret ei, quod Prophetæ Jonæ, qui & ipse conciones & labores in se recipere nollet, tandem Deo & Senatui obtemperavit & hæc verba adjecit: Omnipotentem Deum creatorem cœli & terræ oro, ut me spiritu suo sancto gubernet, & in meo hoc munere, inque consultationibus, inscriptionibus, dicendo & scribendo, cæterisque omnibus negotiis ita præsim, ut cedat in laudem Dei, Salutem Reip. & animæ meæ salutem: Sed labores hi trahent secum amiculum ferale. Moritur An. æt. 57. marasmo 1. Oct. 1605. edens egregiam suæ fidei confessionem, quæ pro concione funebri multis verbis commendata fuit. Pro Symbolo usus est hoc Pauli Apho-

Aphorismo, qui extat 1. ad Tim I. Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam: quam sententiam omnibus libellis amicorum inscribere solebat. Cum uxore Christina Ernesti Brottusi Historici clariss. civis Mersburgensis filia in conjugio vixit 27. annos cum eam duxisset An. 1578. nulla post se relicta sobole.

Cometa. Hoc anno Cometa luxit, in Octobri praecedentis anni incensus. Spectatus est ille a vigilantibus tantum & mane surgentibus. Ideo ebrii, qui nunquam orientem solem salutant, & quibus miracula assiduitate vilescunt, ne eum non vidisse aut observasse dici possent, omnino nullum Cometam apparuisse contenderunt: Sed ex hoc dubio liberat nos Keppleri Caesareae Maj. Mathematici ad Scultetum nostrum Epistola: in qua & Cometam fuisse probat & observationes diligenter persequitur. Eam epistolam hic inserendam putavimus, ut vel sola testis sit apud coecum mundum de certitudine hujus Φαινομένε.

Epistola Kepleri ad Scultetum de hoc Cometa. *Viro Ampliss. & Clariss. Dn. Barthol. Sculteto, Reip. Gorlicianae Consuli, Domino meo colendissimo S. & officia.*

Clariss. Vir, cum nuper officii causa invisissem Dn. D. Schwalbium vestrae Reip. Medicum, is mihi plurima & jucundissima de excellentia tua dignitate, auctoritate, studiorum oblectationibus & felici atque longaeva senecta recensuit, meque permovit suis adhortationibus, ut ad Excell. tuam scriberem. Agnosco Exc. T. prudentiam & cautionem in fide adhibenda longo rerum usu & tot jam variis hujusmodi rumoribus exercitatam. Caeterum quod attinet praesentem rumorem, is verus est. Visa est nova stella in Hispania, Italia, Bohemia, Alsatia, Ostfrisia eodem tempore, quae die 8. Oct. non fuit, die 10. fuit. Illa non fuit Saturnus, Jupiter aut Mars, quia omnes tres juxta illam & haec quarta major omnibus visa est. Observando compertum sextantibus tychonicis ad distantias a finis, ut aquila genu serpentarii, corde scorbii humero sagittarii, capite ophio hi adhibitis illam haerere in 17°. 4 ♐ lat. 1055. Bor. Cum autem tum Sol fuerit in 18. ♎ ergo neque Venus neque Mercurius hic esse potuit, quia nunquam ad 60. graduum distantiam a sole discedunt. Occidit heliace inter 16. & 23 Nov. Orta est heliace 24 Dec. Major Jove fuit, jam minor Saturno est, qui proxime illam stat. Loco non movetur ne ad unicum quidem minutum, 9. Dec ☉ ad ipsam venit 13. Decembr. Saturus 23. Mercurius 24. 25. Jan. Venus super illam transiit. Itaque confirmatissima res est, quod gratum fore putavi Exc. T. Vale feliciter, & me Tychonicorum studiorum summum amatorem amare incipe. Pragae 20. Februar, 1605,

T. Excel.

Officiosiss.

Joh. Keppler, Kays. Maj. Mathematicus.

De eodem ostento prodiit & in publicum observatio Doctoris Weidneri, aliorumque, quorum copia hactenus nobis non est facta.

Novus Collega scholae. Postquam e vivis discessit M. Joach. Schonius, in ejus locum surrogatur *M. Joh. Laurentii*, hujus Gymnasii instauratoris & gubernatoris filius *Ludovicus*. Solemnis introductio facta est die 7. Mart.

Turris Monasterii fulmine tangitur. 27. Jun. h. 3. p. m. cum coelum plane sudum esset subito cooritur tempestas versus Septent. cum magnis fulminum fragoribus mixta, & ferit turrim Monasterii, sed fine damno, nisi quod de jugo ipsius, trabis de quo campana pendet, particula fuit abrasa.

Elias Büttner obit.

Hunc inter literatos merito numeramus, qui multos annos pharmacopolio fervivit, aegris praesertim morbo Gallico infectis multis gratis, absque omni remuneratione medicinas paravit, ipse alios consilio suo instruxit, erga omnes comis, in seminandis herbis felix, & omnibus officiis promtus & paratus. Hic bonus senex pene septuagenarius moritur hoc anno 7. Sept.

Novus Med. Doctor Casparus Schwencfeld Medicus vocatus Hirsberga ad Medicinam hic faciendam feliciter urbem intrat, mense Octobr.

Novus Syndicus, 20. Decembr. hujus anni 1605. totius Senatus consensu in locum ampliss. viri M Dav. Rhamleri Syndici surrogatur Georg. Laurentii Ludovici filius.

D. Barth: Schvvalbius obit. Nobiliss. Vir Da. Barth: Schwalbius a Giesitz in Bunzelwitz in aula Caesarea regni Bohemiae Medicus Ordinarius 27. Dec. repentino moritur in arce Busstichrad tribus milliaribus a Praga sita, quo fuerat evocatus ad aegrum curandum. Sepelitur Pragae in templo D Nicol. vetustioris urbis cum vixisset annos 54. m. 4. d. 16. h. 4.

Martinus Mollerus, Primarius Concionator obit d. 2. Martii.

Ejus vitae curriculum annotavit filius major Martinus quod hic subjiciemus iis verbis, quibus ille descripsit. An. 1547. Natus est prope Wittebergam circa diem Martini, in pago Liesnitz, hodie appellatur Kropstedt, patre Dionysio, matre Elisabetha agricolis. 1558. aet 11. Illic ad aedituum in scholam missus: qui docuit ipsum capita pietatis, erudiit in legendo & scribendo (in tabula cerata literas pinxit cum acu, cui fractus fuit mucro,) initiis etiam Gram-

Grammatices inftruxit. An 1560 æt. 13. Wittebergam miffus die Veneris poft feftum trium Regum: ubi in fchola particulari & Academia commoratus eft annos 6½. An. 1566. æt. 19. Venit Gorlitium in profefto Joh. Baptiftæ cum Joh. Welfio J. V. D. & præceptore Joh. Frencelil: ubi fub difciplina Petri Vincentii vixit per biennium. An. 1568. 21. Duæ functiones ei fuerunt oblatæ Fridlandenfis & Leobergenf. Hortatu aotem Dn M. Laurentii Ludovici p. m. (qui ipfom incredibili benevolentia femper profequebatur) Leobergæ Cantoris munus fufcepit, quo functus eft quadriennium. An. 1572 25. Scholafticis functionibus valedixit, & ad minifterium fefe contulit factus paftor in pago **Keffelsdorff**, vicino Leobergæ 16. Mart. periculum in concionando fecit: Witebergæ a Dn. Widebramo 23. Apr. ordinatus fuit. Eo autem in pago cum docuiffet 27. Septimanas, eodem anno a Leobergenfi Senatu ad Diaconi officium obeundum vocatus aſt: cui infigni cum emolumento præfuit biennium & 16. feptimanas. An. 1575. 28. Sprotaviam fuit accerfitus, ut Paftor effet; quo advenit 15. Mart. ibique docuit Ecclefiam fumma cum utilitate & incredibili fructu auditorum per annos 25. Illic cum effet, aliæ etiam urbes ad feipfum vocarunt, nimirum Camitium, iterum Leoberga, Lignitium, Greiffenbergia, Suidnicium Gorlicium vocatus acceffit, cui Ecclefiæ præfuit 5. annos 7. Menfes & aliquot dies. 1605. 58. Hoc anno cum Deus ei vifum eripuiffet (**da ihm der Staar für die Augen gefallen**) nihilominus in munere fideliffime eft perfunctus, anagnofta fubinde materias concionum prælegente. Evangelia dominicalia & capita biblica memoriter recitavit. Pene accidit ei morbus vel calamitas fingularis: quæ eom dolores femper crearet ingentes propter calculum in vefica latitantem: non tamen a publicis concionibus abftinoit, licet celeberrime magna cum moleftia habitis: donec primo Nov. noctu ita acerrimis doloribus fuit afflictus, ut plane domi hærens a concionibus publicis abftinere cogeretur. Ante autem ultimam concionem funebrem habuit ad D. Nicolai 28. Oct. ordinariam vero in templo Petrino 30. Octobr. Dominica 21. Trinitatis. An. 1606. 59. 2. Mart. tandem obiit dimidia decima matutina agens annum æt. 59.

Conjugium duplex.

An. 1570. Uxorem duxit Leobergæ Margaretham Crufianam, qua cum vixit 13. annos 15. feptimanas, auctus 7. liberis filiabus. An. 1584. Sprottaviæ iterum uxorem doxit Annam E'getianam, cum qua vixit 21. annos, auctus liberis quinque. *Scripta*, quæ ondique hominum teruntur manibus, funt: 1) Scheda Regia. 2. Epiftolæ Ignatii. 3. Dialogi Theodoreti verfi e Græco in Germanicum fermonem. 4. Meditationes patrum. 5. Manuale morientium. 6. Myfterium magnum. 7. Soliloqoia de paffione Chrifti. 8. Praxis Evangeliorum. 9. Thefaurus precationum. 10. Natalitia Chrifti

Godefredus Bucholcerus 2. Aug. emigravit ex hac vita, fcriba fenatus Gorlicenf. magni illius Chronologi & Theologi præftantiffiml filius jamjam foras daturos continuatum & locupletatum illud præclarum opus Chronologicum eum magno epifagmate de familiis principum in remotiffimis regnis, quas ille magnis laboribus, majoribus fumtibus, maximis contentionibus ita confecit, ut negligens interea propriam falutem fuam, aliis ferviendo fe ipfum contriverit. Bucholcero fuccedit Wigandus Möllerus, Henrici Mölleri Senatoris & Scabini filius.

Martino Mollero pie defuncto Senatus ei fucceſſorem dedit ejus Collegam, virum pietate & neceffaria eruditione præclare inftructum Dn. *Gregorium Richterum*. In hoc fuo primatu primam concionem habuit 6. Aug. in qua prolixe fuam Deo & Ecclefiæ promifit operam. Faxit Deus, qui dat Doctores & Epifcopos, ut hoc magnum Dei opus tendat ad divini nominis gloriam & Ecclefiæ propagationem. **Novus Primarius.**

18 Aug. paulo ante crepufculum vefpertinum venit Gorlitium (nam alibi nil tale animadverfum) magnum agmen mufcarum magnitudine excedens mufcas ufitatas, fed plane albas, ut inter volandum floccos niveus repræfentare viderentur. Sunt, qui putant natas illas fuiffe ex frumento ex tam multorum dierum caloris & humiditatis viciffitudine continuata io agris putrefacto. Cui rei argumento effet, quod corpufcula omnino furmam frumenti, quod fecale dicimus, referrent, nifi quod alæ aliquaoto effent longiores. Pauperiem nullam intulerunt vel agris vel rebus nafcentibus, ut factum eft, cum An. 1542. locuftæ in Silefiam involarunt, ficut nec tam magna noftrorum infectorum fuit multitudo. **Mufcæ albæ hic vifuntur.**

Poft præturam per annos continuos 6. continuatim, creatus 1606. Conf. Dn. *Tobias Schnitterus*, moritur in ipfo confulatu, cum vix dimidiom gubernationis fuæ, quæ annua effe folet, confeciffet 1607. 25. Mart. **Novus Conf. mox obit.**

Mortuo Barthulomæo Schwalbio Doctore die ut fupra retulimos 27. Dec. anni Chr. 1605. fecutus eft enim frater Abrahamus feptimanis triginta feptem poft. Hic obfervetur mira in his duobus fratribus multarum circumftantiarum confenfin, quas his verficulis complexus eft M. M. Mylius: **Abr. Schwalbius moritur in Bohemia lue peftifera.**

Ambos vos patria una dedit, dedit unaque mater:
In uno ludo difcere cura fuit.
Ingenuas cognovit uterque Machaonis artes:
Magnis dum vixit carus uterque viris.
Utrumque Italicas vexit fortuna per urbes,
Et rubras mitras inde referre dedit.

Utriq;

Utrique in thalamos deducta est tertia conjux,
Neuter apudque suos in patriave cadit
Inter Bojemos invenit uterque sepulcrum
Ante diem & propero funere mersus obit.
Si quid navorum claris se miscuit actis:
Id facilis virens omne in utroque tegit.

Historia autem mortis Abrahami sic se habet, ut breviter commemoremus. Proficiscitur ille in Bohemiam expediturus hæreditatem pertinentem ad patrueles suos lepidissimos adolescentes Antonium & Salamonem Bartholomæi filios. Sed dum ille incautius vagatur, quod tum pestifera lues grassaretur, haurit veneni semina & non solum in periculum vitæ pertrahit patrueles istos suos, sed etiam ipse commune naufragium subit. Hoc modo infectus pervenit ad generosum Dn. a Biberstain in Stranhoff atque ita superatus morbo, die 9. Sept. inter 8 & 9. dimidii horologii pie in Christo, usus prius corpore & sangvine Christi inter ardentissimas preces obdormivit, & die 11. Sept. Boleslaviæ Bohemiæ oppido sepelitur.

Novus Ecclesiastes. *Michael Ficenus* Gubenensis ex Ecclesia pagi Langenaw in diœcesi Gorlicensi, vocatur ad docendam nostram Ecclesiam. Primam concionem hic habuit 15. Oct.

1607.

M. Papa Scholæ Collega obit. 26. Jan. immatura morte emigravit ad æternam Dei & beatorum consvetudinem M. *Fridricus Papa*, qui hanc scholam per annos 26. fideliter docuit.

Leges sumtuariæ publicantur. Latæ sunt hoc anno vel potius post annos triginta repetitæ leges sumtuariæ, h. e. quanto quisque ex civibus sumtu sponsalia adornare, nuptias celebrare, baptismum liberis conferre, funerum solennitates exequi & vestire debeat. Hæ leges ut sunt a prudentioribus promte acceptæ & vehementer approbatæ, cum manifestam utilitatem communi patriæ adferrent: ita fuere è contrario, qui hanc novitatem valde sibi displicere ostenderunt, non sine periculo νομοθέται, sicut omnibus temporibus taxati abusus ipsis legislatoribus exitio fuerunt. Prælecta est hæc legum promulgatio a Notario publico Georg. Uttmanno in curia die 9. Febr. Ipsæ leges sesqui septem chartis expressæ extant hoc titulo:

Eines erbarn Raths der Stadt Görlitz verneuerte Willkühr und Ordnung, von Verlöbnissen, Hochzeiten, Kind-Tauffen, Begräbnissen und Tracht der Kleidung.

Turris Monasterii renovatur. De quo Senatus noster per plures annos consultavit de turri nimirum Monasterii labefactata instauranda: id hoc anno executus est tanta magnificentia, ut cum aliis in urbe turribus hæc nova facile certare posse videatur. Nam 18. ulnis altius illa fuit educta: pro rudi apice inauratum globum & petasum, pro tecto in fissili lapide plumbeum, pro una campana geminas accepit, ut earum altera mane convocaret scholam, vesperi portas clauderet: altera horas distingveret. Turris dirui cœpta est 12. Mart. Globus affixus est 3. Apr. & infectæ chartæ continentes historiam patriæ & præsentis status in imperio Romano, quam hic integram subjicimus.

Memoria & Posteritati consecratum.

Inscriptio in globum reposita. *Imperante Divo Rudolpho II. Austrio semper Augusto, Germaniæ, Hungariæ & Bohemiæ Rege & utriusque Lusatiæ Marchione: Consule Reip. Gorl. Tobia Schnittero in ipso consulatu defuncto. Proconsule Joh. Glich a Miltzitz &c. Ædili publico. Consularibus M Barth: Scultero Mathematico & Melchiore Steinbergio J. C. Prætore Barth. Jacobi Saraviense Scholarcha. Syndico D. Georgio Ludovico Laurentii F. Scabinis Zacharia Teichmanno, Henrico Mollero, Mich. Buttnero Leoberg. D Davide Tuchscher Cotbusino Scholarcha, Georg. Heldrichio. Senatoribus civicis, Antonio Smidio, Joach. Emrico, Georg. Heincio, Fridr. Schwettig; Tribuariis Joh. Michaele pannifice, Elia Bartsch lanione, Gregorio Ulrich Cerdone. A Secretis & Epistolis publicis Christoph Hanisio Fridberg. Georg. Uttmanno, Wigando Möllero. Physico ordinario D. Casp. Schwencfeldio Gryphemontano. Ecclesiæ Antistite Greg. Richtero, Symmistis Joh. Hachelbergo, Greg Eichlero & Mich. Ficeno Gubenense, Scholæ Rectore M. M Mylio. Operam juxta navantibus magistris, Elia Cuchlero P. C. Joh. Falckenhanio, Joh. Ludovico Laurentii F. Cantore Gregorio Hauffio. Præceptoribus inferioribus Valent. Thebano, Greg. Schueewveiso, Greg. Schneidero, Paulo Pflugero & Joach. Feuerbachio. Organico Musico ad D. Petri in annum 50. Andrea Brettelio Erfurdense.*

Anno Gratiæ per Christum natum Sanctæ
CIↃ. IↃC. VII.

Quo

Reip. hujus commodis in futurum provisum voluit & Cæsar Augustiss. & Senatus Ampliss,

Ille

Circumpaganis pistoribus & laniis importandi & in foro publico panes & carnes venundandi immunitate, qua pene sexennium Cæsarea indulgentia, tribunitiis quorundam artibus extorta, invito Senatu non sine insigni commodi publici detrimento fruebantur, edicto publico abrogata: & incolis in tribubus pistorum & lanionum libertate quæstum suum antiquis legibus & moribus exercendi restituta.

Hic

Legibus sumtuariis, quæ ad solennitates sponsaliorum, festivitates nuptiales, exequias funebres, congressus matronarum in infantium initiationibus & cultum in vestitu spectant, partim correctis, partim novis quibusdam surrogatis & publicatis.

k *An-*

Anno altero

Postquam Pax inter Turcam & Cæsarem post bellum 15. annorum continuum, in vicennium tolerabilibus conditionibus composita est.

Postquam item Hungari rebelles, quorum Dux fuit Steph. Botzkai Cæsareorum ducum, libertatem religionis tollere satagentium machinationibus ad defectionem compulsi & irritati interventu Matthiæ Archi Ducis Austriæ, Ordinum Bohemiæ, Silesiæ, Moraviæ & Lusatiæ reconciliati & tranquillati ad Cæsareæ Majestatis fidem & obsequium redierunt.

Anno quo

Bellum inter Pontificem Max. Paulum V. & Venetos gliscere cœpit: tanto utrinque apparatu: ut funestissimum Italiæ metueretur. Quo Comitia Imperii ad diem 25. Apr. Ratisbonæ celebranda indicta.

Quo item

Polonia major a rege suo Sigismundo III. defecit. Cum hujus turris fastigium partim deformatum globo avulso: partim cœli injuria & fulminis ictu ita esset labefactatum: ut refectio, quam nova superstructio operosior videretur & sumtuosior: Senatus consulto, Ædili Publ. Joh. Glich a Miltziz & Ædili minori Emanuele Frid. Sculteto: præfectis Cœnobii D. Davide Tuchscher & Frid. Schvvertig: ad hanc formam fastigio de novo constructo; pilis ligneis undiquaque pervis & tralucidis turris mœnibus superstructis: culmine pyramidali ad ulnas 18. priore altius assurgente cum globo & tritone imposito: subtus campana recens fusa horarumque destinata indiciis, affixa: non tam monasterium hic, bonis musis & juventutis educationi Divo Maximiliano II. Cæsare Clementiss. A. C. 1565. concessum, quam ipsa civitas exornata est.

Artificibus

Fabro lignario Architecto Mich. Culmanno Fridlandino Fusore aramentario Mart. Weigelio Gorl.

Tecti plumbei stratoribus Joh. & Mart. Straussiis fratribus.

Fabro ærario Caspare Feuerstein Helvetio.

Turris ut hæc surgit cono sublimis ad astra
Exerit & longe conspicienda decus.
Sic schola Cœnobii quæ sub lare tuta quiescit
Inque suis fœtus educat alveolis.
Da Christe, ut sese sublimem tollat ad auras
Mellaque in hinc longe dissita regna pluat.

M. E. C. P. C.

Circa campanam Horologii:

ALtIVs hIC Vt apeX CœLo ConsVrgere VIsVs,
FVsa horas DIDICI Verbere pressa LoqVI.

Scholæ Collega obit.

8. Aug. moritur Collega Scholæ *Greg. Schneevveiss*, agens annum æt 40, & 21. hebd. & 4. dies. Gorlitii is docuit fideliter annos 11. & hebd. 32.

Rosæ pestis prodromi.

Rosa inverso naturæ ordine, mense Aug. & Sept. secundum floruerunt: quas insecuta funesta pestilentiæ lues, qua 83. homines Gorlitii periere.

Cometa.

Qui judicium de *Cometa* hoc anno Gorlitii conspecto desiderat, legat de eo scriptum Dn. nostri Diaconi Gregor. Eichleri. Visus ille fuit in fine Septembris & principio Octobris in signo libræ, scorpii & in initio Sagittarii post solis occasum.

1608. Hiems rigida.

Tanta moles nivium hac rigida ac diuturna hieme decidit, ut non flocci, sed montes nivei decidisse viderentur.

Collega scholæ moritur.

Moritur 27. Jan. Paulus Pfligerus Scholæ Collega cum nondum annum in schola integrum serviisset. Successor ei datus est Joh. Major.

M. Mart. Mylius novem & triginta annos in vinea Scholastica operarium agens, inopinato tandem morbo correptus a Magistratu rude donari petiit: cum ageret ætatis annum 66.

Casp. Dornavius nov. Rector.

15. Apr. in solenni scholæ conventu præsente Senatu, præmissa oratione a Dn. Georg. Ludovico J. V. D. & Syndico Reip. Gorl. fasces Rectoratus Dn. Casp. Dornavio Variseo Medicinæ & Philosophiæ Doctori traduntur.

Eleemosynæ pro Zittaviensibus incendio depressis.

7. Jun. Zittavia in ignes fere tota consedit. Perierunt illo incendio homines utriusque sexus sex, & ædificia supra 501. Scholæ & templo flamma pepercit. Ad instaurandam urbem contribuerunt cives nostri honestam pecuniæ summam.

1609. Andreas Schöps J. U. D. extraneus hic vitæ requiem quæsiturus obit. Ejus Vita.

Andr. Schöps, J. U. D. Consiliarius Comitis Solmensis & Cancellarius Dn. a Biberstein, natus est Boleslaviæ Silesiorum A. 1570.

Jactis primis literarum fundamentis in Schola patria Vratislaviam, hinc Wittebergam, inde Marpurgum firmandæ doctrinæ & hauriendæ prudentiæ causa abiit. Marborgo gemina suæ doctrinæ ac eruditionis præmia tulit, unum doctoratus, alterum conjugii. Gradu doctoris tam Pontificii, quam Cæsarei juris solenniter insignitus est An. C. 1569. 23. Aug. ætatis vero An. 26. Eodem anno conjugio sibi junxit Elisabetham, Clarissimi & doctissimi Viri Dn. Joh. Ferinarii Profess. Historiarum Marburgensis filiam. Librum unicum tantum bonæ spei, sed mali genii conscripsit. Marpurgo enim Mœno Francofurtum illum trasportans, publici juris faciendi causa, Friburgi in diversorio autolicus quidam turpi furto ei abstulit, & una animum in cœpto opere pergendi aut incipiendi novum. Marpurgi professio Juris Canonici ei oblata est, sed eam recusans, operam suam locari passus est a Budissinensibus Rep An. 1597. in qua Syndici munus magna cum laude & gloria obiit. Per decennium autem jam Saxum Syndicatus volvens, Gorlitii tandem amore optimi constituti ministerii ac Reip. quietis suæ spem fortunarumque sua-

suarum sedem fixit & locavit, sed non adeo firmiter: vix enim dimidium annum Gorlitii degens Libitinæ falce resectus concidit An. 1609. 2. Febr. æt. suæ anno 38.

Vitulus tripes.

In Nosocomio ad D. Mariæ nascitur vitulus tripes 18. Mart. anteriore pede recto, ita ut destitutus particula tamen aliqua emineret.

Physicus urbis mor.

D. Casp. Schwenckfeld Medicus ac Physicus ordinarius Gorlicens. natus est Gryphimonti 1563. anno, die 14. Aug.

Ejus vitæ curriculum.

Parentes ipsi fuere Melch. Schwenckfeld Cons. Reip. Gryphimontanæ & Anna Flegelin, famæ integritate & honestate uterque perhonesti. Anno jam 16. natus & studiis primoribus in schola patria imbutus Lipsiam migravit. Confecto ibi literarum humanitatis tyrocinio, primum sui progressus testimonium Baccalaureatus consecutus est A. C. 1582. Hinc An. 1583. Basileam augendæ eruditionis causa abiit: sed commoda conditione ac necessariis sumtibus destitutus una cum Jacobo Weckero Medicinæ Doctore & Physico Culmariensi, Culmariam perrexit, & biennium rei Medicæ ac Herbariæ magno cum fructu impendit. Tandem in Galliam profecturus Genevæ Sabaudiorum subsistit, acri ac fervida quartana febre lecto affixus: ita ut revivisceus Basileam redire necessum haberet. Reversus Basileam D. Caspari Bauhino tanto eum emolumento studiorum suorum a manibus ipsi fuit, ut paulo post An. 1587. gradu Doctoris facultatis Medicæ insigniretur. Hoc egregio κειμηλίῳ eodem anno in patriam reversus, matrimonio sibi copulavit Elisabetham Stauderin. Et artem Medicam ad 6. usque annum in patria felici successu exercuit, donec a Senatu Hirsbergensi An. 1593. Physicus ordinarius vocaretur. Functus hoc egregie officio Gorlitium An. 1605. ab amplis. Senatu vocatus migravit ad ultimam & fatalem sedem. Obiit enim ibidem A. C. 1609. ♃ Jun æt. suæ anno 46 Sarcophago suo longe ante obitum confecto propria manu hæc verba inscripsit: Christus ist mein Leben, Sterben ist mein Gewinn Pro concione funebri nullo alio titulo commendari voluit, quam boni Christiani: er wäre ein frommer Christ gewesen. In agone & fati limine constitutus in somno forte in hæc verba sublatis ad cœlum manibus prosiliit: Nun sey GOtt gelobet, nu ist mir ein Brieff kommen, ich muß eilends fort, irret und hindert mich doch nicht, nun bin ich froh, nun ist alles gut mein Herr Christus ist da, irret mich nicht. Ingenii sui monumenta plurima reliquit, sed morte præventus pauca in publicum edere potuit. Ut tamen ex ungve leonem, sic ex paucis istis ingenium & eruditionem ejus æstimes. Sunt autem, quæ extant:

Stirpium & fossilium Silesiæ Catalogus, in quo præter Etymon, natales, tempus, natura & vires cum variis experimentis assignantur.

Teriotrophæum Silesiæ, in quo animalium h. e. quadrupedum, reptilium, piscium, insectorum natura, vis & usus sex libris perstringuntur.

Hirschbergisches Warmes-Bades Beschreibung, was dessen Natur, Art und Eigenschafft, Krafft und Würckung sey.

Thermæ Tepelicenses: Von des Teplitzer warmen Bades Ursprung, Gelegenheit. &c.

Inundatio Nissi.

31. Jul. *Nissi* κατακλυσμὸς immane ac insanum detrimentum intulit agris, defectis frugibus, arboribus, sepibus moletrinis, earumque rotis violentia fluminis eversis ac confractis.

Joh. Dietrich Eccl. obit.

Primo die Sept. qui apud nos est dies creandi Magistratus, ad sepulturam effertur Reverendus Vir Dn. Joh. Dietrich, biduo ante h. e. 30. Aug. h. 10. ante meridiem defunctus.

Vixit ille annos 27. In schola serviit annos 1½. In conjugio annos 5. In ministerio annos. 3½ idque in Deutsch-Ossig pago territorii Gorlicensis. Patrem habuit Balth. Dietrich, Primarium Concionatorem Gorlitii, qui sicut fuit πολυτεκνος, ex tribus uxoribus 29. liberos suscepit, inter quos 4. pastores procreati sunt.

Joan. Theodorus ipse sibi hoc epitaphium fecit:

Hac ego Joannes viridi Theodorus in urna
Dormio, Balthasari de genitore satus.
Quina ubi cum binis annis vix lustra peregi,
Pastorem rapuit me violenta febris.
Corpus terra tenet, quoniam de pulvere terra
Productum, subiit spiritus astra Poli.

1610.
Tria nosocomia extructa.

Octavo post ferias Paschatos die jussu Senatus incepta sunt ædificari tria nosocomia in cœmiterio ad D. Nicolaum: in quibus degerent illi, qui contagio pestilenti inficerentur.

Milites conscribuntur.

19. Jun. Imperator & status Bohemiæ conscribi curarunt milites contra Archi-Ducem Matthiam per dies fere 14.

Mola chartaria extructa.

An. 1609. Senatus permissu quidam Sittavia veniens incepit extruere suis sumtibus in pago Moys molam chartariam: cujus deinde exædificatio An. 1610. circa Festum Trinitatis confecta est.

Cæsarei milites 1000. Gorl. veniunt.

Die Jacobi, qui erat ☉ 25. Jul. & sequente die ☽ Gorlitium veniebant mille milites a Bohemiæ statibus collecti: qui 26. die Julii erant lustrandi: quod tamen fuit impeditum. Sequenti die Martis Tribuni militum in Senatum ivere; utque milites in ædes singulas distribuerentur rogavere. Senatus id recusans in pagos vicinos eosdem distribuit: postea

In pagos distribuuntur.

3. Aug. edicto Imperatorio Budissinam ire jussi, partim in pagum Witgenau dimissi sunt: donec de die locoque lustrationis certum aliquid statueretur: partim in pagum Marienthal & reliquos monacharum ditioni subjectos fuerunt distributi. Hi vero in pagos civitatis Senatusque excurrentes misellos rusticos vexarunt graviter,

18. Sept. edicto Cæſareo Budiſſinam convocati, ſtipendiis ſat exiguis perſolutis dimiſſi ſunt.

Portæ vigilibus inſtructæ.
Tertia die Aug. vigiles ſingulis portis Senatus conſulto duo, novæ vero unus tantum additus eſt; quibus per ſingulos dies tres argentei numerati ſunt. Inſuper etiam diebus Dominicis & feſtis templo inter conciones excubitores præfecti ſunt, electis e tribubus viris viginti, quorum decem curiæ quoque adeſſent. Clauſæ quoque inter conciones tam matutinas quam veſpertinas portæ fuerunt.

1612.
Greg. Eichler Diac. obiit, ſuccedit Nic. Thom.
11. Jun. qui ♂ erat, obiit Reverendus doctiſſimusque Vir Dn. Gregorius Eichlerus poſt 11. horam noctis, ſepultus ſequenti die ♀. Ejus in locum ſucceſſit Reverendus Vir Dn. Nic. Thomas Suidnicenſ. qui die ♂ poſt Walpurg. Gorlicium venit e pago Rauſche.

Milites Paſſavienſes Archi Ducis Leopoldi Pragam invadunt, miſereque divexant.
16. Febr. mane hora 6. Archi-Ducis Leopoldi copiæ 4000. equitum peditumq; conſtituta acie in illam Pragæ partem, quam minorem vocant, impetum fecerunt, & in plateis quoscunque obvios habuere, ferro trucidarunt, areas invaſerunt, & qui viſi in ædibus aut conſpecti homines, eos globis trajecerunt. Tandem per Italorum plateam & fornicem in aream, in qua Camera Aulæ, perrexerunt. Bohemi turbati, extemplo Comitem Torneuſem, cum 500. equitibus hoſti obviam emittunt: qui cum irrumpentibus hoſtibus in platea (**bey dem wilden Manne**) acerrime conflixerunt. Cum vero ſtatus e ſuorum cohortibus centum pene amiſiſſent? reliqui per longum pontem in urbem veterem aufugiunt: quos Paſſavienſium tres cohortes ſ. centuriæ (vulgo nunc Corneta vocant) centurione Prendeli inſequuntur: qui omnes equites a tergo dimiſſis cervis ferreis, tormentis grandioribus fuſi ſunt, ferro etiam occiſi: poſtquam in tam dubio conflictu fugere in Jeſuitarum collegium, atque ibi vires colligere, noviſque armis inſtruere ſeſe ſuiſſent conati: atque ita in primo congreſſu Paſſavienſes ſexcenti, & tres iſti cohortes perierunt. Sequenti die ♂ Bacchanaliorum multi e Pontificiis proditores ſignum hoc dedere Paſſavienſibus militibus: ſe nimirum e feneſtris ædium ſuarum albicantia vexilla porrecturos eſſe; ut domus ſuæ tutæ forent ab irruptione militum, ſe deinceps indicaturos eſſe, quibus in ædibus Germani Bohemique ditiores habitent, Lutherani cæterum & (ut vocabant) hæretici. Quod cum eſſet animadverſum, Lutherani & ipſi feneſtris ſuis alba vexilla & linteamenta præfixerunt; & latrones iſtos aditu & irruptione in ædes ſuas, graduum, menſarum, ſcamnorum oppoſitione prohibuerunt: pecuniæ quoque ejectione & oblatione placaverunt: nec tamen ita contenti fuerunt milites, quin per tres integros dies cæde, rapinis, oppugnatione domuum graſſabantur: donec & cives & proceres Bohemiæ minorem urbem obſiderent, ne quid in eam vel alimenti vel munitionum importaretur. Hinc ea ſecuta eſt rerum penuria, ut quæ ante octiduum uno albo groſſo, nunc ſex aut ſeptem emerentur: quanquam in urbe veteri & nova omnia abundarent & conſveto pretio venderentur. Senatores & cives XVII. in Curiam Pragæ minoris ſeſe contulerunt, & prædonibus tam diu reſtiterunt: donec Ramejus perfractis impetu foribus omnes interficeret. Quid multa? Eo tandem crudelitatis progreſſi ſunt, ut nec amicis nec inimicis parcerent, promiſcue in omnes ſæviendo, & cunctos nullo diſcrimine habito ſpoliando. Viduæ cuidam 15000. thalerorum erepta ſunt. Vinum, cui abſorbendo non ſufficerent heluones, perfoſſis contuſiſque doliis turpiſſime effuderunt: gemmariorum, ſutorum, panificum, mercatorum tabernas, ut & domum Saxonicam expugnarunt: merces diripuerunt: rapinis denique, incendiis, furtis ita ſævierunt, ut nec jacturam talem, nec crudelitatem, nec tyrannidem ante unquam vel viderit, vel paſſa fuerit Praga. Tandem Paſſavienſes nocte clam aufugientes in oppidum Budeweiſs abierunt: quorum 400. Bohemi occiderunt, & tribus curribus potiti ſunt. Illi dies noctesque properarunt; donec in oppidum Budeweis venientes, ibidem ſeſe & vallis & armis & victu inſtruxerint & muniverint.

Excubiæ conſtitutæ in portis & in turri.
1. Mart. Senatus conſtituit, ut cuivis portæ ſex armati adeſſent: & duo nocte dieque in turri curiæ excobarent.

8. Mart. conſtitutum eſt, ut ſingulis portis quatuor excubitores ſingulis turribus, & portæ illam ſuburbii partem, quam oppellant **die Kaale** ſpectanti, bini præficerentur; porta nova claudebatur ſemper: Inſuper & in ſuburbiis & portis exterioribus excubiæ agebantur.

Hiſce diebus hoſpites & patres familias ſinguli, præſentibus conſulibus, prætore, duobus notariis & aliis ordinis Senatorii luſtrati ſunt; & in quatuor ordines pro ratione urbis, in quatuor partes diſtributæ, diſtincti ſunt: quorum primus Nicolai, in pomœrio Nicolai, ſecundus in pomœrio Reichenbachenſi, tertius in pomœrio D. genitricis, quartus in pomœrio Nicolai convenit. Hos ſingulos neceſſum erat eſſe inſtructos aut bombarda oblonga aut muſqueta.

Reparatio tormentorum.
9. Mart. ♂ octo tormenta in pomœrio lignario exploſa & reparata ſunt a quodam textore Caſp. Gerth, ad id pretio a Senatu conducto, milite cætera exercitato.

Luſtratio incolarum ſuburbiorum.
10. Mart. ☿ incolæ ſuburbiorum, præſentibus Conſulibus, Senatoribus & notariis luſtrati ſunt; iisque etiam præfecti Tribuni & Decuriones.

It. inquilinorum.
22. Mart. ☾ inquilini univerſi luſtrati ſunt; ſpectantibus Conſulibus, Syndico, Prætore Dn. Mich. Buttnero & Georg. Heldrico & notariis. Viduæ etiam & ancillæ non miniſtrantes juſſu Senatus in ſui locum armare & ſiſtere aliquem ſunt coactæ.

19. Apr. ♂ incolæ & cives omnes tam in urbe, quam extra eam in ſuburbiis habitantes in pecuarium, tympano, tibiis & vexillis educti ſunt: pars Reichenbachenſis uſa eſt vexillo

ceru-

cœruleo & flavo, altera ad D. genitricem rubeo & flavo, tertia ad Nissum nigro & flavo, quarta ad D. Nicolaum albo & flavo.

Gorlitium 200. Cæsar. milites veniunt.

4. Maj. milites Budissinæ & aliis in locis conscripti, postquam Budissinæ per mensem fuissent, partim Sittaviam & Laubam profecti sunt: partim Gorlitii manserunt, fere ducenti: & in civium ædes distributi fuerunt: Capitaneo in ædibus Jeremiæ Bergmanni in platea fratrum, signifero in ædibus Joh. Weidmanni in platea Petrina divertente.

26. Maj. iidem milites Budissinam, Lobavium & Camitium profecti sunt.

Matthias ArchiD. Pragæ R. coronatur.

Secunda feria Pentecostes Archi Dux Matthias Pragæ rex Bohemiæ designatur & coronatur.

M. Mylius Gymn. Rect. emeritus obit.

M. M. Myl. quondam Scholæ patriæ Rector moritur 27. Jul. an. æt. suæ 69 Ei parentavit sequenti carmine M. Joh. Brachman. Sch. Guraviensis R.

Mortuus es Myli? minime. Nam vivit ubique
Terrarum docilis spiritus ille tuus.
Cessit humo tradux, cœlo pars enthea cessit:
Ingenii dotes captat uterque polus.
Ecquis erit splendor? divini luminis instar:
Quod cœlo multos qui docuere manet.
Non igitur fatum tollit, non ulla vetustas
Hic MYLI laudes, nec LUDOVICE tuas.

R. Matth. Gorlitium venit.

8. Sept. Matthias Rex Bohemiæ Budissina Gorlitium venit: civitate tota a platea Nissi usque ad villam Joach. Ritteri in ordines distributa: quem e regione villæ Andreæ Richteri Senatus excepit.

9. Sept. idem Rex Soraviam abiit.

4. Decembr. rex Bohemiæ Viennæ nuptias celebrat cum Anna Archi Ducissa Austriæ.

1612. Rudolphus II. Imp. obit Pragæ ibiq; sepelitur.

10. Jan. Imperator Rudolphus II. mane obiit: postea initio Oct. funus ei factum fuit Pragæ sepultusque est in templo S. Viti, præsentibus Matthia Imp. Augusto, Maximiliano ArchiDuce Austriæ, Landgravio Leuchtenbergio, & Ambrosio Spinola, aurei velleris honore insignitis. Funus ipsum delatum est in templum humeris Camerariorum Cæsareanorum: nisi quod & Henricus Julius Dux Brunsvicens. operam suam eidem impendit.

Matthias R. Boh. & Ungar. fit Imperator.

Mense Majo renunciatur Francofurti ad Mœnum ab Electoribus Imperator Aug. Matthias Austriacus, Bohemiæ jam antea & Ungariæ Rex.

Rabies ventorum.

28. Dec. insolita & stupenda ventorum rabies exorta est: quæ magnam partem tecti ærei in templo Petrino avulsit: in ædibus Organistæ tectum item diruit: in Stubneri horto domum totam avertit: ut & nosocomium in cœmiterio ad D. Nicol. Turres duas Sittaviæ dejecit: arbores innumeras radicitus vix non in singulis hortis circa urbem evulsit: denique infinita damna ædificiis, parietibus, tectis intulit.

1613. Grando ingens.

Hoc anno 15. Maj. horrenda tempestas hic exorta est cum corruscationibus, tonitruis. Grando cecidit insolita quibusdam in locis magnitudine nucis juglandis, damnum inde ingens segetibus in agris, arboribus, ædificiis, fenestris vitreis.

Pestilentia grassatur.

Mense Junio, Pestilentia in hac urbe grassari cœpit: & sequentes menses, usque in hyemem perduravit. Ea lue pestifera sublati tum inter alios sunt

Joh. Hachelberg Diac. obit.

21. Nov. Reverendus Vir Dn. Joh. Hachelberg, Ecclesiæ patriæ 23. annis minister:

Ant. Schmid Prætor moritur.

25. Nov. Dn. Antonius Schmied, qui post senatoriam dignitatem quinquennalem, præturam urbanam jam a triennio tum sustinebat, vir ea laude, qua fide: inter cujus linguam & pectus nullum unquam erat divortium, qui tota vita, intus & in cute, si quis mortalium erat candidus, & talos a vertice purus ad imos.

Exundatio Nissi.

11. Jul. Nissi fuit exundatio ex assiduis pluviis tanta, ut molendinis, ædificiis, in pratis & campis juxta ripas ingens damnum attulerit.

Nov. Consul.

1. Sept. Consul secundo eligitur Dn. Joh. Glich: Scabinus fit Joh. Emerich Civis Romanus, Comes Palatinus &c. nullo ante hac in Rep. munere functus est. Senator M. Christoph. Staude.

Comes Palat. creat Med. D. & Licent.

21. Oct. D. Dethardus Horstius Comes Palatinus creavit in ædibus relictæ viduæ Consulis. Viri Andr. Schepsii Casparem Schulzium Vratislaviensem Medicinæ Doctorem: Valentinum vero Tschirnischium Gorl. Medicinæ Licentiatum.

1614. Melch. Steinberg, Consul obit.

Dn. Melch. Steinberg vir Consularis decessit ex vivorum numero 9. Jan. Sepultusque est singulari quadam pompa funebri ad D. Nicolai 12. Jan. Concio funebris præter morem habita est in templo Petrino.

Christ. Hanischius Proto-Notarius obit.

Mortuus est die 8. Febr. Christoph. Hanisius nostræ Reip. Protonotarius. Hic 51. continuis annis & Senatui & civibus suam probavit industriam, modestiam, tantaque cum fide conjunctam taciturnitatem, ut si scivisset vestem suam consilii secreti consciam, protinus eam exuisset, & in ignem conjecisset, id quod in Cœcilio Metello quondam Plutarchus commendavit.

D. Ludovicus Synd. obit.

28. Febr. desiit vivere Ampliss. vir Georg. Ludovicus J. V. D. Syndicus Reip. patriæ, justitiæ patronus & ocellus Senatus: cui Dominus Gregorius Richter Ecclesiæ patriæ primarius, hoc scripsit Epitaphium:

Epitaphium ejus.

Sicne igitur terris te tantum fata, Georgi,
Ostendent? ultra nec superesse sinent?
Unde animis sed nunc tanta cœlestibus ira?
Magnatum quid tum funera crebra ferent?
Curia quadrigam (at vah quantam!) perdidit orba
Judicio clarum consilioque virum.

Primus enim Smidius, Steinbergius *alter, &*
inde
Tertius Hanisius, Syndice *quartus eris.*
Na! magna huic instat patria mutatio: sed si
Quid mutare voles, fac bene cuncta Deus.
Vos Ludovici autem manes salvete, valete:
Tempus, quo rursum conveniemus, erit.
Quantos tunc plausus, o jubila quanta daturi!
Hunc precor accelera, Christe hodierne diem.

Succedit D. Glich.

Huic in Syndicatu successit *Gottfridus Glich* patritius Gorl. J. C. D. In locum Dn. Joh. Hachelbergii ad docendam Ecclesiam vocatus est e pago Vlrichsdorff Dn. Petrus Schöne. Primam is concionem habuit Dominica Pentecostes.

Nov. Diat.

M. Barth. Scultetus Cons. moritur.

21. *Obiit M. Barth. Scultetus,* Vir consularis Methematicus domi forisque celeberrimus, postquam consulatum sexies gessisset, sepultus est in templo divi Nicolai, cum hoc, saxo inciso Epitaphio:

Epitaphium.

Vivus monumentum hoc mihi paravi,
In quo quiescerem mortuus.
Noli, obsecro, injuriam mortuo facere,
Vivus quam fecerim nemini,
Sum etenim Bartholomaus Scultetus,
Quem amaverunt bonæ Musæ:
Suspexerunt viri probi:
Honestaveruntque magnates Domini.
Scis jam qui sim, aut qui fuerim.
Ego vero te hospes noscere in tenebris nequeo;
Sed te ipsum ut noscas rogo.
Quid agam requiris? Tabesco.
Scire quis sim cupis? Fui.
Fui ut es, eris ut sum.

P. A. Ö. V.

Astronomos inter nostri celeberrimus avi
Scultetus jacet hac & requiescet humo.
Qui Solis Lunaque vias scrutatus & astra
Descripsitque polum, qui radiasque solem.
Sub pedibus sed nunc stellas & sidera spectat,
Et calum coram, quod speculatus, habet.
Molliter hoc tumulo tua, Sculsete, ossa quiescant:
Nam tua fama implet Solis utramque domum.
Salve sancte senex, cineres salvete beati:
Ver spiret vobis perpetuumque decus.

1615. Aquarum penuria.

Hac æstate fere nihil de tempestatibus & coruscationibus sensimus; cum tamen alibi magnæ sint editæ strages. Magna fuit aquarum penuria, adeo ut multi fluvioli exaruerint, & molæ multæ conquieverint, earumque usus nullus fuerit.

Molendinum emendatur.

Eadem æstate molendinum, quod vulgo quatuor rotarum dicitur & prius duobus culminibus constabat, sub unum, & sic satis sublime redactum est: pariete anteriore in summam altitudinem, ut & tecto leteritio, erecto.

Adolescens insolitæ proceritatis huc venit.

12. Apr. procerus & longus supra modum adolescens Jac. Dammam Lunebergensis, qui ob proceritatem insolentem per Germaniam circumducebatur, etiam ad nos adductus est. Annos æt. habebat 23. imberbis adhuc, corpore & membris validis; nisi quod tunc nonnihil æger, macilentior erat. Longus pedes 8. manuum longitudo pedis unius & trientis, Atque ita communem hominum longitudinem, quæ est fere 6. pedum, pedibus duobus superavit.

Insolitum gelu d. 14 Maj.

14. Maj. adhuc tam nives, quam gelu & quidem satis acre habuimus: sine magno tamen rerum nascentium damno.

M. Falckenhain Schol. coll. obiit in curia.

23. Maj. ascendit M. Joh. Falckenhain Collega scholæ, expediendi cujusdam negotii causa in curiam. Apoplexia ibi correptus est, curru inde domum suam devehitur, circaque horam 12. meridianam inopina morte obit, æt. suæ fere anno 50.

Preces pro decumbentibus & gravidis ante concionem haberi solitæ abrogantur.

Eodem die pridie Rogationum publico S.C. preces, quæ ex sugestu pro decumbentibus & parturientibus haberi fuerunt solitæ, ante concionem vel Evangelii lectionem, penitus sunt abrogatæ. Contra vero certæ post concionem preces ordinatæ pro Imperatoris conjuge, quæ non modo gravida, sed etiam partui admodum vicina esse putabatur. Certa precum formula per totam Silesiam & utramque Lusatiam usurpata fuit, cujus hæc fuerunt verba formalia:

Preces pro Cæsaris Conjuge uterum gestante.

Demnach der allgewaltige gütige GOtt der Röm. Keyserl. auch zu Ungarn und Böhmen Königl. Mej. Unsers allergnädigsten Keysers, Königes und Herrns Hertzliebste Gemahlin so weit mit Leibes-Frucht in Gnaden gesegnet, daß nunmehr die Geburts Zeit sich fast herbey nahet, so dancken wir als gehorsemste getreuste Unterthanen dem lieben GOtt für solche Gnade billig und bitten ihn darneben hertzlich, er wolle höchstgedachte Ihrer Maj. Gemahlin für allen schädlichen Unfall bewahren, und zu rechter Zeit und Stunde tragender Bürden der gesegneten Leibes-Frucht mit frölichem Anblick gnädiglich um Christi willen entbinden, damit Ihr Kayserl. Maj beyderseits hierüber höchlich erfreuet, und Dero Land und Unterthanen zu Trost und ersprießlicher Wohlfarth solches gereichen möge, zu Lob und Ehre seines göttlichen Nahmens.

Hæ preces in omnibus concionibus fuerunt continuatæ e 24. Maj. usque ad Cal. Nov. Sed cum expectatio & spes frustra fuisset; iterum sunt abrogatæ & intermissæ.

Casp. Dornavius Rect. resignat. M. El. Cüchlerus

5. Jun. D. Casp. Dornavius Phil. & Med. D. resignavit suum Rectoratum. Ei successit M. Elias Cüchlerus Gorl. P. C. & N. P.

Die succedit.

Candelabrum altari decidit.

Die Pentecostes, qui erat 7. Jun. candelabrum cum cerea in templo D. Petri de summo altari, in quo stabat, in terram sub Missa decidit.

Glogavia & Oppelia penitus deflagrant

28. Jul. Glogavia urbs Silesiæ, tota in cineres consedit, paucis exceptis ædiculis, & ipso templo Evangelicorum, quod conservatum. Altero mense post similiter & Oppolia in finibus Poloniæ funditus conflagravit.

Nov. Conf.

Calendis Sept. eligitur Consul Dn. Georgius Heldrei.

1616.
Eluvio Nissi.

Circa initium anni liquefactæ nives satis grandem provocarunt Nissi eluvionem sine singulari tamen damno. Postea cum a 9. usque ad 10 Jan. aëris constitutio fuisset mitissima & quasi verna: tanta die 17. Jan. secuta est frigoris asperitas, quantam nemo ferè meminit: adeo ut non pauci inter vias frigore enecti perhibeantur. Duravit hoc asperrimum frigus usque ad 27. Jan. ubi quidem remisit nonnihil; sed paulo post iterum cœpit esse intensissimum, & secuta est copiosa nivium seges. Duravit hæc aëris περίστασις usque in mensem Febr. circa hujus 14. diem de sævitia sua nonnihil remisit.

Asperrimum frigus.

Cæsaris Conjux Pragæ coronatur.

10. Jan. Pragæ Cæsaris Conjux, Anna Austriaca coronata & inaugurata est in Reginam Bohemiæ.

9. Febr. vespere audita sunt tonitrua cœlo sereno & sudo.

Incendiarius, qui 1605. urbem hanc incendit, cum vetula quadam rogo imponitur.

Supra An. 1605. de duplici incendio consignatum videbit Lector. Horum incendiorum autores demum post undecennium hoc ipso anno, justa Dei vindicta ad poenam abripuit. Incendiarius enim propter furto alteri surreptum equum Glogaviæ incarceratus & quæstioni vel torturæ subjectus, non modo hoc primum incendium a se procuratum confessus est: sed & alia facinora enormia & auditu horrenda, quæ tamen postea revocavit, se patrasse prolocutus est. Is igitur Glogavia huc non paucis sumtibus mense Februario adductus est. Quia vero inter alia dixerat, se a vetula quadam ad hoc facinus instigatum & impulsum esse, & ista venefica a pago Hohe Kirche huc adducta & examini subjecta in tortura ægre, quasi nolente & fugam impediente Diabolo, tandem confessa est, ædes se Tobiæ Koberi incendisse. Vetula d. 24. Mart. primum capite truncata, postea rogo imposita & cremata fuit. Scelerosus postea 18. Apr. idem supplicium subiit.

Virgo monstrosa hic videtur.

In feriis Paschalibus adducta fuit Virgo monstrosa in Frisia nata. Utroque enim caruit brachio, uno insuper pede; altero pede usa fuit pro manu.

Æstas nimium sicca multum damni affert.

Hoc anno habuimus æstatem adeo siccam, ut nemo hominum hujus similem viderit. Nam fere ab ipso Pentecostes festo, quod tunc celebrabatur circa finem Maj. usque ad initium Augusti, nullæ omnino deciderunt pluviæ. Hinc magna omnium frugum & leguminum secuta est sterilitas vel penuaria: cum res omnes e terra nascentes ab immenso Solis æstu quasi adurerentur & exsiccarentur, nec tantum segetes æstivæ damnum paterentur; verum etiam prata & pascua graminibus privarentur, & ita miseris jumentis strenue esuriendum esset. In multis etiam locis nullus fuit molarum usus: cum multi rivi & torrentes, ita essent exsiccati, ut ne unica aquæ guttula reliqua esset. Quo factum est, ut multi ultra 3. vel 4. milliaria molas quærere cogerentur, ut vix ægre farinam impetrare possent. Aurigis etiam in Bohemiam tendentibus & equos potare volentibus, aqua fuit pecunia comparanda. Tristis ubique fuit per agros & campos rerum facies: inprimis misertum est jumentorum, quæ nihil fere nisi pulveres esitarunt, unde non pauca fame & siti perierunt. Avenæ & hordei exiguus fuit proventus, adeo, ut nescitum fuerit, unde haberi possit hordeum ad coquendas cerevisias. Lini seges fere fuit nulla: ubique enim illud exaruit. Pannifices Laubam pannos devehere coacti sunt, ut ibi conficerentur vel incrassarentur: cum apud nos utriusque molæ fullloniæ sæpe nullus vel exiguus esset usus. Uvæ maturæ circa initium Augusti Leutmeritio ex Bohemia huc allatæ sunt. Ad avertendam tam tristem tamque diuturnam siccitatem post finem quarumlibet concionum de suggestu singularis populo prælecta est precatio. Cum vero nec sic cessaret siccitas, publico Senatus decreto omnibus modulationibus Musicis in tabernis interdictum est; & institutæ sunt solennes supplicationes, ubi singulis diebus etiam ♃ & ♄ precatio ista consveta de suggestu prælecta & Litania decantata fuit. Circa initium Augusti demum habuimus pluvias, sed tenuiores & rariores, quam ut eæ damnum resarcire possent, quod continua ista siccitas rebus nascentibus attulit. Et quia Nissus noster non satis aquæ molis præbere potuit, magnam homines passim senserunt panis penuriam, ita, ut fere quotidie per aliquod tempus circa vesperam apud nullum ex pistoribus buccella panis inveniretur: cum tamen Magistratus toti communitati prospexisset, ut pistores singulis diebus 30. modios ad conficiendos panes insumerent. De leguminibus nihil haberi potuit, unde factum, ut mechanici graviter de ista penuria conquesti fuerint, nescientes, unde familiam sustentare deberent. Messis in his locis, quod alias fuit inauditum, mox post Johannis Bapt. festum cœpit, & ante finem Julii ubique confecta est, non respondens spei, sed quæ propter raritatem granorum satis fuit calamitosa.

Preces publicæ pro avertenda siccitate instituuntur.

24. Jul. obit Christoph Arnoldus Dresdens. J. V. D. & P. C. an. æt 46. Tumulatus est intra templum D. Nicolai, cum locum istum emisset 100. Joachimicis, ubi & Epitaphium cum artificiosissimis cancellis positum est.

D. Arnoldus J.C. mor.

Cal. Sept. in Consulem electus est David Tuchscherer J. V. D.

Nov. Conf.

4. Sept. inchoatum est *certamen ludicrum* in arte jaculandi *balistas* ad volucres, & *bombardis*

Certamen solenne bombardis & balistis habetur.

dis ad tres viros, instar Turcarum efformatos & effigiatos; quod satis splendide & magnifice per duas septimanas celebratum est. Ad hoc autem vocati sunt Barones, Nobiles & personæ aliquot primariæ & civitates numero 123. Advenerunt autem huc peregrini 120. Gorlicenses fuerunt 19. omnes ita fuerunt numero 139. Sagittarii omnes tympanis & buccinis educti sunt, præeunte illos & sequente turba militum cum vexillis explicatis. Putasses rem agi seriam & ad verum justumque educi prælium instructos milites. Ad singulas volucres singula præferebant vexilla, ad quorum singula 3½ ulnæ panni Damasceni venerunt, additis parergis circumquaque dependentibus, in quibus picta fuerunt civitatis insignia, cum numero thalerorum, qui victori, qui volucrem dejecisset, debebantur. Primarium vexillum erat rubri coloris: supra insignia scriptum erat aureis literis hoc Symbolum: *Deo & Cæsari:* infra vero numerus anni currentis. In altero, quod lutei, vel crocei coloris erat, fuit Symbolum: *Aquilæ & LEONI.* Tertium erat album, cum hac inscriptione: *Saluti publicæ.* Pro sclopetariis etiam duo vexilla parata fuerunt, utrumque viride, & ejusdem cum prioribus magnitodinis & qualitatis. In primario vexillo, quod nuncupatum fuit die Haupt-Fahn, ad insignia urbis ascriptum symbolum: *PIETAS & JVSTITIA CORONAT.* Appicti etiam fuerunt tot thaleri, quot victor lucraturus erat: In altero, quod appellabatur die Ritter-Fahn: *CONSERVATIO CIVITATIS VNIO EST.* In tertio vexillo, quod erat pro *CORONA* die Krantz-Faho ex rubro panno Damasceno: *CORONAM NE CARPITO.* In altera facie, ubi corona depicta erat, hi erant ascripti versus:

Gorlicium hoc auro nitida gemmisqoe corona
Arte sagittandi præstantem munerat urbem.

Prima volucris, ad quam sagittarii collimarunt, erat alba; ejus, qui eam decussisset, pretium erant 50. thaleri Cæsarei: & in singulas festucas vel frusta destinati singuli thaleri. Hæc prima avis, cum esset nimis tenax & durum & minus fissile lignum, cum jam inde decussæ essent 99. festucæ, remota fuit, & alia pro ea collocata. Hanc dejecit nostras quidam Christoph. Ulricus. Sagittariorum ad hanc volucrem fuerunt 139. Contributio fuit 2. thal. 20. argent. Ad alteram volucrem, quæ crocea fuit, dejiciendam laborarunt sagittarii 119. Festucas dedit 22. Hanc dejecit Joh. Eckardus Greiffenbergensis: βραβεῖον fuit 60. thalerorum integrorum. Contributio fuit 1. thal. 12. arg. 6. Pf. 2. thal. zum Span. Ad tertiam rubeam, cujus pretium erat 70. thaleri in singulas festucas 3. thal. collimarunt sagittarii 116. frusta inde decerpta 129. Hanc dejecit Matthæus Emricus Hirsbergens. Contributio fuit 5. thal. 21. arg. Ita contributio ad omnes tres volucres fuit 10. thal. 5. arg. 6. Pf. Pro sclopetariis propositi fuerunt tres viri ejusdem magnitudinis & formæ: qui instar Janizzari alicujus Turcici efformati fuerunt. Hujus, qui eum pluribus globis trajecisset, pretium erant 40. thal. integri cum vexillo viridi, quod obtinuit ille idem Emricus, qui rubeam avem dejecerat. Qui vero globo suo proximus cordi fuit, hujus βραβεῖον fuerunt 20. thal. integri cum vexillo viridi: id vero obtinuit Joh. Haberkorn Comiceos. Sagittariorum fuerunt 54. Contributio 3. thal.

Corona cum vexillo honoris ergo præsentata & exhibita fuit Budissinensibus. Fuit & longa pertica erecta, ex qua omnis generis κειμήλια suspensa fuerunt. Hanc conscendit pistor quidam, & ista impetravit. Est & pro vetulis vestis pellicea, par calceorum & alia non magni pretii constituta, ob quam cursu ipsis contendendum fuit. Peregrinis a Senatu donati fuerunt vini canthari 116. Senatus etiam nostris sagittariis in banc rem mutuo dedit 1400. integros thaleros, quibus tamen omnibus non babuerunt opus. Toto hujus certaminis tempore, quod per duas septimanas duravit, omnia foris in isto loco fuerunt venalia, vinum, cerevisia, carnes elixæ & assatæ, panes, similæ, sicut in castris fieri solet, in quæ omnis generis commeatus convehi solet. Atque ita ludicrum hoc certamen sine pugnis, sanguine & cæde finitum est.

1617. Annus fertilis.

Hyems hujus anni fuit tolerabilis. Non enim sensimus frigus nimium, & nives etiam fuerunt rariores. Segetes igitur nihil damni passæ sunt. Pluvias tempore verno & æstivo habuimus satis frequentes & quotidianas fere, nec tamen nimias: unde fruges omnis generis, exceptis pomis & cerasis, nonnullibi etiam pyris, tam felici & ubere proventu ubique provenerunt, ut horrea ad recipiendas eas minus essent capacia. De singulis quartis modi nostratis partibus provenerunt singulæ sexagenæ mergitum i. e. ut nos efferimus vulgo: Nach einem viertheil Korn ist im Gebund ein Schock gewesen, id quod prius in his locis non fuit factum nec auditum. Atque ita largo & liberali fœnore compensavit Deus, quod priori anno decurtaverat & denegaverat. Prius tamen maxima fame & annonæ caritate laboratum fuit, quæ in tantum excrevit, ut modius farris veniret 7. marcis Gorl. cum dimidia. Multi homines alibi locorum fame mortui sunt: multi reperti, qui fame perierunt, habentes gramina, herbas & radices in faucibus. Remisit autem circa finem mensis Julii ista annonæ caritas, ita ut altera septimana modius farris veneit tribus marcis, cum priori septimana pretium modii fuisset septem marcæ: imo altera hebdomade venerit modius 20. Gr. Misn. vel etiam unica marca Gorlicensi, uti factum est d. 3. & 17. Aug. d. 21. Aug. modius avenæ emtus

Præcessit ingens annonæ caritas.

emtus est 30. crucigeris. Unde apparet insignis Dei providentia & commiseratio

Incendiarius vivus comburitur.

9. Febr. rogo impositus & crematus est rusticus quidam, qui oriundus erat ex pago, qui dicitur die Häberne Byle, qui ex Diabolica ἀστεγία & impietate filius iniquissimus & ingratissimus, parentis sui ædes incendio absumserat, & non tantum ad mendicitatem redegerat, sed & insuper, quasi non satis esset, sese etiam instauratas & de novo extructas ædes incendio deleturum minatus fuerat, Vivus igitur propter facinus flammis exustus est.

Ferdinandus novus Rex Boh. Gorl. venit.

29. Jun Pragæ in Regem Bohemiæ coronatus est *Ferdinandus Archi-Dux Austria*: qui 2. Octobr. vesperi intra h. 6. & 7. cœlo pluvioso ingressus est Gorlitium curru vectus, inter faces satis frequentes, quarum supra centum fuerunt. A. die ☽ usque ad d. ♃ hic subsistit.

Georg Heldreich Cons. moritur.

1. Aug. in vivis esse desiit *Georg. Heldreich*, Consularis, annorum quidem 70. Consulatum semel tantum gessit intra 48. septimanas.

Nov. Cons.

Cal Sept. Consul novus eligitur *Joh. Emerich* in Nickerisch & Neundorff. Com. Pal. & Civis Rom.

Civis cum uxore sua obit & una die simul sepeliuntur.

12. sept. *Joh. Ferberus*, civis in hac patria nustra primarius, morbo epidemico, qui tum in urbe nostra & alibi grassabatur, superatus decessit, hora vespertina 10 an. æt. 44 Postridie conjux ipsius Martha Heintzia per eundem morbum h. 1. pom. letho data fuit. Atque ita intra 15. h. ambo fato functi sunt. Postea 15. Sept. ambo elati sunt, ac primo quidem ipse maritus exportatus fuit præeunte, ut fieri solet, tota schola cum Ministerio, subsequente grandi multitudine civium atq; mechanicorum omnis generis funus deducentium. Ubi vero ad fores templi D. Nicolai sacri ventum est, non recta introgressi sunt, qui prius funus comitati fuerunt, sed ad priores ædes reversi conjugem quoque ipsius pari ordine, modo & processione ad sepulturam extulerunt; ubi postea ambos unus & idem excepit tumulus. Rarum fuit hoc exemplum, & in patria nostra inusitatum, nisi quod hoc ipso anno 3. Febr Cingularius quidam ante portam D. Nicolai cum uxore simul & semel elatus fuerit.

Faber automatarius obit an. 104. an.

Cal. Oct. ad sepulturam elatus est Vir ad miraculum usque (hoc quidem nostro tempore) grandævus, *Sebastianus Poëtiscus*, faber automatarius, qui vixit annos 104. minus 4. mensibus.

Incendium mature sopitum.

13. Oct. circa finem Concionis ante meridianæ incendium in domo pannificum, in qua illi suos conventus habere solent, exortum est, quod tamen Dei ope mature sopitum fuit.

Baptisterium cancellis ferreis circumdatum.

Circa hoc etiam tempus Vitrici templi Petro-Paulini fieri curarunt cancellos ferreos, artificiose & affabre elaboratos, circa Baptisterium: sed prius de secto lapide constructum & nonnihil in sublime erectum est, ita ut priores scalæ lapideæ, quæ prius extabant, sint simul inclusæ in novum pavimentum. Cancelli etiam ipsi picturis, ut & parietes, colore vario & vermiculato, instar tapetiorum sunt exornati: adeo, ut opus hoc non sine delectatione possit aspici.

Preces vespertinæ in der Kloster-Kirche institutæ.

Mense Novembr. in templo Cœnobii, in quo schola hactenus fuit, & adhuc est, ordinatæ sunt preces vespertinæ, quæ linga fiunt vernacula. Ad has adhibentur una cum Cantore 12. scholastici, pretio in singulas septimanas 6. crucigerorum conducti. Autor harum precum est Matth. Bergeri relicta vidua.

Novum cerevisiæ secundariæ signum.

Mense Decembri ignes isti, qui ante ædes civium excitabantur, qui cerevisiam secundariam haberent venalem, omnino abrogati & sublati sunt: utque indigenæ scirent quibus in locis secundaria ista cerevisia venalis prostaret, in eorum locum surrogatæ sunt pyramides candidi coloris, forma & quantitate similes iis, quibus venalis cerevisia intimatur.

Scholæ Germanicæ pro pueris & puellis publicæ instituuntur.

Circa hoc etiam tempus Senatus privatas scholas omnes, quæ hactenus multis in locis frequentari passim sunt solitæ, abrogavit, decrevitque, ut eæ omnes conjungerentur, inque domo publica, quam Typographus antea inhabitavit, post hac una tantum schola celebraretur, ad quam destinati sunt tres collegæ: & hæc pro pueris, qui Germanice legere, scribere & Arithmeticam addiscere vellent. Idem factum est cum puellis, quibus assignatæ sunt duæ matronæ, quarum institutione posthac illæ, in certa quadam domo uterentur. Duravit autem tantum quadriennium. Nam A. 1621. circa hyemem rursum desiit.

Hyems admodum aspera gelu.

Hyemis initia sine singulari vel intenso cœperunt frigore, ideoque satis fuerunt toletabilia. Sed mox a Cal Jan. usque ad 7. Febr. frigus fuit intensissimum & rigidissimum, præferendum fere illi, quod ante biennium habueramus. Nam de aqua fontana valde laboratum fuit: cum variis in locis canales subterranei præ frigore dissilirent, & lympha illa in glaciem concresceret. Itaque præfecto canalium magno labori & sudori fuit aliquam saltem aquam conservare integram & fluidam. Duravit hoc frigus, quod paululum tantum remiserat, fere usque in Martium, ubi aura cœpit fieri tepidior. Glacies, qua Nissus concretus erat, sensim a Sole concocta & devorata est, ideoque nec ponti, nec aggeri, nec moletrinis aliquid damni dedit. Aprilem habuimus aliquanto inclementiorem, in quo & largæ nives deciderunt & raro nox abiit, qua non frigore & gelu omnia horruerint: idque duravit usque in Majum, ubi aura cœpit fieri mitior, ut arbores sat tarde tamen, flores extrudere possent. 1618.

Annonæ vilitas.

Interim tanta fuit annonæ vilitas, ut modius farris interdum grossis Misnicis vel 16. l 14. l. 12. imo etiam, ut nonnulli sunt experti, 10. venerit. Tam subito dextra illa Excelsi annonæ caritatem mutavit & mitigavit: ut omnibus ea res esset admirationi.

Pridie Ascensionis Christi Pragæ per tumul-

tam quendam, vel potius ex indignatione, ex arcis fenestra in subjacentem foveam tres Imperatoris Consiliarii primarii præcipitantur. I. Wilh. Slavata, Provincialis Judex (Landrichter) Regni Bohemiæ & Bohemicæ Cameræ Præses. II. Jaroslaus a Martinitz Burggravius Carolosteinens. in cujus custodia fuit Corona regni, qui etiam fuit Marschallus regni Bohemiæ & Cameræ Bohemicæ Consiliarius. Ambo hi fuerunt Vicarii Regii. III. M. Philipp Fabricius Secretarius. Altitudo loci, ex quo deturbati sunt, dicitur esse 28. ulnarum Prag. Nullus tamen illorum ex casu periit. Inde mox consecutum est bellum satis atrox, cruentum & diuturnum. Ob hos motus Bohemicos crebra apud nos armilustria, ut ita cives ad omnem eventum, si quæ forte irruptiones fierent, parati & armati essent.

Tres consiliarii Imp. ex fenestris arcis Pragæ præcipitantur.

Ipso Ascensionis Christi die tristis & lugubris apud nos casus accidit. Nam Collega Ecclesiæ nostræ Dn. Petrus Schönius, eo die bene vivens & valens, concionem habuit pomeridianam, quam quidem etiam feliciter absolvit.

Petrus Schönius Diac. apoplexia tactus in suggestu domum deportatus obit.

Inter preces vero, quæ de more nostræ Ecclesiæ pro ægris & aliis fieri solent, cœpit nonnihil lallare, & lingva titubare: cumque in Orationis Dominicæ petitione septima hæc tantum verba proferret: Sondern erlöse, reliqua non potuit pronunciare: mox, cum jam reclinaret ad latus, & lapsui esset proximus, accursum est ab iis, qui cathedræ fuerunt vicini, a quibus fuit sublevatus, per scalas deductus, in pavimentum prostratus, mox tamen in sella domum reportatus est, varieque in eo refocillando laboratum fuit, sed omnia fuerunt frustra, eaque ipsa hora nullo prius vel ad suos, vel ad alios facto verbo, sensu & omni motu destitutus placide expiravit, an. æt. 54. cum in patria tantum 4. docuisset annos. Unde animadversum fuit, fuisse morbum vel totalem apoplexiam vel catarrhum suffocativum.

Octiduo post 15. Jul. Dominica V. post Trinit. in palude quadam non procul a silvula, prope Parnassum fœmina quædam, incertum, quæ, qualis & cujus esset, sese ultro submersit.

Mulier se submersit.

31. Aug. mane circa h. 3. fulmine tacta est domus sub curia, in qua solent excubias agere vigiles, plane simili modo, ut An. 1585. mense Febr.

Fulminis ictus.

Die 1. Sept. Barth. Jacobi Consul eligitur.

Novus Consul.

4 Nov. *M. Elias Theodorus*, ante verbi divini minister in Teutsch-Ossig Successor Petro Schönio datus primam suam in templo Petrino habuit concionem.

M. El. Theodorus succedit P. Schönio in diaconatu.

Eodem die vesperi animadversum est incendium in ponte Nissensi, quod quomodo, vel unde exstiterit nec dum sciri potuit. Sed mature restinctum fuit.

Incendium mox restinguitur.

Circa initium Decembr. ingens *Cometa*, apparuit, qui caudam porrexit versus Occidentem.

Cometa.

14. Decembr. *Imperatrix* diem suum obit.

8. Jan. obit Dn. *Georg a Nostitz* in Klücks & Jahmen, *Capitaneus Gorlicens.* an. æt. 53.

Capit. Gorl. moritur.

27. Jan. Imperatricis, quæ superiori anno ex aqua intercute Viennæ obiit, obitus publice de suggestu annunciatus est. Per triduum quoque campanis omnibus in omnibus templis signum datum & pulsatum fuit. Interdictum fuit omnibus instrumentis musicis in nuptiis & aliis festivitatibus, cessatum etiam fuit in templo ab organis, quæ tamen rursus Dom. Lætare, quæ tunc incidebat in d. 20. Mart. pulsari cœperunt.

Luctus publicus ob mortem Imperatricis.

Imperatricem subsecutus est Imp. ipse *Matthias*, qui Viennæ hoc anno 20. Mart. ex apoplexia, ut fertur, obiit. Post ipsius mortem bellum Bohemicum continuavit. In ejus locum 31 Aug. electus est *Ferdinandus II.* Rex Hungariæ & Bohemiæ.

Matthias Imp. obit.

Ferdinand II succedit in Imperio.

19. Mart. electus est *novus Capitaneus* Dn. Christoph. a Nostitz in Guttau.

Nov. Capit.

9. Apr. moritur Dn. *Mich. Ficenus* Gubenens. Archi-Diaconus hujus Ecclesiæ an. æt. 39. In ejus locum vocatus est *Andr. Helvvigius*, pastor tunc Schönbornens. qui primam suam concionem habuit in templo Petrino, Dom. 7. post Trin.

Nov. Concionator.

17. Jun. propter metum hostilium ex Bohemia in has terras excursionum vigiliæ novæ ad omnes urbis constitutæ sunt partes, quarum Dux & Præfectus fuit Godofr. Schnitter, homo literatus & patricius Gorl.

Novæ excubiæ.

Eod. 17. Jun. factum est initium precum pomeridianarum, hora nimirum 12. ubi certa forma & litania ad avertendum ab his locis belli periculum recitata & decantata fuit.

Supplicationes publicæ pro avertendo bello.

Hoc & sequentibus annis omnes fere fenestræ templi Petrini non sine magnis sumtibus novæ factæ sunt: unde ipsi templo non parum accessit luminis & splendoris.

Novæ fenestræ in templo Petrino.

Mense Aug. cisterna lapidea in foro rursum picturis & variis coloribus illustratur: in primis statua illa grandis Gigantis, insignia imperii, & alia exhibentis. Item columna illa, quæ ascendentibus in curiam ad lævam, & cui imposita est in lapidem incisa imago justitiæ variegatis omnisque generis coloribus renovata & exornata est.

Cisterna lapidea & imago Justitiæ renovatur.

Cal. Sept. *Consul eligitur Henr.* Ritter.

Nov. Consul.

Eod. anno Status regni Bohemiæ & unitarum Provinciarum Ferdinandum, Regem quidem connatum, sed tamen nondum in regale solium collocatum ananimi consensu regno deturbarunt, eumque repudiarunt, in ejusque locum Regem sibi elegerunt Fridricum Comitem Palatinum Rheni & Electorem, qui d. 4. Nov. solenniter singulari magnificentia & more prius non usitato in Regem Bohemiæ coronatus est: die vero 7. Nov. ipsius etiam conjux Regis Anglici filia, partui admodum vicina, pari magnificentia corona Regni insignita fuit.

Ferdinandus II. Rex Boh. a Statibus rejicitur & Frid. V. Elect. Palat. coronatur cum conjuge.

Provincia ista Hexapolitana Sup. Lusatiæ 31. Dec. per tympani sonitum collegit & conscri-

Lusatia sup. conscribit milites.

pſit milites & quidem in omnem eventum, cum ab Electore Saxonico, rebus Ferdinandi unice favente, nonnihil periculi metueretur.

1620. Novi milites lecti.

Annus hic incipit a ſtrepitu tympanorum, ad quam novi lecti ſunt milites partim pro Ordinibus Bohemiæ, partim pro Electore Saxoniæ.

Hiems ſat frigida.

Hiems hujus anni ſatis fuit frigida & quidem demum poſt ferias nativitatis frigus fuit aſperrimum: circa tamen feſtum Converſionis Pauli nonnihil de rigore ſuo & vehementia remiſit: quam tamen paulo poſt tempore Quadrageſimali reſumſit.

Fridricus Rex novus Gorlicium venit.

10. Mart. intra h. 3. & 4. p. m. ex Sileſia Gorlicium Fridricus Rex Bohemiæ venit, a civibus pro more ſatis exceptus ſolemniter. Adduxit etiam ſecum fratrem Ludovicum, Comitem Palatinum Rheni, curru ſplendido, pannis Attalicis rubris pretioſe ornato urbem ingreſſus eſt. Et pernoctavit is in curia: Altero die circa h. 12. Zittaviam verſus abiit, poſtquam prius templum Petrinum luſtraſſet, quod ei propter ſtructuræ elegantiam ſupra modum placuit. Aſpiciendum ſe præbuit omnibus, morumque, & geſtuum comitate, elementia & affabilitate, & temporaria hilaritate ita hominum ſibi devinxit mentes; ut vere de eo illud vetus uſurpari & exclamari poſſit: O Dominum clementem & bonum!

Novæ vigiliæ diuturnæ ad portas diſpoſitæ.

26. April. ad ſingulas urbis portas vigiliæ diuturnæ ſunt diſpoſitæ: quas obierunt cives ex ſingulis domibus ordine evocati, tresque in dies ſingulos deſtinati: ad quamlibet portam adhibitis iis, qui in iſta, in qua porta ſita eſt, urbis parte habitant. Nulli civium licuit alium in ſuum locum ſubſtituere. Cœptum eſt etiam veſperi aliquanto maturius ſignum dari, quod monet habitantes extra urbem de claudendis jam portis: cum pericula ab hoſtium incurſionibus & adventu in dies ingraveſcere viderentur. Sed niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Interim tamen hæ noſtræ vigiliæ, ſi non ſtrenue vigilarunt, at ſtrenue potarunt. Quia igitur vigiliæ iſtæ negligenter ſuum faciebant officium & plus helluationibus indulgebant, quam ſibi ſalutem patriæ commendatam habebant, 25. Jul. rurſum illis generalis excubitor & Inſpector conſtituitur Gottfr. Schnitterus, qui & prius illis præfectus fuerat.

Rixæ inter Ritterum & Tuchſchererum, Conſules. Tuchſchererus Conſulatu abſtinet.

Mox poſt diſceſſum Regis exortæ ſunt in Senatu inimicitiæ & rixæ inter *Ritterum* Conſ. & Dn. D. *Tuchſchererum* Conſularem: quæ adeo inter ipſos invaluerunt, ut D. Tuchſchererus juſſus ſit abſtinere a Curia, id quod illi denunciatum fuit per Notarium Hausdorffium. Paruit ille edicto huic, antea in Rep. hac inaudito & inuſitato, nec Curiam aſcendit: ſed in templo in ſubſelliis Senatus locum priorem occupavit. Æmulationes iſtæ tandem hunc ſortitæ ſunt eventum, ut die Ægidii novo & inuſitato in hac noſtra patria exemplo D. Tuchſchererus relictus domi & repudiatus, inque illius locum Dn. Joh. Emricus electus fuerit.

Novus Luſat. Præfectus.

16. Jul. Illuſtris & Generoſus *Comes Joach. Andr. Schlickius* Budiſſinæ novus hujus noſtræ regionis, *ſuperioris Luſatiæ, Præfectus* vel Prorex ſolenniter inauguratur; remoto a gubernatione priore Dn. a Dohna, Burggravio. Novus Pro-Rex deinde 24. Jul. hic apud nos pernoctavit, inde recta in Sileſiam abiit.

Elect. Saxon. bello invadit Luſatiam. Budiſſa obſidetur ab eo.

Quod hactenus noſtra Luſatia de Electoris Saxoniæ apparatu bellico metuit, id tandem ſuo magno malo experta eſt. Nam cruento hanc noſtram bello invaſit regionem, obſedit Budiſſinam valido exercitu in quartam usque ſeptimanam, præſidiariis Budiſſinenſibus animoſe & fortiter ſe & urbem defendentibus. Quia vero copiæ ſubſidiariæ, ut conventum erat, auxilio obſeſſis non venirent, & ipſa urbe non tantum jam crebris tormentorum ictibus graviter quaſſata, ſed etiam ignibus, qui quaſi imber in urbem conjiciebantur, immaniter & horrendum in modum deformata, & prope in cineres redacta eſſet, præſidiarii vitam & fortunas 5. Oct. Electori urbem dediderunt, qui

Se tradit Electori.

ipſorum virtute & fortitudine, quam in tuenda urbe maſcule oſtendiſſent, collaudata, omnes dimiſit ſalvos & incolumes, uno ſaltem ex Ducibus in cuſtodia retento.

Subſidio Gorlicenſibus venit Marchio Brandenburg. Joh. Georg.

Satis quidem mature advenit Marchio Brandenburgenſ. Dn. Joh. Georg. Dux Carnovienſis in Sileſia cum nonnullis copiis a Rege miſſus, nempe 9. Sept. quotidie etiam aliæ advolarunt & confluxerunt copiæ: ut multa ſint collecta militum millia: ſed nihil omnibus actum tantorum impenſis operum, ut Poëta ait. Interim tamen urbem noſtram & circumjacentes pagos miſere divexarunt otioſi iſti milites, quibus omnibus, magno cum incolarum damno & dolore, victus usque ad ſatietatem fuit ſubminiſtrandus: ut vere noſtri defenſores noſtri fuerint devoratores.

Regis Friderici filius ſexennis huc venit.

16. Sept. Regis noſtri filius primogenitus, Rex Bohemiæ jam tum deſignatus, puer ſexennis, equo vectus urbem noſtram ingreſſus eſt, & duas hic commoratus fuit noctes. Poſtea in Marchiam abiit, inde Hamburgum, ut inde in Angliam trajiciat.

Marchio, ut tamen aliquid ageret, mox altera ſeptimana poſt ſuum adventum cœpit exſtruere in monte Paruchiano (aufm Pfarr-Berge) vallum vel munitionem aliquot millium capacem, In quo exſtruendo ſubditi & ruſtici ex vicinis pagis evocati, una cum noſtris civibus per vices adhibiti fuerunt: quorum quotidie ſupra mille humum effodiendo & convehendo laborarunt.

Regi Friderico homagium præſtatur.

17. Sept. a Statibus Ducatus Gorlicenſ. Regi Bohemiæ in Curia noſtra Homagium præſtitum eſt, Marchione nomine Regis primum jurante.

Portæ urbis iam clauduntur.

Hoc tempore iterum porta Calenſis, & etiam

iam nova porta non fuerunt apertæ. Tandem etiam clauditur porta tenebricosa.

Pons Hoteranus dejectus.

Pons in platea Hoterana de consilio Marchionis dejectus est, quod ex eo periculum urbi immineret.

In Oenopolio nullum vinum venale.

Omne fere vinum in Oenopolio a tanta hominum colluvie ita exhaustum fuit, ut de eo 11. Oct. nec unicam metretam pro incolis quidem impetraveris, exceptis Senatoribus. Idem factum cum vino adusto. Defectus inde ortus, quod cum omnia itinera propter milites essent infesta, nullus auriga vel potuerit sine manifesto periculo, vel ausus fuerit vinum advehere. Hinc ille fons & fluxus desiit. Liberum tamen fuit cuilibet vinum omnis generis & vinum adustum imo & cerevisiam venum exponere.

Præsidiarii milites collocantur in Parnassum.

13. Oct. & seqq. in nostro Parnasso ingens pertica erigitur, lignis transversis utrinque scalarum exstantibus: ut milites præsidiarii, quorum 50 noctu & interdiu ibi vigilias egerunt, in iis usque ad summum fastigium ascendere & irruptiones hostiles inde prospicere, & per certa indicia reliquis significare queant.

18. Oct. Marchio in renovato D. Annæ Templo primam sibi haberi concionem curavit a Concionatore suo castrensi Dn. M. Ad. Christ. Agricola.

Marchio in templo S. Annæ cultum divinum celebrat.

In eodem templo 20. Dec. fractio panis, juxta ritum Reformatorum celebrata fuit, de qua varia fuerunt nostrorum hominum judicia.

Saxo occupat Löbaviam. Gorlicium adoriri adhuc veretur.

Interim Saxo impune grassatur, & totam inferiorem Lusatiam, nemine resistente vel prohibente, per deditionem occupat. Adoritur etiam Lobaviam, eamque nullo negotio capit. Jamque imminebat nostro Gorlicio, a quo tamen fortasse militares Marchionis copias veritus, abstinuit. Multi fuerunt in ea sententia: Electorem Saxoniæ, si mox altero post occupatam Budissinam die victorem exercitum ad nostra adduxisset mœnia, hac nostra urbe certius potiturum. Marchio contra non movit sese, & fama est, Ordines Silesiæ ipsi interdixisse serio, ne quid hostile contra Saxonem moliretur, nec illum irritaret aut lacesseret. Et ita Silesii, nostri vicini nostram hanc regiunculam rapinis & direptionibus exposuerunt & objecerunt, ut ita periculum & motum belli a suis finibus averterent.

Milites novi morbo Ungarico urbem inficiunt.

Milites huc secum advexerunt novum morbi genus simile morbo Ungarico: accessit etiam apud nonnullos angina, qua multi sunt extincti. Hoc enim morbi genere quinque mensium spatio supra 600. mortales abrepti sunt ex incolis, militibus non annumeratis. Remisit illa lues nonnihil sequenti anno circa finem Martii, nec tamen ita conquievit, quum reliquiæ aliquæ remanerent. Multa conjugum paria paucarum horarum vel dierum intervallo sublata sunt, orphanis aliquot centenis remanentibus, & ex morbo illo convalescentibus.

Frid. V. Rex ad Pragam a Cæsareis vincitur.

8. Nov. ad Pragam male pugnatum est: exercitus enim Regius fusus fugatusque est. Rex ipse cum Regina & nonnullis Proceribus fuga sibi consulere necesse habuit; & inde in Silesiam salvus evasit, inde in Marchiam, postea in regionem Brunsvicensem & civitates Hanseaticas se contulit. Ipsa etiam Praga regni metropolis sese hosti dedidit. Ita nimirum præsidiis humanis non semper est confidendum, juxta illud:

Tutius est, præstatque DEO confidere soli,
Quam se principibus credere mille viris.

Ex Silesia Legati ad Electorem Sax. mittuntur.

20. Jan. Legati ex Silesia Dresdam ad Electorem missi hic diverterunt: ad transigendum cum Saxone, quo ipsius interpositione & intercessione, a Ferdinando Imp. impetrent offensionis & defectionis veniam, & ita ad ejus redeant obedientiam. Id quod etiam impetrarunt, & post confectam pacem 3. Mart. huc redierunt.

Idem fit a nostratibus.

Nostra etiam Lusatia eandem ob causam legatos ad Electorem 30. Jan. ablegavit: qui & ipsi confecto ex sententia negotio 8. Mart. domum redierunt.

Rigidissima hyems.

Circa finem Januarii & initium Februarii, post cœlum hactenus satis incertum & pluviosum tam acre & insolitum frigus cœpit, quantum ante fuisse nemo fere meminit. Idque ita invaluit: ut in omnibus fere ædibus, in quibus aqua fontana in aqualiculos ad necessarios rei domesticæ usus & alendos pisces excipitur, frigore tam horrendo aquæ illæ obriguerint & fluere desierint. Periit etiam frigore isto aqua in omnibus fere cistis lapideis, una & altera excepta; atque ita maxima fuit aquæ penuria, ancillis hinc inde discurrentibus & magno labore interdum etiam non sine pugna, aquas inquirentibus & haurientibus. Tantam aquarum penuriam patria prius nunquam fuit experta. Duravit hoc frigus per integrum mensem.

Marchio urbe emigrat in Silesiam.

27. Febr. *Marchio* tandem castra movit & cum universo exercitu hinc Laubam, inde Leobergam & in Silesiam abiit, & quidem sine damno & noxa, severe interdictis direptionibus & rapinis, quas quidem feroculi inter milites huic urbi interminati fuerant.

Symmistis munificentiam comprobat.

Marchio ipse, propter publicas preces, quas verbi ministri pro ipsius incolumitate & prosperitate fecerant, gratitudinis ergo unumquemque eorum aureo donavit annulo.

Milites Saxonici huc veniunt.

22. Mart. duo vexilla militum Saxonicorum in præsidium urbis advenerunt.

D. Wandlerus Med. obit.

28. Mart. moritur *Francisc. Wendlerus* Phil. & Med. D. an. æt. 52. qui per 24. annos in patria sua magna cum felicitate & laude medicinam fecit.

Senatus Edictum de circumspectis sermonibus hoc tempore necessariis.

24. Apr. publicatur edictum a Senatu, illudque ad valvas templi affigitur: in quo sub gravi pœna interdicitur, ne quis vel de Ferdinando Imp. vel de Electore Saxon. vel de ipsis Senatoribus sinistre sentiat, aut male loquatur: nec

ulla

ulle Fridrici Palatini in postremum fuit mentio.

Executio Pragensis.

21. Jun. ☽. Pragæ funestus fuit Proceribus Bohemiæ, de quibus sumtum est supplicium. Præcipui inter has fuere Joach. Andreas Comes a Schlich, Wenc. Budoveccius Baro &c.

Fulminis ictus. Pagus Hohenkirch deflagrat.

10. Jul. in horto quodam non procul a patibulo ædes Mart. Preussii h. 1. p. m. fulmine tactæ illico conflagrarunt.

Eodem die maxima pars pagi Hohenkirch una cum Prætoris & Parochi ædibus incendio periit.

El. Sax. urbem ingreditur.

28. Jul. Elector Saxoniæ Joh. Georgius intra 2. & 3. h. p. equo vectus satis splendide hanc nostram urbem ingressus est, & hic commoratus est usque ad primum diem Aug. ☉ quo ipsa h. 1. pom. hinc Laubam versus abiit. Dum hic fuit, sæpius per urbem obequitavit, omniaque loca, ut & ipsum templum cum campanis perlustravit.

Monetæ pretium crevit.

Hoc Anno moneta omnis generis pretium mirum in modum accrevit & auctum est, ita ut circa finem Augusti Joachimiei integri valor fuerit communiter 5. thalerorum: aureus Ungaricus 6. Rhenensis 4. venerit thaleris. Idem factum est cum minuta moneta, grossiculis, nummis & grossis, quæ duplum valuit.

Vexillum militum in Silesiam mittitur.

9. Aug. vexillum alterum ex nostra urbe in Silesiam contra Marchionem abductum est; cui accesserunt & nonnulla alia vexilla, quæ per nos iter habuerunt. Quia vero tanta militum colluvies urbem hanc nostram implevisset, factum est, ut magna cerevisiæ penuria deprehenderetur, quæ res fecit, ut mox sub initium Septemb factum sit coquendæ cerevisiæ initium: quod antehac accidisse nnquam nullus nostrorum meminit.

Pons Nissi ruinam minitans restauratur.

Pons Nissensis longo satis tempore ex eo latere, quo aggerem respicit, visus est fieri declivior & demissior, & quasi minari ruinam: & tamen incuria Ædilis tanta fuit, ut is de cohibenda ruina parum solicitus fuerit. Cum igitur hiatus iste indies magis magisque satisceret, & pons ipse jamjam corruiturus videretur: nec onusti currus amplius sine præsenti periculo traduci possent, serio tandem de medio cogitatum est. Cum igitur lapides, quibus pons ille stratus erat, removerentur, & quidem circa eam partem, quæ hiabat, deprehensum est, ingentem trabem putredine consumtam & adesam esse, adeo, ut ruina pontis certo certius metuenda fuisset: ni malo isti in tempore occursum fuisset. Fulcris igitur & statuminibus ruina interim fuit suffulcienda, ut currus iterum per pontem tuto incedere possent. Donec ista vorago & hiatus plene instaurata fuere.

Dn. D. Tuchscherus iter. Consul eligitur.

Calendis Sept. rursum in Consulem eligitur Dn. David Tuchschererus J. V. D. qui ante annum præteriebatur.

Vallum auf den Pfarr-Berge diruitur.

6. Sept. munitio illa vel vallum (die Schantze) a Marchione in monte Parochiano superiori Anno exstructum, rursum ab imis fundamentis dirui cœptum est, adjuvantibus incolis universis & singulis.

Elect. Sax. hac transit.

Elector Saxon. huc rediit 17. Oct. inde tertio die post Uratislaviam abiit, ad suscipiendum Ferdinandi Imp. tanquam Regis Bohemiæ nomine homagium: quo confecto iterum huc venit 2. Dec. ♃ cumque denuo per duas noctes hic commoratus esset, tandem 4. Dec. ♄ recta Dresdam perrexit.

Peregrina avis sclopeto trajicitur.

Post dies undecim, nempe iterum ipsis Cal. Nov. juxta veteres fastos, peregrina avis, anseris magnitudine in petaso vel summitate turris Nissens. conspecta est: ad quam dejiciendam milites præsidiarii, qui tum ad eam urbis portam in excubiis erant, aliquoties sclopetos suos exploserunt: sed semper aberrarunt, nec volucrem contingere potuerunt. Illa vero ad istus strepitus & tonitrua sese loco non movit, quasi fragorem illum fistularum ænearum nec audiret nec animadverteret. Donec Petrus Rickerus, civis Gorlicens. conscendens turris ambulacrum ex minore bombarda (einem gezognen Rohr) globis ipsam petens tandem eam trajecit, ut exanimis illa decideret. Nostri homines volucrem hanc appellarunt corvum fluviatilem vel aquaticum, einen Wasser-Raben.

Milites Saxonici emigrant.

20. Nov. tandem Electoris Sax. milites præsidiarii ex hac urbe educti, & in Silesiam ad obsidendum Glacium missi sunt.

Gorlicii moneta cuditur.

Circa hoc tempus Gorlicenses ab Imperatore impetrarunt Privilegium, ut iterum per aliquot tempus peculiarem cuderent monetam, facto initio a nummulis, qui unum & duos nummulos Misnicos valerent. Et hoc initium incidit in 13. Dec.

Annonæ caritati a Senatu medela fertur.

Senatus etiam cum videret, annonæ caritatem in dies fieri majorem & graviorem, & frumentorum pretia in immensum crescere: idque propter propolas, qui catervatim hic frumentum omnis generis coëmebant & in alia loca non sine memorabili fœnore distrahebant & divendebant: duas perticas cum pileis stramineis in utroque foro 16. Dec. erigi curavit: ut essent signum ejusmodi propolis, abstinendum ipsis esse a coëmtione mercium: donec cives & incolæ satis sibi de illis prospexissent.

Pons Hoterana restauratur.

Pons Hoteranus, qui ante annum jussu Marchionis destruebatur, rursum instauratur septimana proxime Natalem Christi præcedente.

Mandatum de non admittendis numulariis.

20. Dec. promulgatur & publice affigitur mandatum de non admittendis amplius Numulariis (Wipper Kipper) ut vulgo nominantur: qui hactenus instar harpyjarum & corvorum ex Misnia huc catervatim advolarunt, & pro nummis probi valoris cupream permutarunt monetam, & ejusmodi quisquiliis hanc regionem totam non inundarant, sed pene oppresserant. Ex quo factum, ut omnis generis merces tam care venerint.

1622. Hiems asperior.

Cœpit hic annus ab asperrimo gelu, cujus frigus si prioris anni frigori non præferendum, tamen conferendum merito erit: idque ipso

die Thomæ cœpit & duravit sine intermissione usque ad XL Febr.

Nova moneta Gorlicensis.

Circa initium hujus anni prodiit nova moneta Gorl. videlicet grossi, quorum valor fuit 3. crucigerorum; nummi dimidium valentes crucigerum & minuti nummi, quorum 4. unum valent crucigerum.

Inundatio Nissi.

24. Febr. maxima fuit Nissi inundatio & hoc ipso die cum mane aperirentur portæ Nissenses, compertum est, duas pontis Nissensis portas sponte patuisse, quod & paulo post denuo fuisse factum constanter affirmatur, non sine singulari aliquo omine.

Annonæ caritas it. carnis, vini, aliarumque rerum.

Circa 24. Febr. modius farris emtus fuit 10. thaleris, hordei modus 8. thal., avenæ 4 thal. tritici 14. thal. Carnes quoque summo pretio venerant: posterior pars Carnis vitulinæ venit 4. thal. etiam 5. thal. armus ovillus 2. thal. Porcus, qui saginari cœpit 40, 50 l. pluribus thal. Bos, vacca 100. th. etiam 130 & 150. thaleris. Idem factum cum vino, cujus Rhenani olla emta est 3. thal. Hispanici 4; Malvatici 5. thal. Ita & aliarum rerum pretia sunt infinita. Ulna panni vilissimi, cujus pretium prius fuit vel 9. vel ad summum 12. crucigerorum, vendita est 2½. thal. par calceorum 4. l. 5. thal. ocrearum 10. thaleris.

Annonæ mensura lapidea sponte rumpitur.

18. Maj. mensura illa lapidea, quæ publice in foro frumentario ad domum, in qua merces ponderantur, prostat, cujus usus est in admetiendo frumento, sponte rupta in aliquot frusta dissiliit. Nec hoc sine sinistro aliquo omine.

Novus Capitaneus Gorlic.

Sequenti die in Capitaneum Gorl. eligitur *Sigism. a* Gersdorff in See, repudiato priore Christoph. a Nostitz in Gutta.

Pluvia sulphurea.

21. Maj. pluvia cecidit, quæ in nonnullis locis, præsertim circa paludes visa est colorem & speciem sulphuris referre.

Cerevisiæ penuria.

28. Maj. tanta fuit in urbe hac nostra cerevisiæ penuria & raritas, ut prorsus nulla venalis fuerit: quæ res fecit, ut postea Senatus curaverit cerevisiam Gorl. in œnopolio publice venalem exponi: qui mos cœpit 25. Jan. metreta venit 4. crucigeris.

Abenum fullonum post 27. annos demum in Nisso reperitur.

11. Jun. Pannificum sartago fullonia vel si ahenum appellare velis, quam eluvio A. 1595. 17. Aug. una cum ipsa domuncula fullonis abripuerat, & undis immiserat, non procul ab aggere molari rursus reperta fuit: cum sub aquis delituisset annos vere 27.

Inundatio Nissi.

24. Junii iterum maxima fuit Nissi inundatio, quo eodem die 3. Senatus equi in Nissum potatum educti, ex incuria aurigæ temulenti prope molam trium rotarum suffocati perierunt. Auriga iste vix ex periculo ab aliis ereptus, incarceratus postea urbe facessere jussus est.

Idem.

2. Jul. subsecuta est Nissi inundatio priori par vel etiam major. Aquarum eluviones semper aliqua calamitas sequitur. Aquæ multæ, populi multi.

Ictus fulminis.

13. Jul. fulmine tacta fuit posterior pars ædium Mart. Eilffinarnii in platea D. Nicolai, quod etiam secutum est incendium, in tempore tamen animadversum mature restinctum fuit.

Pons Nissi subito corruit nonnullis hominibus graviter læsis.

Superiori anno dictum est de ponte Nissensi, qui ruinam minitari jam visus fuit. Pars autem illa ruinosa utcunque tigillis & trabibus statuminata fuit, interim per totam tum hiemem tum æstatem nec de ponte redintegrando, vel novo jugo, ut vocant, substituendo atque ita ponte sarto tecto conservando cogitatum fuit: id quod apud multos admiratione non caruit, qui nimirum fieret, ut tantum ædificium tam parvi fieret. Quare tandem factum est, ut 18. Jun. h. 8. antem: pars pontis, quam corruituram suspicio minime fuit, magno cum fragore corrueret, secumque abriperet 8. homines, & equum cum plaustro fimi; sed tamen, raro DEI beneficio, nemo ex iis periit, sed singuli, ut & equus præsenti mortis periculo sunt erepti, extracti & conservati: quanquam nonnulli ex iis gravissime læsi & vulnerati fuerint, mortem tamen effugerunt omnes.

Valor monetæ nimium surgit.

Circa hoc tempus valuit aureus Hungaricus 20. thal. Rheneus. 15. vel 16. thalerus Hispanicus (ein Dickthaler) 13. thal. Joachimicus Imperialis 10. l. etiam 11. thal. Electoris novi thaleri, (vulgo dicti Engels-Thaler,) ut & Imp. Ferdinandi 5. thal. Regis Fridrici 4. thal. Campenses & Schvvollenses 6. thal. grossi Anglici cum gladiis 1½. thal. Campenses 1. thal. grossiculus 4½. crucig. nummulus Misnicus argenteum.

Cal. Sept. Consul eligitur Barth. Jacobi.

Cerevisiæ penuria.

Hoc mense magna apud nos fuit cerevisiæ penuria, adeo ut sæpe per diem unum & alterum nulli ea in urbe venalis prostaret. Senatus ordinavit, ut aliquot vasa nostratis illius liquoris & in œnopolio & in publicis illis ædibus, in quibus sal solet servari & vendi, 3. Sept. venum proponerentur: Metreta, qualis solet usurpari in œnopolio, venit 5. crucigeris, postea etiam 6. quod vas æstimatum esset 60. thaleris. Constitutum etiam fuit 6. Sept. ut si quis ex Prætoribus paganis vas cerevisiæ emere & evehere vellet, prius id non impetraret, quam 6. modios hordei secum advexisset. Sorte postea illud hordeum inter cives distributum est; ut inde coqueretur cerevisia: quo beneficio tantum 4. cives sorte delecti frui potuerunt. Plus enim tum de hordeo non fuit allatum, nec post etiam.

Annonæ caritas.

Supra dictum est de pretii magnitudine, quo frumentum veniit. Circa hæc autem tempora maxime crevit, & quidem ita, ut modius farris venerit 18. thal. hordei 16. thal. tritici 24. thal. avenæ 14. thal. Circa finem anni modius farris emtus fuit 20. thal hordei 16. thal. avenæ 10. tal. tritici 24. tal. Tum etiam valor monetæ maxime crevit, & valuit Ungaricus aureus 21. tal. Joachimus 13. tal.

3. Dec.

Turbulenti incarcerantur.

3. Decemb. Conjecti demum sunt in carcerem quidam ex turbulentis opificibus qui 11. Aug. impetum fecerant in domum cujusdam mercatricis castrens. (einer Marcktenerin) & pellionis cujusdam hortum, ex quibus caseos, butyrum & alia nonnulla prædati erant, mulieri vulnus inflixerant, & pellionem ipsum indignis modis tractarant.

4. Febr. Mandatum publice affixum est, quo interdicebatur, ne posthac Ferdinandi Imp. sinistra, Fridrici vero Regis dextra & honorifica fieret mentio, gravi in secus facientes constituta pœna.

Salaria Ministr. Ecclæ & Collegarum Scholæ augentur.

8. Febr. cœptum est duplam mercedem & accidentia exigere ab illis, quibus funebres fieri debent exequiæ: ita & 20. Febr. Ministris Ecclesiæ didactrum duplicatum fuit, quanquam nimis sero & quidam in moneta cuprea. Idem factum cum Collegis Scholæ. Cum moneta annona rerum ita crevit, ut etiam pigeat insolitum precium posteritati pluribus inculcare, cum ex superioribus relationibus satis superque manifestum.

Horæ precationum institutæ.

13. Feb. iterum sunt cœptæ fieri supplicationes publicæ h. 12. ad avertendam precibus inauditam annonæ caritatem & molem belli, quod non tantum nobis in his regionibus, sed toti etiam Germaniæ tunc imminebat.

Opifices in carcerem conjecti.

De tumultu, quem nonnulli mechanici excitarunt, superiori anno dictum est, & quod quidam ex iis fuerint conjecti in carcerem. His hoc anno adhuc unus fuit additus, pannifex quidam; cui hactenus parcitum fuerat, quod minus recte valeret.

Mulctati turbatores relegatione & solutione pecuniæ.

Porro 28. Mart. (alii 15.) incarcerantur hanc ipsam ob causam: ex quibus fuerunt omnis generis opifices. Ita nimirum quod differtur, non aufertur. Tandem res cum seditiosis illis eum habuit exitum, ut 4. ex illis fuerint relegati, duo in perpetuum, duo in decennium, reliqui vero de pecunia solverunt mulctam, quilibet 200. thaleros.

Electori Sax. homagium præstatur.

13. Jun. Electori Saxoniæ a Statibus Lusatiæ Homagium Budissinæ præstitum est, ipso Electore ibi præsente. Idem & in nostra urbe a civibus & opificibus in Curia factum est 29. Jul. præsentibus duobus Capitaneis Budissinensi & Gorlic. Adulpho a Gersdorff & Sigism. a Gersdorff Electoris Commissariis. Ita nunc Elector his terris præest nomine & jure hypothecario.

Cosaci Bohemiam transeuntes metum hic incutiunt.

12. Jul. generale in urbe fuit armilustrium, cum id fieri Elector vellet, ut ita cives ad omnem casum parati essent, cum de adventu & irruptione Cosacarum parum læta nunciarent, qui tum ex Bavaria & Bohemia in suam Poloniam redeuntes, magnas, horrendas & antehac inauditas strages ediderunt per Silesiam in iis locis, per quæ iter habuerunt: quorum sævitia non mediocrem his locis incussit terrorem & metum.

Novus Consul.

Cal. Sept. eligi debuisset Consul ita exigente ordine *Henricus Ritterus*, sed quia dolores arthritici & colici, cum quibus ultra biennium conflictatus, illum adeo deformarant & deturbarant, ut neque manibus neque pedibus recte uti posset, ideoque in curiam deportandus fuisset: Successor ei datus est *Fridr.* Schwecke.

Edictum Electoris de genuino valore monetæ.

10. & 14. Dec. Mandata Electoris Saxonici publice hic affixa sunt de coërcenda & restringenda monetæ luxurie, constitutumque est in istis diplomatibus, ut deinceps Joachimicus esset 24. arg. non autem novorum, sed veterum & a multis annis usurpatorum: aureus Rhenensis 27. arg. Ungaricus 36. arg. juxta quorum valorem omnes reliquæ monetæ species majores & minores æstimatæ fuerunt.

Musica Natalitia a turri audita.

24. Dec. statim post mediam noctem Casp. Walterus, novus Musicus instrumentalis ex turri Curiæ cum symphonatis suis, fere per bihorium vario instrumentorum genere, totam civitatem quasi ad gaudium Natalitium excitavit; quod Musicæ genus ut hactenus e turri de nocte fuit inauditum & antehac nunquam usurpatum: ita nemini non fuit jucundum & acceptum.

1624. Hyems asperior.

Hoc anno hyemem habuimus satis asperam & rigidam, quæ mox cum diebus natalitiis cœpit & continue perduravit usque in Aprilem: nivium copia fuit tanta & tam diuturna fuit asperitas, lupi ex silvis in ipsos etiam pagos oppidaque patentia nocte ausi sunt excurrere, prædæque inhiare, adeo, ut viatores soli iter ingredientes in magno fuerint metu ac periculo.

Conf. D. Tuchschererus obit.

15. April. obiit *Dn. Dav. Tuchschererus J. V. D.* & Consularis an. æt. suæ 54.

Nuper relegati iterum admittuntur in urbem.

Quos superiori anno diximus ab urbe propter tumultum relegatos fuisse opifices, tandem 14. Maj iterum impetrarunt potestatem in urbem redeundi & operas suas mechanicas, ut prius exercendi. Jussi tamen sunt singuli sese intra suas ædes continere per 6. septimanas. Post elapsum illud tempus jussi sunt Senatui de novo præstare juramentum, & jus civitatis pecunia redimere.

Greg. Richterus Prim. obit.

14. Aug ☿ h. 8. matut. moritur *Greg. Richterus, Primarius* Concionator, an æt. suæ 64½. Ei succedit *Nic. Thomas*, Svidnic. Silesius.

Novus Primarius. Novus concionator. Greg. Richter jun.

28. Aug ☿ vocatur e Schola in templum ad Ministerium *Greg. Richter Jun.* qui primam habuit concionem in templo Petrino 15. Sept. Dom. XV. p. Trinit.

Novus Consul.

2. Sept. ☽ Conf. eligitur *Wolfg. Stolberg* Annæbergens. Misn.

1625. Administratio Præturæ fit ambulatoria.

Hoc anno Prætura facta est ambulatoria, ita, ut eam tres ex Scabinis sibi invicem succedentes annuatim administrarent, cum antea penes unum, qui semel præficiebatur, esset.

1626.

Cal. Sept. Conf. eligitur *Barth. Jacobi.*

1627. In templo S. Annæ cœptum est haberi conciones.

26. Jul. ☽. ipso die Annæ in templo S. Annæ cœptum est prædicari, & postea singulis 14. diebus habita concio, initium facientibus Ministris Gorlicensibus & sequentibus Pastoribus

paga

paganis, Jurisdictioni Senatus Gorl. subjectis. Non diu autem mos hic duravit. Quilibet enim unicam tantum habuit concionem.

1. Sept. Conf. electus Frid. Schvvetgke.

1628. Hyems calidior, æstas frigidior.

Hoc anno hyems fuit calida, quam secuta est inconstans, humida & frigida æstas. Frumentum tardius ad maturitatem & parum siccum in horrea venit. Mense Septembri multum adhuc frumenti in agris fuit, nec tamen admodum magno pretio venit.

In Octobri multa adhuc cerasa in arboribus reperta sunt. Poma fuerunt parva, viridia & aquei saporis.

Turmæ Cæsareæ hic advenientes periculum Relig. nostræ fore jactitant.

4. Maj. tres turmæ equitum Cæsareanorum advenerunt: qui sæpe jactarunt, brevi Reformationem in Religione subsecuturam: & hoc in consiliis fuisse, persecutio Evangelicorum in Silesia testata est. DEus tamen clementer avertit & fecit, ut d. 5. Oct. multis perpetratis factionibus tandem re infecta discesserint.

Novum portorium.

18. Maj. ex indultu Imperatoris novum vectigal (Brücken-Zoll) constitutum est.

Cal. Sept. Conf. eligitur *Wolfg. Stolberg.*

1629. Portæ clauduntur ob incursiones militum.

5. Feb. D. ex mandato Electoris Saxonici portæ, Mariana, nova, Hoterana & tenebricosa, clausæ & novæ vigiliæ in singulis portis constitutæ sunt, ob milites passim discurrentes & persecutores in Silesia novo & inaudito modo sævientes.

Cal. Sept. Conf. eligitur *VVig. Möllerus.*

30. Sept. Nissus alveo se extulit.

1630. Fulmen.

13. Apr. ♄ turris Reichenbachensis fulmine de cœlo tangitur, sed absque detrimento.

Nova pertica aviaria.

19. Aug. Pertica aviaria de novo cœpta est ædificari, basi lapidea 30. ulnarum in altitudine Directore M. Christoph. Staudio, Prætore.

Cal. Sept. Conf. eligitur *Barth. Jacobi.*

1631. Oenopolium conducitur.

2 Feb. in festo Purificationis Mariæ *Jacob Schön* civis conduxit *œnopolium*, solvit inde Senatui quotannis 1800. thaleros.

Barth. Jacobi Conf. moritur.

4. Mart. h. 12. noctis *Barth. Jacobi* septimum Consul in ipso Consulatu moritur an. æt. 72. d. 9. Mart. honestissime sepelitur in polyandrio ad D. Nicolaum.

Cal. Sept. Conf. eligitur Frid. Schvvetgke.

Morbi pestiferi grassantur.

Sub finem hujus mensis patria nostra, dysenteria, angina & peste laborare cœpit, qvibus ex incolis 40. fere usque ad Cal. Jan. sublati sunt; militibus, quorum plures fuere, non connumeratis.

Milites Cæsarei Lusatos misere tractant.

10. Octobr. milites Cæsareani prædandi causa ad nos venerunt, qui in pagis & oppidulis habitantibus maximum detrimentum intulerunt, oves & armenta abegerunt, templa effractis foribus spoliarunt, virgines vitiarunt, & utramque fere Lusatiam, exceptis urbibus munitioribus, misere divexarunt, vastarunt & diripuerunt. 19. Oct. magna cum præda discesserunt, & in Misniam irruptionem fecerunt.

Saxonici haud melius agunt.

24. Oct. in Cæsarianorum locum successerunt Electoris Saxonici milites, æque, si non magis scelerati, & tantum rapinas cogitantes. Usque adeo verum est, quod vulgo dicitur:

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur;

Sed & hi paulo post recesserunt & Bohemiam invaserunt.

Conciones funebres cessant ob pestem.

24. Nov. Conciones funebres, aggravescente magis magisque pestis periculo, haberi desierunt: & funera inferioris partis urbis usque ad portam D. Nicolai a Ministerio & Schola comitata sunt: superioris vero usque ad fores cœmeterii Mariani.

Hic est annus, quo ad hanc, quæ ante oculos est, pœnarum & malorum fatalium Epitasin usque patria nostra non habuit magis calamitosum & funestrum. 1632.

Conc. fun. it. habentur. Irruptio militum Cæsar. in Lusatiam. Ingrediuntur hanc urbem.

5. Feb. conciones funebres rursum consveto more habitæ sunt. Milites Cæsareani post multas rapinas & plurima facinora in Silesia commissa, irruptionem in Lusatiam fecerunt, quam fere totam, exceptis paucis urbibus vastarunt & exspoliarunt, donec etiam urbi nostræ extrema minitantes, ultro in eam recepti sunt, magno cum Reip. & civium damno.

Pestis recrudescit.

Mense Junio pestilens lues, quæ aliquo modo remiserat, rursus invaluit & plurimos, præsertim in suburbio ad D. Nicolai prostravit.

Conc. fun. cessant. Portæ occluduntur metu hostis.

13. Aug. Conciones funebres, ingravescente magis magisque pestis malo, intermissæ sunt & funera usque ad portam Reichenbachensem a Ministerio comitata fuerunt. Portæ enim Mariana & illa ad D. Nicolaum metu copiarum Saxonicarum a Cæsarianis terra aggesta, occlusæ erant, ut nemo egredi l. ingredi posset: dirutis insuper aliquot domibus in suburbio Mariano Electoris incursionem ita se commodius impedire posse opinantibus.

Cal. Sept. Conf. eligitur *VVolfg. Stolberg.*

Schola dirimitur ob pestem.

22. Sept. pestilitatis incrementa stupenda imo horrenda, justissimo Dei immortalis judicio operarum Scholasticarum telam abruperunt, & discentium cœtum dissiparunt.

Cæsarei urbem deserunt.

25. Sept. Cæsariani urbem, parum tutos se in ea ab Electoris Saxonici exercitu rati, ex desperatione magna omnium bonorum lætitia, reliquerunt & nihil hostiliter conantes, discesserunt.

Saxones ingrediuntur. Pestis multos iterum aufert.

4. Oct. Electoris milites urbem invadunt. Circa hoc tempus pestis maxime grassata est. A 3. enim usque ad 10. Oct. (una septimana) 265. omnium ordinum homines abstulit immatura dies & funere mersit.

7. Oct. 24 pestilentis luis sævitia occubuerunt 57. homines, qui dies fuit omnium funestissimus. Nullus enim ante & posthac plura dedit funera. Ab hoc malum indies remisit, non tamen penitus desæviit, sed usque in sequentem annum vires suas exseruit.

M. El. Cuchlerus Rect. obit peste.

10. Oct. ☉ circa crepusculum vespertinum con-

contagio epidemico vitam in his terris finiit M. EL Cuchlerus Scholæ R. an. æt. 65.

Saxones discedunt. 26. Nov. discedunt Electoris milites.

Ob peste defunctos pulsus campanar. audiuntur. 19. Dec. Dom. IV. Adv. quadraginta pulsus (ut vocant) defunctorum ergo ex turri ædis Petrinæ campanis dati sunt, Eod. die VII turmæ equitum Electoris Saxonici adveniunt, miserrime miseros cives vexantes.

Milites Saxon. cives divexant. 26. Dec. quæ Steph Proto-Martyri & sequenti, quæ D. Joh. Evang. sacra 31. pulsus ab eadem turri auditi sunt.

6000. hominum hoc anno peste extincti. A. Cal. Jan usque ad festum Pentec. mortui sunt ex civibus 302. a Feria III. Pentec. usque ad sequentes Cal. Jan. 5513. ex militibus vero 106. qui in unam summam redacti faciunt 5921. non connumeratis iis, qui extra sepulcretum a pauperioribus fuerunt humati vel inscio bustuario in foveas collocati, ita, ut universus defunctorum numerus fuerit vere 6000. inter quos multi non laudis non sinceræ virtutis egentes, quibus lætam in die illo decretorio ad vitam meliorem vitæ Dux imo vita ipsa concedat resurrectionem.

1633. Croatæ in suburbiis prædantur. Hoc anno infelicissimo hiems fuit nebulosa & inconstans. Croatæ ex Zittavia irruptionem faciunt in Gorlicensium agros: magno damno afficiunt in iis degentes, imo ipsi urbi appropinqvantes extra portam in suburbiis habitantibus non parcunt.

A præsidiariis nostris fugantur nonnullis occisis & captivis. 8. Jun. cum Croatæ præcedenti nocte ex Ebersbachio & vicinis locis armenta & oves in magna copia abegissent, multisque mobilia vi diripuissent, & rumor de hac re in urbe increbuisset, quinque turmæ equitum præsidiariorum ex urbe egredientes, eosque explorantes ad pagum Holsdorff nihil tale metuentes, sed ob prædam partam exultantes, ex improviso adoriuntur, 105. ex iis prosternunt, & 20 secum captivos in urbem adducunt. Ex hoc reliqui timidiores facti ab excursionibus & rapinis ejusmodi aliquandiu abstinuerunt.

4. Apr. peste extingvitur *Frid. Schvvegkius* Consf.

10. & 11. Apr. XXIV. & paulo post 17. & 18. XXI. paria Conjugum copulata fuerunt.

21. Maj. Schola rursum aperta est.

Nix insolita. 26. Festo Corp. Christi nix alta cecidit, quæ adhuc postero die in locis multis nondum penitus resoluta apparuit.

Cal. Sept. Consf. eligitur *Franciscus Forsterus* Mercator.

Greg. Richter jun. Min. Eccl. peste obit. 5. Sept. ☽. h. 5. mat. lue pestilenti exstingvitur Greg Richterus Ecclesf. Minister, quum duos tantum decubuisset dies, Vir industrius & eruditus.

Saxo suis copiis in Misniam migrat. 5. Oct. universus exercitus Saxonicus e Silesia per Lusatiam in Misniam revertitur: quem Croatæ circiter 4000. e vestigio sequuntur, sæpe etiam agmen claudentes, adoriuntur, ita ut non raro ad velitationes ventum fuerit, in quibus utrinque non pauci ceciderunt. Tandem Saxonicis in tuto constitutis reversi sunt Croatæ ad urbem, verum nihil hostiliter adversus eam tentarunt, præterquam quod in agris multos damno affecerunt.

30. Oct. ☉ intra h. 6. & 7. vesp. urbs hæc Præsidiariorum excæcatis & induratis animis, justissimo DEI peccata nostra vindicantis judicio, frustra reluctantium, armata manu a Cæsareanis murorum parte machinis bellicis in pomoerio ad portam D. Nicol. dejecta, expugnatur, & maxima ex parte, excepto templo Petrino, exspoliatur. Inter direptionem incendium in novo foro exoritur, in quo tres civium ædes cum aliquot adjacentibus & contiguis conflagrarunt. Præter hoc aliud incendium excitatum est in foro mercatorio, quo institoris (eines Kramers) domuncula periit, vicinis omnibus illæsis, quod multis mirum videbatur. Gorl. a Cæsareis impetu expugnatur & exspoliatur.

8. Jan. Dom. I. p. Epiph. *Christoph. Lichtnerus* Cratiensf. succedens in locum defuncti *Richteri*, primam habuit in templo Petrino concionem. 1634. Novus Ecclesiastes.

12. Mart. iterum Conciones funebres habitæ sunt.

Id temporis modius farris 16. hordei 15. & avenæ 10. grossis argenteis venit: quod non caret miraculo, & ex singulari Dei benedictione factum est, qua frumentum nostrum ita multiplicavit, ut ex eo non tantum nos cum domesticis nostris, sed etiam multa millia militum & peregrinorum victum habuerint, & non tantum ad satietatem sed superfluitatem: quum tamen multi agri inculti jacerent, multæ segetes pedibus impiorum militum & equorum ferreis soleis conculcarentur, multæ etiam ante messem pro equis demeterentur. Annonæ vilitas.

6. Maj. h. 6. mat. *Cæsariani* ex urbe excedunt, quibus *Saxonici* succedunt. Cæsarei discedunt.

12. Maj. ♀ h 2. pom. iterum Cæsarianorum aliquot legiones ex improviso, cum ne minimum quidem de ipsorum adventu constaret, & omnia tuta esse crederentur, urbis partem occidentalem cingunt, & nemine resistente prope turrim Marianam muros, admotis scalis scandunt, urbe potiuntur, Saxonicos præsidiarios, præ timore fere exanimes circiter 150. Capitaneo & aliis paucis exceptis, qui se prius occultarant & ita evaserunt, arma deponere coactos capiunt, civium bona diripiunt, multa libidinose faciunt, imo ne a templis quidem & Sacris furtivas manus cohibent. Dum ita prædæ inhiant, & in civium bonis diripiendis occupati sunt Cæsariani, quinque turmæ Saxonicorum equitum, cum aliquot peditibus urbi appropinquant. Cæsariani adventu ipsorum cognito mox classicum canunt, ex urbe turmatim illis obviam eunt & non procul ab urbe in patente campo Saxonicos, de occupata & direpta urbe nihil scientes, nec hostes, sed suos esse existimantes, nihilque mali timentes, magno impetu Cæsareani urbem rursus capiunt & depopulantur.

petu aggrediuntur, qui se viriliter defendunt. Postquam utrinque acriter certatum esset, tandem Saxonici, a multitudine Cæsarianorum superati, cedere & fugam capere coguntur; quorum tres turmæ cum erectis signis per portam Reichenbachensem in urbem veniunt, Cæsarianis vero a tergo sequentibus per portam Nissensem & pontem citato cursu fugiunt & incolumes evadunt. Reliquæ vero duæ dissipatæ sunt, nonnulli etiam ex iis cum omnibus sclopetariis occisi. Victoria obtenta Cæsariani in urbem se receperunt, inceptam direptionem continuarunt, & summo mane magna onusti præda & spoliis pretiosis superbi, omnes urbe relicta, in Silesiam perrexerunt. Cæsorum 80. reperti in cœmeterio ad D. Nicol. humati sunt.

Saxones prælio cadunt.

Cæsarei urbem exspoliatam relinquunt.

9. Jul. ☉ Elector Sax. magno cum exercitu ad nos venit & 11. eundem rursus abduxit, ad Zittaviam castra posuit, urbemque obsidione cinxit: quam tum temporis Cæsareani bene munitam cum maximo totius regionis damno possidebant.

Elect. Sax. suis copiis hac transit.

14. Jul. ♀ noctu Zittavia ab Electore præter omnem expectationem vi expugnatur & a 12. hor. noctis usque ad 5. mat. diripitur. Pro certo relatum fuit, durante obsidione non supra 30. militum & in expugnatione 10. e Saxonicis vulneratos & occisos esse. Occupata urbe Saxo multis tormentis, copioso commeatu & apparatu bellico potitus est.

Zittavia vi ab Elect. Sax. expugnatur.

1. Sept. Conf. eligitur *M. Christoph. Staudius.*

Dominica insequenti in templo Petrino loco Missæ & Prosæ & sub Communione pro Motetis germanicæ cantiones cani cœperunt, quod antea etiam aliquoties fuit tentatum; sed frustra. Non enim diu mos iste duravit.

Germanicæ cantiones in templo.

13. Dec. Cæsareanorum militum aliquot turmæ urbi appropinquarunt, ante portam Nissensem tres villas, ex quibus una in suburbio fuit, & præter has in via regia Laubanensi domum hortulani incenderunt. Sed DEO propitio factum est, ut ventis ita flantibus flammæ ab urbe averterentur.

Cæsarei domos in suburbio incendunt.

Vulcano in suburbio furente, a Præsidiariis nostris excursionem facientibus, incendiarii ab urbe pulsi & cedere coacti, tres etiam ex illis capti sunt. Nocte præcedente etiam in pago Ießschwitz ignem in villam conjecerunt, qua conflagrante simul aliquot tuguria & casæ in cineres redactæ sunt. Similiter in pago Pentzig fecerunt. A nobis fugientes Laubam petierunt, suburbium cum pulcherrimo in eo templo flammis vastarunt, & plurimis aliis in locis igne ferroque immane quantum grassati sunt.

It. vicinos aliquot pagos.

1635.

30. Maj. inter Imperatorem & Electorem Sax. Pragæ certis conditionibus pax constituitur. Pacificationis conditiones videantur in scripto publico, de hac re edito.

Pax Pragensis inter Cæs. & Elect. Sax.

Die 11. Jul. ☿ ex Mandato Sereniss. nostri Electoris ob impetratam Pacem Festum εὐχαριστικὸν & εὐφρόσυνον solennissime celebratum est hoc modo: hora 5. mat. Musica instrumentalis e turri Curiæ audita est.

Gorlicii festum Evcharisticum ob redditam pacem solennissime celebratur.

Hora 6. campana maxima, quæ antiquo more Maria vocatur, ab Æde Petrina signum datum est.

Dimidia 7. duabus majoribus campanis Maria & Susanna secundum signum datum est. Hora sept. omnibus campanis tam in urbe, quam extra urbem majoribus & minoribus simul tertium signum datum est.

Hoc finito Organista Motetam lusit.

Chorus Motetam (Venite exultemus Prætorii a 8) cecinit: Ecclesia vero Nun lob mein Seel den HErren. Diaconus: Dominus vobiscum deutsch intonuit, & Germanicam Collectam pro pace legit, quam secuta est lectio, epistolæ loco, ex Epistola Pauli ad Eph. IV, 1. usque ad 7.

Finita lectione Chorus cecinit: Laudate Dominum Prætorii ab 8. Organista Motetam, Tubicines Motetam in Choro, Ecclesia: Allein GOtt in der Höh ꝛc. cecinit.

Deinde iterum Textus Biblicus loco Evangelii ex Joh. XVII. a v. 11. usque ad 24. lectus est, quem excepit symbolum, quod Germanice Organista, Chorus & Ecclesia simul cecinerunt.

Tantem a Primario concio habebatur ex Ps. CXXXIII. de pacis encomio cum seria ad pœnitentiam adhortatione. Finita concione legebatur precatio juxta præscriptum Electoris & canebatur: Verleih uns Frieden gnädiglich ꝛc. & Te Deum laudamus Germanice a Choro & Populo simul ludente Organista.

Hinc factum est initium Communioni. Post administrationem sacræ cœnæ & Benedictionem Ecclesiasticam Chorus cecinit: Dancket dem HErren. Schützes a 8 His omnibus solenniter peractis iterum omnibus campanis signum datum: & Musica instrumentalis e turri Curiæ audita est.

Hora 12. ad eundem, quo mane factum erat modum signum omnibus & singulis campanis simul dabatur: postea Ecclesia duas cantiones Germanicas canebat, & M. Elias Theodorus ex Nahum Cap. I. v. 14. concionem habebat cum gravissima ad vitæ emendationem & sanctimoniam exhortatione. Finita concione & precatione canebatur: Verleyh uns Frieden ꝛc. & HErr GOtt dich loben wir. Has cantiones sequebatur Vespera eo, quo fieri solet in Festivitatibus solennioribus, modo.

Severissime etiam interdictum fuit omnibus mechanicis & operariis, ne quid de suis operis hac die facerent, & ne quis ex incolis & peregrinis œnopolium & tabernas cerevisiarias potandi causa visitaret, aut aliquid in foro venum daret. Faxit Deus pacis: ut hæc pax multis suspiriis & gemitibus serio expetita & optata omni-

omnibus, præsertim vero Evangelicis sit salutaris, constans & perpetua.

1. Sept. Conf. eligitur *Wig. Mollerus*.

Saxones urbem relinquunt. 5. Sept. Saxonici præsidiarii magno omnium civium tripudio urbi valedixerunt. Ex hoc tempore patria nostra sub solo Altissimi præsidio aliquandiu tranquilla & beata fuit. Jani portæ (ita voco portas pomœriorum & propugnaculorum, quæ toto belli tempore dies noctesque patebant,) claudebantur: ædificia publica aliquo modo restaurabantur: *Gorlicium impetrata pace se recolligit.* ædes privatæ, quas possessores ob nimias exactiones, contributiones & intolerabiles executiones militares deserere cogebantur, & quæ ipsis absentibus a militibus tam Cæsarianis quam Electoralibus aut funditus demolitæ, aut tectis, laquearibus & lignis ablatis, injuria cœli collapsæ erant, denuo exstrui, instaurari & pristino nitori restitui cœperunt. Ædes, horti, agri, frumentum & omnia, quæ ad hominis victum requiruntur, carnibus & piscibus exceptis, exiguo ære vendebantur. Tunc, quod inprimis notandum, bubonum & noctuarum clamor, dirum mortalibus omen, pestis & belli tempore admodum frequens ab Æde Petrina & aliis ædificiis editioribus cessabat, vel certe non adeo creber audiebatur. Tunc glires, quibus omnes fere anguli scatebant, disparuerunt, vel certe rariores apparuerunt: imo plane Saturnia regna & aureum seculum redire videbatur. Misericordissimus DEUS diu nos conservet in pace, & procul a finibus nostris bellum, in quo nulla salus, & quævis noxia avertat, quod ex animo vovemus,

Copulationes renovatæ. 10 Sept. novi conjuges rursus publice in templo Petrino copulati sunt.

Novus Cantor. 2. Oct. *Abrah. Nicius* Freistadiens. Sil. Cantor, in patriam ad Rectoratum Scholæ vocatus, resignavit; in ejus locum suffectus est *Petrus Richterus* Gorlicens.

30. Nov. *Cæsarei & Electorales Commissarii* advenerunt, ob traditionem Marchionatus Saxoni promissam.

Cæsarei & Elector. Commissarii re infecta discedunt. 14. Dec. Cæsarei, sequenti vero Electorales Commissarii, infecta re, discesserunt. Causa fuisse dicebatur, quod Nobilitas relaxationem juramenti, quo Imperatori obligata fuit, ursit; quod Cæsarei Commissarii non in mandatis habebant.

1635. Velamen altaris linteum furtim aufertur. 23. Jan. velamen linteum altaris minoris versus septentrionem e templo Petrino furto ablatum est.

Lusatia per Cæsar. Commissarios Electori Sax. traditur. 24. Apr. 24 h. 10. mat. (quod faustum felixque sit!) in Curia a Cæsareis Commissariis Electori Saxoniæ utraque Lusatia (iis conditionibus & legibus, quibus longo tempore Bohemiæ Reges tenuerunt, sub quorum etiam imperio & protectione, quamdiu pax Religionis viguit, bene habuit) hereditarie & irrevocabiliter tradita est.

Cal. Maj. 24 quibus tum solenniter celebrabatur Festum Ascens. Christi, Summa Traditionis ante & post meridiem, finitis concionibus, e suggestu publice proclamata est, cum feria ad obedientiam Magistratui præstandam adhortatione. *Pro suggestu hæc Traditio denunciatur.*

1. Sept. *Francis. Försterus* Consul, & Filius ejus *Carolus* Reip. Notarius, novo exemplo creatur. *Novus Consul.*

Barth. Gehlerus Secretarius & Scabinus Reip. officium suum, quo hactenus strenue functus erat, & cui propter animi dotes eximias, & singularem in obeundis muneribus dexteritatem, aditus ad summos honores in patria patebat, ob causas domi sibi notas resignavit, & Syndicus Zittaviensis esse maluit. Jacturam brevi sentiet Resp. *Scab. Gorlic. Barth. Gehler fit Syndicus Zittav.*

2. Nov. ☉ tres turmæ equitum Saxonicorum, qui cum Electore ad oppidum Widstok in Marchia cum Suecis infeliciter pugnaverant, in urbem receptæ sunt. Pauci erant numero, & ex his multi equis & armis carentes. *Saxones huc veniunt hospitatum.*

Hic denuo contributiones sive expilationes præter modum cœperunt, gementibus & conquerentibus multis bonis viris, sed frustra. *Exactiones bellicæ.*

1637. 29. Mart. moritur *Nic. Thomas*, Primarius: succedit M. *El. Theodorus* ex Symmistis primus. *Novus Primarius.*

10. Maj. *VVig. Mollerus* ter Conf. æt. 58. moritur.

6. Oct. Sereniss. Elector Saxon. Gorlicium ingreditur, & 8. ejusd. post auditam in Petrino a D. Hoëc habitam concionem in Curia Ordin. Lusat. superioris in suam hereditarii Marchionis fidem cogit. *Ordines Lusatiæ sup. Electori Sax. Gorlicii præstant homagium.*

16. Oct. *Dietricus* von Taube Pro-Marchio Lusatiæ superioris renunciatur. *Novus Pro-Marchio Lusatiæ.*

Cal. Sept. f. d. Ægid. *Paulus Scipio*, hactenus Syndicus, Consul creatur, in Syndicatu, deinde Mens. Oct. succedit *Barth. Geblerus*. *Novus Conf. & Syndicus.*

24. Sept. in locum a functione Ecclesiastica inter symmistas hactenus vacuum succedit Gotthard Helvvigius, Pastor tum Herrndorfensis in Silesia. *Novus Symmista.*

1638. 3. Maj. *quinque cohortes* Legionis, quam vocabant, coerulea sub ductu Melch. Grubbachii Legati Legionis in urbe hospitia sumunt, 5. Nov. demum abeunt. *Milites Sax. hospitia hic sumunt.*

15. Jul. *turriculæ* templi suburbani *Mariani* globus cum tritone imponitur. Schediasma rei memoriam autorem habet Joh. Hagendorn Med. Doctorem. *Globus turri Marianæ imponitur.*

1639. 4. Mart. Cunradus Reinhardus a Callenberg, Legionis Electoralis vetustioris Legatus, cum tribus cohortibus urbem ingreditur, & ad 8. Maj usque hospitatur. *Mil. Sax. hic aliquandiu hospitantur.*

20. Maj. Leonardus Torstensonius, famosus inter Svecos Dux, ex Bohemia in Lusatiam infestis armis ingressus, postquam in potestatem suam Camentium, Budissinam, Sittaviam exacta a singulis & obtenta ad incendii redimen-

Torstensohnius a Gorlic. deditionem poscit.

mendi vexam grandi æris summa, redegisset, ad Magistratum urbis scribit, Sittaviam per suua veniant, conditiones audiant, quibus sese dedant, ni miserint, qui paciscantur, ferrum & ignem minatur. Destituta urbe præsidio omni, consilioque cum Equestris Ordinis præcipuis, qui tum securitatis causa in urbe erant, collato, Sittaviam abeunt, nomine Nobil. Provincialis Christoph. von Hubrig, Henricus von Rabenau nomine urbis Barth. Gehlerus, Syndicus, Valent. Giesichius, Scabinus.

Sveci Gorl. occupant.

13. Jun. die a Pentecoste proximo cohortes 8. Sveciæ cum Præfecto suo Ottone von Schulmann in urbe hospitium sumunt.

Urbem divexant.

21. Aug. hinc demum abductæ, civibus per exactiones militares varii generis easque grandes & continuas prope ad incitas redactis.

Novus Consul.

Postridie Cal. Sept. Cons. creatur *Barth. Gehlerus*, Syndicus.

Cons. moritur.

7. ejusd. moritur *M. Christoph. Staude* Cons. an. æt 58.

Milites Banneriani huc veniunt.

18. ej. 4. Cohortes e legione Banneriana viles in habitu & ære in urbem veniunt.

21. Nov. Cives arma deponere jubentur.

Urbs ob condonatum incendium æstimatur.

26. Nov. Mulcta, & ad rediuendam incendii vexam, vicies mille uncialium summa & post impetratum æri colligendo biduum inter gemitus & vota penditur.

1640.

Milites Banneriani hospitium hic capiunt.

9. Mart Legatus Legionis Bannerianæ cum manu sua in urbem venit.

Campanul. Scholastica refunditur.

22. Aug. æs campanulæ, quo signum frequentandæ scholæ dari solet, ex turri Monasterii, cum rimas egisset, transfunditur, & in pristinum locum d. 3. Sept. refertur.

17. Apr. moritur *Mart. Scheffer* M. D.

1641.

Wanckius Præfectus Svecicus urbi de commeatu prospicit.

Mense Junio, rumore increbescente, fore, ut urbs a Cæsaris & Electoralibus copiis obsideatur, WANCKIUS, præsidii Svecici Præfectus, commeatum, undecunque potest, in urbem importat, & cum locus non superesset capiendis, quæ inferebantur, etiam templum Monasterii & porticus ejusdem Templo contiguas, avenæ, stramini, fœno hospitandis sumit.

10. Jul. prope villas Georgii Endermanni & Matthæi Muccii ultra Nissum cohortes aliquot Cæsareæ se sistunt, Wankius per suos egressus urbe confligit, sed damno a neutris, quod grande dici posset, accepto atque illato.

Arbores in suburbio exscindit.

16. Jul. sitæ in hortis urbi vicinioribus arbores, obsessuris profuturæ, evertuntur, exscinduntur.

23. Jul. Suburbia igne oblato exuruntur, tecta scandulis nudantur a civibus stanni, plumbi multa pondo exiguntur.

D. 24. ej. ex hortulis Monasterio adjunctis certus aliquis defunctorum sepulchris legitur numerus, etiam in urbe degentium initur, qui erat 3388. hom. operæ in ducendis munitionibus severissime civibus imperantur.

30. Jul. in castra urbi jam circumposita duæ Legiones Saxonicæ veniunt.

Cæsar. & Saxonici urbem obsidione cingunt.

1. Aug. oppugnandæ urbis initium factum, muri validis crebrisque ictibus pulsati, id quod subsequentibus aliquot diebus continuo factum.

El. Sax. in castris advenit.

6. Aug. plures in castra cum tormentis copiæ, ipseque adeo Sereniss. Elector venit, hospitio in suburbano Gehleri consulis sumto.

Urbi deditio imperatur.

10. Aug. a Golzio mittitur tympanista Cæsareus, cum literis, quibus deditio urbis Wanckio imperatur, Negat, & in munitionibus passim excitandis hoc alacrius pergit, non sine multa in incolas injuria & violenta ad operas fossorias adactione,

Deputati ex urbe in castra hostilia eunt.

13. Aug. muri rursum validis & creberrimis ictibus peruntur, urbeque in castra exeunt Wanckii pace Christoph. von Hubrig, Christoph. von Tschirnhaus, Paulus Scipio J. V. D. & Consul visuri, si qua ratione cum Sereniss. Electore possent paeisci. Vespere porro hujus ipsius diei cuniculus sub moletrina urbi ipsi proxima, cui a quatuor rotis nomen (Vierraden) actus vi pulveris pyrii inflammati ruinam aliquam edit, sed exiguo cum obsidentium commodo, obsessorum damno.

Redeunt exigua cum spe.

14. Aug. revertuntur in castra missi exigua cum spe urbis per conditiones ad Electorem rediturae.

Wanckius nonnullos e Senatu ob fallam suspicionem jubet incarcerari.

15. Aug. Wankius Francisc. Furstero Consuli, Paulo Scipioni Consulari, Francisc. Baiero Judici, Georg. Endermann Scabino, Casp. Cunrado Senatori manus injicit, & in turrim graudiorem portæ Reichenbachianæ adjacentem (das Rundel) mittit: paulo post loco jubentur exire, libertate restituti. Nempe enim ex inventis in Curiæ quadam camera ligneis quibusdam detritis alveis ejus generis tormenti, quod in vulgus Hocken vocant, Wankius suspicionem ceperat sublestæ Senatus in se fidei: quæ ubi evaporarat, simul indignatio subsidebat

Sequentibus diebus a civibus plumbum, stannum, orichalcum, non sine minis rursum exigitur, vasa item, cumque hæc non suppeterent, etiom cistæ arcæque. Quin

18. Aug. militaris intemperies involabat etiam ipsam Monasterii turrim, & plumbeas laminas, quibus vestitæ erant columellæ fastigium sustinentes, diripiebat.

Impetus adv. urbem suscipitur.

24 Aug. atque adeo in ipsa D. Barth. vigilia, ruinis post validam pulsationem loco uno inter Reichenbachicam & Nicolaiticam, altero inter Nissensem & eam cui a Virgine nomen factum, portas editis, uno eodemque tempore a prandio urbs acerrime oppugnatur, eu eventu, ut per non minorem in defendenda urbe alacritatem recessui ab oppugnantibus canendum fuerit, cæsis ex obsessorum numero forte LXX. ex oppugnantium procul dubio pluribus.

Pons Nissi ab hoste concrematur.

6. Sept. Pons Nisso impositus, urbemque suburbio jungens vi ublati ab hoste ignis evertebatur.

Rector & Symmista exeunt, Electo-

7. Sept. in castra abeunt Christoph. Lichtnerus Symmistes, & Dav. Vechnerus Scholæ

R, sub-

rem rogantes de urbe non evertenda. R. subjectissime Sereniss. Electorem rogaturi: ut in gratiam afflictiss. urbis cum Wankio per conditiones paciscatur. Redeunt ex castris in urbem 9. Ejusd. clementissime & audiit & habiti cum spe urbis sine sanguine in Principis jura rediturae: si Wankius conditiones offerendas amplexus fuerit.

Phaenomenon in coelo visum. 25. Sept. coelo sudo, sole occidente circa sextam vespertinam globus igneus coelo ruere visus, longo tractu igneo relicto: qui momento veluti in Helicen albescentem ab.bat, tandemq; edito geminato ictu, qualis solet esse vel tonitru vel globi e tormento majori emissi, dissipabatur.

Gorlicium Caesareanis & Saxoni se tradit. 28. Sept. extra urbem congrediuntur de conditionibus dedendae urbis acturi, nomine Sereniss. Electoris Georg. Henricus von Bischoffsheim in Legione Arnimbiana supremus Excubiarum Praefectus, & N. von Falckenberg Centurio; nomine Wankii N. Bockius excubiarum in Wankiana Dimacharum Legione Praefectus & N. Mollerus Centurio. Missis ultro citroque conditionibus, excussis, datis, acceptis, convenitur tandem, deditioque urbis ad diem 30. condicitur.

Wankius deserit urbem. 3. Oct. Wankius cum suis urbe egreditur, Arnimbius cum sua legione ingreditur.

Grates publicae ob traditionem aguntur. 6. Oct. Gratiae Deo in Petrino praesente Sereniss. Electore pro dedita urbe, post concionem a M. Christoph. Laurentio, qui in castris cum Electore hactenus fuerat, habitam, publice aguntur.

Die 13. Oct. Castra moventur in Silesiam, Sereniss. Elector Dresdam abit.

1642. Novus Consul. 13. Jan. quod per obsidionem commode Senatum in hanc rem cogere non licuerat, D. *Paulus Scipio* Consul creatur, in numerum autem Senatorum *Mart. Schultzius* Lemb. *Elias Richterus*, *Georg. Sommerus* Noremb. asciscuntur.

28. Maj. moritur *Joh. Hagendorn* Med. D. apoplexia an aet. 48.

Incendium domus 85. in cineres redigit, it. templum Nic. & 14. Domus extra urbem. 26 Aug. circa primum quadrantem primae pomeridianae incendium oritur urbi funestissimum. Egressum ex aedibus Malachiae Schmiedes pistoris in longae plateae aditu orientali, vento valido subortо, sic sese in vicinas plateas effundit, ut spatio duarum horarum in cineres redigeret domus 85. & in iis 28. jus coquendae cerevisiae habentes. Tam autem licenter grassabatur, ut turri Nicolaitica per fastigium mire deformata, ultra urbis etiam muros se efferret, & in Nicolaitico suburbio domicilia 14. ipsum etiam Nicolaiticum templum corriperet, vastaret. In ipsa urbe duo perierunt sequioris sexus homines, & tertio die post ruina muri de aedibus suis residui Gabriel Pauli civis.

Primarius obit succedit Andr. Helvvig Symmista. 23. Dec. moritur *M. El. Theodorus* Primarius aet. 61. Succedit ex symmistis *Andreas Helvvigius*: in locum autem a functione Ecclesiastica vacuum ultimum asciscitur *Dav. Vechnerus* scholae juxta cum M. Mart. Mollero hactenus Rector.

24. Jun. sub ipsa pomeridiana Concione incendium oritur in Thomae Heintzii, civis in novo foro posticis aedibus, oblatum ne an fortuitum, incertum. Considebant ejus vi in cineres aedes 21. & in hisce 6. jure Zythepsias gaudentes. 1643. Incendium corripit 21. aedes.

4 Jun. moritur *Andr. Helvvigius* Prim. aet. 79. 1644.

Surrogatur *Christoph. Lichtnerus* Archi-Diaconus, Lichtnero *Helvvigius*, Helvvigio *Vechnerus*, & Collega asciscitur Elias *Meurichius* Laubanens. tum Pastor Penzingensis. Primarius obit, succedit Archi D.

Cal Sept. *Elias Dietrich* JCtus & *Tob. Schnitterus* Senatorio ordini ascribuntur. Novi Senatores.

23. Mart. *Cunradus Reinhard* von Callenberg Baro Moscoviae &c. a Sereniss. Electore Saxoniae Pro-Marchio Lusatiae superioris renunciatur. 1645. Novus Promarchio.

Die Aegid. *Greg. Scheffer*, *Nic. Ranisius* Dresd. Senatores creantur. 1646. Novus Consul.

D. Aegid. *Georg. Endermannus* primum Consul, *Dan. Richterus*.

Judex, *Paulus Greg. Schönius* Med. Practicus Senator designatur.

14. Jun. Cum Sereniss. Elector jam Neuter in armis esset, neque Caesaris, neque Svecorum, Generalis Svecicus Arfvvid Wittenberg von Dobern cum copiis suis ex Silesia redux, per Nissam hac transit, itinere Parnassum versus flexo. 1647. Sveci transeunt urbem.

Mense Jun. & subsequentibus restaurari coeptum templum Nicolaiticum potioribus sumtibus per Collectas, diversis vicibus e suggestu indictas & rogatas, a civibus impetratis. Templum Nicol. restauratur.

16. Aug. turricula anterior versus ortum, sequenti autem versus occasum a Christoph. Köning e Neapoli vicina Bohemica, Templo imponuntur, globisque suis & tritonibus decorantur, schediasmate rei indice turricolae majoris globo seu petaso immisso. Turriculae cum globis ei imponuntur.

1. Jun obit *Francisc. Forsterus* Consul quater. an. aetatis 67. 1648. Consul obit.

Mense eodem prope Curiam sub monetaria officina, (uti olim vocabatur) novum pro hospitibus vinum bibituris triclinium struitur. Novum triclinium vinarium struitur.

Sed & eodem mense subsequentibusque pergitur in templo Nicolait. ad usus sacros aedificando, nonnullis ex civibus, opificibusque fenestras, fores, sigillatim Heredibus Forsterianis ex ultima Parentis voluntate subsellia pro Senatu, Joh. Straphino cathedram sive ambonem, Dav. Tielischii vidua hedras pro Verbi Ministris, suis sumtibus curantibus. Pergitur in aedificando templo D. Nicol.

Die Aegid. *Dan. Richterus* primum Consul; *Christianus Theophili* Senator, creatur. Novus Consul.

4. Dec. Sereniss. Elector 24000. uncialium, quo Svecis ex pacto satisfieri possit, Ordinibus Lusatiae superioris imperat, sed subjectissime rogatus in 18000. certis pensionibus numerandis tandem conquiescit. Elect. Sax. 18000 unciales Svecis solvendas Lusatiae imperat.

1649. *Rector obit.* 9. Mart. *M. Mart. Mollerus* moritur æt. an. 63. Rectoratus 16. Præceptoratus in Schola 33.

Structura templi Nic. finitur. Mense Apr. Templi Nicolaitici structuræ colophone imposita Senatus Decreto 16. ejusd.

Templum Nic. restauratum consecratur. Idem solenni concione a primario urbis Concionatore divino cultui dedicatur.

1650. *Elephas hic spectandus exhibetur.* Uti superiori anno leo, sic 30. Mart. hujus & sequentibus aliquot diebus elephas fœminei sexus, nunquam hac urbe visum animal, spectandum exhibetur.

Duæ cohortes Sax. abeunt Lipsiam. 4. Jul. duæ illæ vexillationes ex Arnimbiana Legione, altera Kufferiana, altera Becciana, quæ hic in quintum annum hospitia continua habuerunt, Lipsiam ibant.

Festum Evcharist, ob pacem celebratur. 1. Aug. mandante Sereniss. Electore pro pace restituta publice in Petrino triplici concione gratiæ aguntur.

Milites Sax. sacramento exolvuntur. 11. Oct. Liedlosiana cohors a Promarchione Callenbergio in pascuis publicis ante[illegible]m sacramento exsolvitur.

1651. *Cohors Dimachatum exauctoratur.* 20. Mart. cohors Dimacharum (Dragoner) quæ ductore Taubio superiori anno 23. Dec. in urbe hospitium sumserat, Budissinam abit, ibidemque exautoratur: quo pacto urbs per commemorabilem Dei gratiam vacua a milite, cui tot annos hospitium dederat, esse cœpit.

Magnum templi æra slum effringitur. 24. Jul. circa 4. vespertinam in Petrino cista sive arca illa major ad summam Aram prope satis seris repagulisque munita, in quam nummos in eleemosynam immittunt Christi convivæ apud cœnam, itemque Neonymphi cum hospitibus suis, effringitur, & quicquid nummorum inerat, per audacissimum sacrilegium aufertur. Latuit sceleris Autor in decimum usque mensem: quippe quem sequens annus patefecit. Erat autem is Joh. Hermannus Rotmüller, Mindensis Westphalus, Rhacocosmetes, panni exornator, vulgo Tuchbereiter, qui per aliquod tempus hic loci suam exercuerat operam, cum nomina passim apud multos multa hic fecisset, sacrilegio etiam ante dicto se polluisset, abit hinc: cumque Goldbergensi molitori sex porcos abegisset, deprehensus capitur, & abiegatus convictus, cum sacrilegium quoque Gorlicense conscientia impellente fateretur, Goldbergæ 23. Mart. A. 52. capite plectitur. *Sacrilegus Goldbergæ capite plectitur.*

30. Aug. curantibus Georg. Endermanno Consule, & Job. Georg. Paulitz cive, *Xenodochii ad Sp. S.* Patronis, initium fit restaurandi templi, quod olim Xenodochio ad pontem Nissenum oppositum fuit. Confederat istud in cineres vegrandi A. 1525. incendio, ex quo tempore usque ad hunc annum atque adeo ipsos annos 126. in ruderibus sepultum jacuerat. *Xenodochium ad Spir. S. restauratur.*

URBIS
GORLICENSIS
DESCRIPTIO
IN HONOREM AMPLISSIMI SENATUS GORLICENSIUM
AUTORE
JOACHIMO MEISTERO
1550.

GORLICII famam perituro carmine vates
Exigui canimus, quondam quod divite cultu
Felix divitias potuis sprevisse potentum
Fune minax, gladioque ferox, pœnaque timendum,
Vel cruce vel flamma, vel cæco carcere sontes
Tollere, & ense truces velox abolere nocentes.
Nunc gemit amissos, quod vendicet alter, honores:
Phœbe vale: celsa nolim te avertere Cyrrha
Indignusque Deas sacrarum Phocyde vatum,
Vos satis urbis honos, vosterque sacerque Senatus
Et tu, quem sequimur cœpti mihi carminis autor.
Vos satis ad vires. Vos mea Pieris ito.
Est regio latis vicina Bohemia terris
Tangit, Lusatiam veteres dixere coloni
Qua vides emersi nitidos Hyperionis ortus
Prætexunt latus umbrosi pineta Silesi
Proxima (qua Calabar dominator fulminis Auster
Imbre ferit) loca musicola coluere Bohemi
Divitiis gens clara, feracibus inclusa terris

Sen

Seu Cereris dotes, seu Bacchi vina requiras
Hesperios mittit Zephyros, aurasque tepentes
Misnia, turritum tollens caput alta, metallo.
Vincta pedes, veriasque gerens in corpore merces:
Sed qua Mænalia Boreas ruit horrifer Arcto;
Uda paludosis contingit Marchia terris
Hic, qua vicinos spectat suprema Bohemos,
Pagus erat quondam, quem crebra densior umbra
Silva coronabat, positisque per avia tectis
Nobilitas; vitam cui mors tolerare rapinis,
Rura renitebant & amœno gratia vultu
Nec deerant montes, proceraque montibus arbor,
Nec gelidæ valles, vitreaque in vallibus undæ.
Ipse pater vitreo madefactus flumine cautes
Præruptas Nissus, tingitque sonantia saxa:
Tum nebulæ campis nulla, non terra mephita
Putris agit, diroque furit Canis æstifer igne.
Assurgunt hortis, agrisque virentibus herbæ
Quas nec Penai noverunt Thessala, Tempe
Nec legit Enna tuo Cereris Proserpina rure
Immunes morbi mitis clementia cœli
Agricolas facit, optataque vigent in corpore vires
Hæc perspecta viris, mox qua signabat aratrum
Surgit opus, stupuere rudes nova mœnia terræ
Nobile nunc celso surgentes aggere muros
Gorlicium tenet, atque urbes sibi fœdere junctas
Vincit ut alituum Veneris Regina volucres.
Nam quod opes tuto dubiis committere terris
Mercator possit, nostra virtute peractum est,
Scilicet ut primis inclusa mœnibus urbis
Jura Senatus habet populi, mox vindice dextra
Horrida in effrenes ultor capit arma latrones
Prima salus urbis: Nam circum cæde madebant
Ruraque & exanimes pendebant arbore trunci:
Squallidaque innumeris albebant ossibus arva.
Quin loca plena metus, crebraque voragine campi,
Auri Sacra fames: stimulusque audacis egestas:
Impositaque altis prædonum collibus arces:
Non tutas fecere vias: nec prima rapinis
Cœpta malis possunt, furiisque obstare nocentum:
Ut nova quæ teneris coalescit frondibus arbor
Ventorum rabiem cedendo, animosque fatigat:
Dum valido firmi subsistant robore trunci.
Sed tamen aerii decrescunt vertice montes,
Cum sola dejecta planxerunt culmina turres,
Caduntur que truci prædonum colla securi:
At non ultores populi, nec tollere ferrum,
Assuetas præda dextras potuere nec ignis:
Furta, neces, raptus longos mansere per annos.
Quondam autem vires auxit Respublica magnis
Divitiis, domuitque opibus, gladioque Latrones.
Tot pagi, agricolæ, vici, castella; nocentum
Accessere neces: celeres equitumque catervæ,
Impiaque armata prædonum in bella cohortes,
Non ego, quæ Virtus, latronum excindere gentem,
Expediam, nimium nobis temeraria Musa es;
Si procul a prima repetes exordia fama:
Hoc satis est: propriis privatam viribus usam
Sævo principibus regnata per oppida ferro
Armatos posuisse pedes: quæsita nocentum
Donec ad immites traherentur corpora pœnas.
Ipsa mihi testis piscosis Marchia terris,
Territa sæpe foro gladiorum luce corusca
In medio: præbens armis loca pervia nostris
Tum rigida nullus raptores pendere fures
Justitiæ modus: hic laqueo perit, ille securi,
Ponit hic obscuro cruciatam carcere vitam,
Mille modi lethi, latronum funera mille,
Extulit optatos donec pax aurea vultus.
Pace colunt agros, includunt sepibus hortos:
Sumit adoptivos truncis, & cortice fœtus
Arbor, & inserta mox gaudet frondis honore.
Hinc votis ager agricolæ, cultoribus horti
Respondent, profudit opes cum divite cornu
Copi ,sive agris: seu pleno fœtibus horto.
Nam superet fœta vicina Bohemia terra
Quæ tellus nostris pomaria conferet hortis?
Quid varias herbas referam? violasque rosasque
Narcissum? baccasque rubrique comas hyacinthi,
Chrysocomen, calthamque, potens & Smyrnion agris:
Pentaphylonque jubarque tuum, quod flore sequaci
Phœbe petit, casiamque levem, roremque marinum
Intybaque & quicquid dives Medicina requirit?
Aspice mater opum, vario se germine cingit
Tellus arborei nativo flore renident:
Aspice & extendunt ridentia brachia rami:
Aspice quos fundunt gemmantia prata colores
Ipsa suas felix miratur Gratia dotes,
Decurrunt tenui per valles murmure rivi:
Nec gelidi fontes desunt: surgentia tecta
Cernis? & aratos cancellos postibus atris?
Curvatos arcus, cæsoque sedilia saxo,
Intus habent, nitidoque domus se fornice pandit:
In medio labrum, gelidos cratere liquores
Continet, & vitreo surgit pede cærula lympha.
Cum furit ignivomus Cancer, cum Sirius æstu,
Frigora, flammiferis & opacas solibus umbras
Captant, & positis celebrant convivia mensis.
Tunc aliquis noster peregrinis hospes ab oris
Naidos abstrusæ strepitum vocaliaque ora
Haurit & unde queant miratur currere lympha.
Hospes ad hæc, quas quæris aquas, en tollite mensas.
Hospes habes: plenamque mero spumante lagenam

Extulit, & nymphis sacrum libavit honorem
Ille cavo gelidos latices consurgere saxo
Miratur, tenui dum saxea fistula rivo,
Excedant ne claustra, vehit crescentibus undis:
Excipiunt alta vivaria proxima fossa;
At non divitibus sunt delectamina solis
Ista, venit quadam non aspernanda voluptas
Hinc aliis: viridi circum de cespite surgunt
Scamna: super rari lenta de vite racemi:
Aut annosa nigris tabulatis imminet ilex:
Aut aliquod sed non suffultum marmore tectum.
Pomiferum caput Autumno Pomona revincta
Cum exerit: in numerum longo stant ordine trunci
Ingentes: motisque pluunt sua poma flagellis.
Tot Phrygias non Ida abies, non Manalus ingens
Tot pinus, flavasque ferunt tot Gargara messes
Tam varias species videas, gratosque sapores,
Et nitidum forma decus & non nota Latinis
Nomina, non desunt miserorum munus amantum
Mala, rubere volet, face, seu pallere Dionet,
Qualia clara Cydon cana legit arbore, Bacchi
Munera non desunt & pampinus educat uvas,
Persica tum cœna primordia, laxaque sorba,
Castanea hirsuta, regumque superba coronis
Mespila, juglandes virides & cerea pruna,
Prunaque qua nunquam vidit fœcunda Damascus,
Hinc cerasi tot poma brevis, pyra mustea, glandes,
Cuncta ferunt tremulis fœcundi frondibus horti:
Tum decus & positus adduunt, rerumque colores.
Cedant Alcinoi, cedant & Adonidis horti,
Hesperidumque, maris quos ingens flexus obibat.
Quid memorem culeasque domos, ludosque decentes?
Cum strepitus gratis mutant secessibus urbis.
Qui vero ferum fructus conduntur in annum?
Hortorum sed amans nimium mea Pieri, gratas
Linque tamen sedes: picti viridaria campi.
Urbs referenda tibi duplici quam mœnia ductu
Claudunt, & certo distincta limite turres.
Interior propius murus consurgit Olympo,
Subjectam superat vix alter culmine fossam:
Multa utrumque tenet munitio, multa rotundos
Deinde super tormenta globos torquentia, cœlo
Ac si explosa cadant luctante tonitrua vento.
Regius & quæ præterea tulit arma satelles,
Arma globos, clypeos, gladios hastilia gessa
His privata bonis, vario tamen undique cultu
Munda nitet, surgunt speciosa civibus ædes
Sumtibus educta magnis, domicilia regum,
Immensasque ducum referent et limine sedes,
Fronte minus nitida reliqua, de more vetusto;
At quibus apparent perfecta luxibus intus;
Sunt illic pictaque trabes, laqueataque tecta:
Et testudineo surgit curvamine fornix
Tum latus aut nitidis texunt tabulata figuris,
Aut aulæa, manus vel qualia Belgica docta
Pinxit acu quondam, nostris ars major ab annis
Haud procul interiore domus in parte remota;
Sunt gelidi latices, salientes fistula rores
Fundit, & excipiunt ligno saxove cavato
Labra: natant varii lintris per concava pisces:
Quos vitreos fulvis Nissus submisit arenis,
Nissus inexhausto multo piscosior amne.
Sed non arte magis culta, quam marmore firma;
Ne quis casus ope violentus & hauriat ignis.
Tum nitidas Reges capiant habitare, superbi
Si non despiciant mensasque domosque Minorum.
Privatis opibus testes ha: publica versu
Quo rapitur? dicamne prius structusque meatus
Sub terra? longis ductasque canalibus undas?
Anne domos? & cœlicolis sacra templa per urbem?
Aut sacer augusta quam reguet in urbe Senatus?
Heu cadit ingenium, vires sub pondere magno
Musa negas, tantos (ignoscite) ferre labores
Invalidus nequeo. Quis enim prudentia dicat
Pectora? Consilii in rebus spectacula summo.
Vidi tot sordes, (si sordida digna Camœna)
Egestas alibi, vitiatas inficere auras
Unde graves morbi, gravis inclementia cœli,
Ergo bona ut sano vigeant in corpore vires
Hoc cautum nobis: sanos autoribus artus
Debemus, sanamentis vivumque vigorem.
Praterea ingentes arcus, serpentia terra
Brachia, & obscuros tacito tegit aggere flexus
Hi sorbent tota quodcunque excernitur urbe
Hisce fluunt sordes rivis, qua mœnia fossa
Excipit aut gelidus, qua præterlabitur amnis.
Namque domus nulla est, qua non tellure refossa
Et testudineo, sit libera sordibus, arcu.
Credo ego luciferum timuere exterrita manes
Lunatis testudo graves umbonibus ictus
Sustinet, injecta ne quid labatur arena,
Quæ se ausit nostra componere talibus urbi
Sive peregrino, seu nostro notior orbe:
Seu fontes dicam consurgunt saxea septa
Innumeris spectanda globis & marmore secto
Tollit imaginibus cœlo caput, alta columna
In medio: spumante madens aspergine saxum,
Crebra hominis, fulvique leonis imagine crebra,
Qui nitidus rutilo, capita inter, lucet ab auro.
Rictibus humanis tenues compressa liquores
Fistula profundit, patulo cratere refusa
Unda sonat, crebris manantque canalibus unda
Tales seu fontes seu quis castella vocare
Malit, habet dives cunctis urbe plurima rivis

Lignea

Lignea sed simili nec cuncta parata metallo
Nec salit unda loco, quo Pyramis exit in auras:
Sed longo tacitam deducit fistula tractu,
Vallis amœna situ est, florenti vertice circum
Mollis Oreas habet, nymphæque per avia sedem,
Vidi ego Pympliades geniali cingere serto
Tempora, ludentemque chely nova carmina Phœbum,
Hic gelidi fontes totam quibus unda per urbem
Labitur, abjegnis diffusa canalibus, ætas
Nostra velut longis derivat ductibus undas,
Fama est, aquavas juvenili ætate puellas
Absentes olim rigidi Mavortis in armis:
Hanc flevisse fera confectum morte parentem:
Hanc patruum: amissumque virum hanc: illam superatum
Germanum: sponsumque aliam: dulcemque sororis
Progeniem hanc: illamque suam cecidisse sub hoste,
Nec lacrumis fletuque modus: tenuata videres
Corpora & in tenues vanescere membra liquores;
Nunc liquido fontes manant pede, totaque fusis
Urbs fructus lacrumis, & fletibus uda madescit.
Sed nunc templa Deum & totam delubra per urbem
Quæ tam Musa ferox? Quis carminis autor Apollo
Dicet? & ipse mihi (veniam date) cæcus Homerus
Græciaque & Smyrna non sufficit altior Andes.
Quis DEus hos nobis indulsit numine dextro
Artifices? his terra parum: convexa referret
Sidera, marmoreis totumque sub arcubus orbem.
Quod prius ergo canam? Num te sublime columnis,
Aut aliud potius, cujus sublimia tecta?
Nituntur cœlo, vel non perfecta residunt?
Difficile omne mihi: num ergo incantata relinquam?
Phœbe fave, sint tanariis innixa columnis,
Nec testudineos arcus quis laudibus æquet:
Os mihi nec balbum superet, viresque negatæ:
Templa canam. Te præcipue cui nomina Petrus
Sacra dedit Galilæus, opes, aurumque Senatus
Sed neque Pyramidum miracula prodiga moles:
Nec Mausolæum, domus Elaique tonantis
Vicerit hoc fama templum: non Roma, nec Argos
Quiquid & antiquis divis fortuna locavit.
Hæc loca non, falsis impleto laudibus orbe
Dixit fama, nec affinxit mendacia Phœbus:
Non lapides aurumve levem quæsivit honorem
Sed manus artificis fatum. fortunaque dives
Certavere, sedent ars, ingeniumque sacello.
Hinc opus egregium laudes æquavit Olympo,
Hinc fluvii qua Nisse tui, constrata metallo
Culmina, candentes, triplicique cacumine turres,
Non se fana Deum, sed regia limina jactant,
Hic & vestibula atque impositæ vertice turres,
Et decor, & pulcher per templa nitentia cultus:
Aurea non desunt altaria, & aurea templo
Pignora, non dives longo deest redditus anno.
Non latus esse capax patitur, non lumina nunquam
Pascit, Apelleos superans pictura colores.
Adde tot effictos vultus, spirantia signa,
Tot distincta locis immania saxa, columnas:
Linea quosque trahit summa testudine flexus.
An prius ut surgat moles, sidatque columnis?
Anne graves arcus? triplicem te maxime? Vosque
Dividit ut, referam, binos mensura minores?
Effugiant aciem? populoque immane minentur?
Atque loboratam magnis sudoribus artem?
Fornice, qua variis serpunt vaga saxa figuris,
Suppositumque minus magni fert pondera fani.
Hoc structura decens, majestatisque verenda
Ostentat facies, manus & nitida arte magistra:
Hoc opus omne virum, turres, aurataque templa,
Magnificasque domos regum, convexaque cæli
Deprimit: hoc lapides, gemmas, flavumque metallum,
Delicias urbis, stulti miracula mundi,
Quæ veterum, interitum superantia carmina, Vatum
Victuris longum chartis recinere per orbem.
Salve sancta domus Divum, pulcerrima templa,
Culta domus: tibi, si, qua mihi fortuna canenti
Hac melior: laudes, operosaque carmina felix
Olim perpetuo descripsit pagina versu.
Sed ne cuncta canam, quæcunque sacella per urbem
(Seu Mariæ sedes, seu Diva nominis Annæ,
Structura, artificique manu cessura parumper
Nostro quod cecini, reliquis majora per orbem:
Sive feræ superatoris monumenta Georgi
Quæ exigua in speciem, fragilique innixa columna,
Sustentant, sive arte tenus, seu fornicis arcta
Clavigeri senis immensam testudine molem)
Quo calor ille rapis? Generis laudesne superbi
Moliris? num sola rapis quod jactat Idume?
O nimis angusto conclusus limite fandi;
Sed ferimur pedibus, dictamque relinquimus urbem
Plura reversuris restant. Videone cruentum?
Sangvineo Christi fuso de corpore rore.
Cum scelus (heu!) nostrum cruce suspendisset ab alta,
Regnatorem Erebi, cœlique hominumque genitorem

Et mundi, retinetnoruber vestigia rivus,
Squallidus & nobis tristi meas agmine Cedron?
Quavideomonumenta super? Monumenta, sacellum
Eductum cœlo, nitidum, de marmoro secto,
Et longo ascensu supra sublime theatrum.
Quid? funtne ista mibi memoranda palatia, Christus
Quis sua bis sævæ moriturus membra catervæ
Exiguo sub pane dabat, sanctumque cruorem
Vina salutiferi referebant mystica Bacchi.
Hic & mensa DEUS supremus qua sator orbis
Libavitque dapes: dixitque novissima verba;
Signaque: cum lino cinctus latus, uda Magister
Ima pedum, gelidis famulæ vestigia turbæ
Lavit aquis: sacrum divini munus amoris.
Et tabula modus inscripta, distantia dumque,
Inter ligna, cruces discreverit ordine ternas,
At paries cur fissus hiat? num damna dedere
Annorum series aut cum sæviret ab alto
Tempestas: rutilaque DEus fera fulmina dextra
Mitteret, atque coronatum de corpore ligneo
Et caput excuterent & Christi fissile pectus
Transirent alio victricia tela lacerto
Fallor? an hæc scissa mœstissima rupis imago?
Cum tremeret tellus turbata doloribus ingens,
Indignata suum gremio accepisse parentem?
Nil annorum ictus, nil tela trisulca tonantis
Imminuere, nec antiquis perit ignibus ustus,
Artifici natura opera manus æmula rupit:
Ut fluerent lacrumæ miseris: si saxa peremti
Interitum tristem factoris, & omnia flerunt.
Haud procul inde, solo nati projecta peremti
Ad pia membra gemit, felixque miserrimaque una
Virgo partus: natique tuens exangve cadaver,
Vulneribus vultus figit, lacrumisque madescunt
Perfossæque manus: latera & vestigia plantæ:
Militis & crudele patenti in pectore vulnus.
O quos non gemitus? quos non mæstissima questus
Pectore virgo Dei solvisti in funere gnati?
Non talis quondam saxo Sipylcia mater
Obriguit, Phœbi septem cecidisse sagittis,
Cum vidit septem (miserum) sua pignora natos,
Hinc tumulus, quo dignatus jacuisse sepulchro
Quem non astriferi sublimis machina cœli:
Non tellus ingens, non caui curula Nerei:
Aut campi prendunt magnum per inane liquentes.
Ferratos postes rodiens ex æquore Phoebus
Aspicit: ante ipsos viridi tellure per herbas
Aspera saxa jacent, orasque latusque sepulcri
Contingunt duo, directusque intrantibus inter
Saxa patet trames: Medium premit ardua campum
Transversum moles, majori qua obice quondam
Muniit & revoluta, graves patefecit hiatus,
Cœlicolæ manibus juvenis sanctumque sepulcrum,
Cum victor mortem temnens, faucesque barathri,
Per vigilesque greges: perque aspera vincla redires.
Aspectus longe venerabilis & sacer: omnis
Quadrato constructa gravis de marmore moles.
Principio, latere angustas ultroque fenestras
Exhibet, & tenuem admittunt penetralia lucem.
Pars teres ima coit, tereti distincta columna,
Quam super arcus habet, nectens distantia saxa
Tum non incumbunt alicujus culmine tecti:
Marmore sed tegitur, paulumque excrescit in altum
In medio: supra vastas se tollit in auras
Nixa columnarum serie: non culmine longo
Turricola astra petens, sed tecto obtusa rotundo,
Vestibulum intus habet: magnum ceu rupis in antrum
Excisa, tenui monumentum poste subitur:
Forte capax bis sex hominum: testudo sepulchri
Marmorei, & solidi compactus fornicis arcus:
Luminibus cernens vix ut discernere possis:
Quadratone satet saxo constructus, an alta
Excisum ferro latus ingens, rupis in antrum.
Quid Mausolæi sumtus annosa sepulcri
Immensa jactas ad sidera laude vetustas?
Non minor est nobis tumulo quoq; gloria parta
Quem posuit, mansura sui monimenta per ævum
Nititur & terram claudit circumflua Thula.
O qua non ponto, terraque pericula passus
Emericus patriis ut talia conderet oris.
Ille manu parva, infido se credidit alto
(Namque vias, urbes, terras, gentesque referre
Præteritas longum, sibi nec nimium mea fidis
Musa, novas cauta ire vias: quamvis levis audet
Nunc quoque rimosa falsos trabe currere fluctus)
Donec agens Syrii navim per marmoris æstus,
Ferrato fodit rostro fugientis Idumes
Littora: stagnantisque bibis Jordanis ab amne.
Cura fuit, quæcunque polis dominator obisset
Telluris loca, præcipiti legere omnia planta,
Seu Tyrio madefacta venit qua lana veneno,
Mœnia Cæsarea, Ptolemaida: seu juga celsa
Carmeli, suppostaque culmina, seu Galilæos
Fines, Tiberiadis agros, urbemque Jericho.
Et Solymas arces: dira superantia mortis
Tum monumenta videns, relegensque per æquora cursum
Tethyos undisona, Europaque per aspera regna,
Condidit hæc monumenta sui: Quo verius autem
Exprimeret, secum per casus duxerat omnes
Artificem, qui docta isthæc patria arte referret.
I nunc & nostro Solymum præferre sepulcro

Ne

Ne dubita. Poterasne tuo patria esse superba
Emerico? Qui non solum hac sed plura reliquit:
Ausus ab interitu nomen patriaque suumque
Et loca senta situ defendere; maximus autor
Quicquid ubique boni nostra modo cernimus urbe,
Huic debent alimenta sibi quod præstita pauper
Turba, quod a sævo defendant frigore tecta.
Huic urbs quod cœlo tectis æquata sacella
Bis septem taceo pagos adesque relictas,
Immensum fulvi pondusque nepotibus auri.
Divitiis famaq; potens; sed quo tamen ista
Transtulit o Fortuna, & inevitabile Numen.
Quid prodest si divitiis post omnia ponas?
Vix quondam has alter, vel tertius obtinet hæres.
Nilve adeo firmum & paucos durabile menses,
Nil firmum trahet ipse polus, mundusque ruinam.
Emerici longum sed vivat fama superstes.
Donec erit, qui juncta ferat niger Odera Nissi
Flumina, donec erit, tumulusque & templa superstes
Sed fessæ pelago stringamus vela carinæ,
Restat iter, nec ferre salo potis illa labores.
Hæc, sat erit, quanquam restent mihi plura canenti;
Tot turres quot portæ urbis, tot templa, forumque
Quod, quæcunq; velis, ceu pleno copia cornu
Fundit, & exigua vendit stipe, sive quod horti
Seu pisces carnesque voles, magno omnia nobis
Proventu fortuna potens largita, DEusq;.
Artificum referam numeros? habitataque muris
Non inclusa urbis saxo firmissima tecta?
Utq; suum populosa nequit concludere civem?
Et placidos populi mores? divina juventæ
Ingenia (heu lacrumæ) nisi frugem fata negassent?
Quid? quod munditiis nitidas prævertitur omnes?
Namq; fimo vel sorde alia, quæ maxima nostri
Orbis eget: sola hæc exclusit mœnibus urbis,
Atq; armenta suis laudabilis abdidit agris.
Salve, urbs, salve, alia cantari digna Camœna:
Quod mihi si divæ favissent numina Musæ,
Ociaq; & pauper, curisq; exercita virtus:
Debita magnarum ferrem præconia laudum.
Talia de vestra cecini sacer ordo Senatus
Urbe, decus nostrum: sed inepto gratia versu
Nullaq; & adversus leges invidit Apollo.
Quod mihi, si magni facundia nota Maronis,
Seu Tulli, magno ore, decus laudesq; referrem:
Urbs celebris: quin prima tuum nomenque genusque
Pagina multiplici caneret mea laude, Senatus.
Nec sine te magnas tentasset Thetyos undas,
Sed vitrei parvo lusisset flumine Nissi,
Cymba prius placidos amens ausa iste lacusq;
Adde quod haud tristi regnet facundia vatum
Pectore, rugosa sedeat nec fronte Camœna:
Nec vinosus aquas in carmine laudet Apollo.
Sit requies musis, & fautor, amabile Phœbus
Annuet in vestras laudes mihi tempore Carmen:
Tunc ego non humili canna, Vos, Vestraque dicam
Mœnia, at insigni penetrabimus æthera laude.

Joach. Meisterus.

Lectori.

Velabam tenuique rudem velamine Musam 1.
Inque DEus varias serta legebat opes.
Accessit, sparsisque comis, positoq; nitore, 2.
Taliaq; autori Calliopea suo.
Ante hac neglectam, quod inani comere cultu, 3.
Quid juvat in talos veste fluente legas?
Nec cupis esse super quæ scribis, novimus in te 4.
Contemtorem animum plebis inertis habes:
Vel condas meliora: sed en tot publica, comtis 5.
Quam incomtis melior nullus habetur honos.
Dixit: ego iratus, tuleram quod crinibus, aurum, 6.
Quod tereti collo grande monile super.
Denique quæ capiti vel serta vel ostrea membris: 7.
Quas patulis gemmas auribus abripui:
Incomtaq; sacro, dixi, spectanda Senatu, 8.
Nec quo quam posthac tersior ire voles,
Erubuit. Sed tu incultam ne læde puellam 9.
Spectator: quis vult, si placet illa, satis.

Ambitus murorum cingentium urbem Gorlicensem est Ulnarum 3680.

Görlitz in Ober-Lausitz.

Magistri Artium Valentini Polidami, Poëtæ Laureati ad Prudentiss. Dominos Consules de laude & cultu Urbis Gorlicensis Panegyricum Carmen. 1518.

Hæc urbs immensum volitat famosa per orbem
Gente potens, gazisque gravis, Mavorte feroci
Pollens: quam felix pecorum, felixque ferarum:
Thracum frugiferis Arabumque feracior arvis,
Ac frugum nutrix patulisq; ornata viretis
Ingenti muro circumdata, turribus altis
Ornata, immenso & vario munimine fulta,
Lætaque gramineis pratis: & pingvibus hortis,
Et nulli terræ frugum bonitate secunda
Alma Ceres cui commisit sua pignora chara
Aut tribuit segetes latas: aut paret avari
Agricolæ votis: proventibus horrea rumpit
Plenaque longarum flaventia serta Comarum
Erigit ad cœlum, crispatas gestat aristas;
Hic quoque triticeam messem: hic grandi hordea culmo:
Hic vites, pictasq; fabas, hic plurima pisa
Hic teneræ largos calamos progignit avenæ,
Aut lini segetem aut perfusa papavera somno,

Humanus quacunque legumina postulat usus
Alma Ceres gignit, fœcundis omnia glebis.
Passim magna boum silvis armenta vagantur
Forma boum, quibus est caput ingens, maxima cervix
Tum lateris pingvis longissima viscera pendent:
Jamque crura tegunt palearia: grandeque collum:
Omnia sint sine tum vibrato examine membra:
Floret equis generosis hac uberrima tellus:
Illis densa juba, atque insigni fronte decora
Cervix, argutumque caput, & pingvissima terga,
Eximius spadix, animosum pectus & alvus
Non longus, patula nares, color optimus illis
Tum placido nullus ventri modus, omnia pulchra,
Os etiam spumosum: etiam velocia crura:
Ungula dura, aures modica, clunesque rotundi:
Caprigenumque pecus viridantia gramina campi
Carpens Arcadia pastor miratur: & arva
Mænala: grex ovium spernit, silvasque Lycei:
Non desunt Dryadum resonantia murmura circum,
Qua curvis teneant densissima tegmina ramis,
Cornigeris audax tendentia retia cervis
Carpophorus ponis: timidas transfigere damas
Auritosque sequi lepores conatur: & apros
Mænalios: dorcacque bison & bubalus adsunt.
Venditur hic paucis nummis genus omne ferarum:
Sint gelidi fontes, sint stagna virentia musco:
Sint rivi circum labentes: fertilis hortus
Annua producit large munuscula frugum,
Hic olus & lactuca recens & brassica crescit
Nec fragrans Satureja savis, nec olentia late
Serpilla hic desunt, nec mensa grata sinapis
Stant circum castia virides: vescumque papaver
Tortus & in ventrem cucumer, longeque comatus
Narcissus, bulbi & lascivi apiiq; virentes.
Nissa haut juxta urbem placidus prælabitur amnis
Ingenti strepitu diffusus marcida stagna
Implet, prata rigat longe, camposque: profundi
Dux Erebi cujus fundum vix comperis: undis
Piscosis oneras piscator retia tensa
Hesperii fluvii septenas piscibus undas:
Et septem gemini velocia flumina Nili
Vincit: cum Rheno pariter pro munere certat.
Hic fora continuo victu sunt omnia plena
Quantum frumenti, quantumque siliginis ipso
Rusticus importat: miratur ut incola sæpe
Nec desunt gelida brumali frigore rapa
Spumosa pultes: redolentia gramina porri
Lascivum pecus: & tenero de lacte colostrum
Ubere de largo pastus genetricis alumnus,
Et perna & petaso, pingvis Lucanica porci,
Agni sunt teneri: crocei sunt ova vitellis,
Improbus anser, anasque bibax, pastique farina
Pullastri, perdixque salax, pingvesque columbæ,
Albus olor, Palamedis aves, turturque tremendus.
Hic grandis muræna, gulosus echinus, obesus
Hic scarus, hic lupus, hic mulus sit, turbaque silla.
Hic Mercatores cernuntur ab omnibus oris
Externas inter geritur merx maxima gentes
Pontica regna ferunt preciosas undique pelles
Gens quoque Sarmaticum glaciali littore pontum
Astringens Scythia Tanais nemorisque colonus
Sarmatia populus cerarum examina mittit
Europæ ac Asiæ veniunt gratissima dona
Aut sapidi mensura croci, piperisve gulosi,
Huc fert Africa tam redolentis munera ligni,
Ac molles præbent soavissima thura Sabæi
Cinnama larga, seges Casia, proventus amomi
Ducitur, & Pharii suadentia vimina Costi
Adsunt ungoentis redolentia balsama multis,
Huc rigidum mittit Minoia Creta falernum,
Huc mittit Corcyra merum: Cadmeaque Dirce,
Pannos egregios Galli: flavique Britanni
Portant: hic murex Tyrius, bombyxque superbus
Coccina sunt vecta: Eois & Janthina gemmis
Sunt quoque Sardonichæ puri; flammisque pyropi
Lucentes: adamas durus; non segnis Jaspis,
Ac sublime decus viridis specimenque Smaragdi:
Hic omnis sit luxus opum, Crœsique Midæque
Hic omnis luxus Persarum venditur, omnes
Divitias emere humanus quas postulat usus,
Hic mercator habet, sunt hic commercia crebra
Ac adeo tangunt præcelsa cacumina cœli &
Picti diversisque coloribus æreque lucent.
Hæc tibi temporibus cunctis memorabile templum
Condidit urbs summi genitrix æterna tonantis
Qua cœlestis origo, & copia magna bonorum:
Qua sis humani generis spes certa labantis:
Nulla quidem frustra momenti præterit hora
Quin populum serves terraque marique vagantem
Tamque salutarem præsenti numine dextram
Præstes; ac miseros fortuna robore quanto
Casus compescas: animi suspiria nostri
Mœsta fuges: mentem cunctis mortalibus ægram
Soleris: duram glaciem de pectore frangas,
Cæcas propulses tenebras tam lumine claro:
Tu nos concilias superis: cœlestia terris
Connectis: vires revocas: favosque dolores
Expellis: spemque ægris & solatia præbes
Adversis hominum subsistis casibus una,
Hoc igitur templo reverentia sit tibi magna
Magnus cultus adest: populique potentis honores.
Colle stat aprico plusquam laudabile templum
Petro

Petro perpetua ſacratum laude patrono
Cœleſti: cui par non eſt ſub ſole: priusque
A populo viſum eſſe nec ullis fertur in oris.
Barbara nunc ſileant veteres delubra Dianæ,
Tanto Pyramidum miracula Memphis honore
Nec laudet, nec continui Babylona labores
Jactent, diſſimulatque Deum ſacra cornibus ara
Ipſum ſidereum amphitheatrum, altumque Coloſſum
Laudibus immodicis populus Romanus in aſtra
Nec ferat: & nec Mauſolea Ægyptia tellus,
Unum pro cunctis hoc templum fama loquetur:
Gorlicio templo nec habet Germania templum
Æquale: Heſperius nec poſſidet incola tale:
Gallia nec pugnax: divesque Britannia nusquam:
Vaſtaque terra Jubæ: bellacis Punica regna
Hannibalis: tumido circumfluus orbis Ibero
Nigris cum Æthiopum populis Ægyptia rura:
Et ſtulti Judæa Dei: belloque potentes
Eniochi, Æmathii campi, Pharſalica tellus
Et dites Cilices, populique utraque vagantes
Armenia vaſta, Nabathœaque regna, Liburnus
Immanis: Latiis infeſtus Cantaber oris:
Quicquid templorum in Borea: vel quicquid in Euro eſt.
Quicquidve in Sephiro, pluvioſo quicquid in Auſtro
Excedit lepido templo mundi omnia templa
Gorlicium urbs claras inter laudabilis urbes,
Prædonesque ſuis nusquam patiatur in oris,
Sed reprimit mox conciliabula ſæva latronum,
Hisque jubet captis fortiſſima ponere loca,
Auri non ſtimulis, non viſo accenditur auro:
Auri captivos redimunt nec munera ſontes:
Sed dignas patitur ferali crimine pœnas
Quisque ſuo: & ſeſe ſpoliat vitalibus auris,
Qui vero rapiunt ſævum non gutture ferrum,
Hos vera ſupplicio ratio fert mortis imago,
Ecce tuas currit pauper divesque per oras
Tempore ſecurus cuncto Urbs juſtiſſima ſemper.
Adſunt innumeræ formoſo corpore Nymphæ,
Quarum virgineo percandida forma columbas
Candentes habitu vincit, cryſtalla lacerti
Vincunt, vincit ebur collum, horti lilia vultus
Candidulus vincit, quibus eſt frons candida tota
Candidulique pedes, candentia viſcera, dextra
Candida, candiduli crines, & candida tota
Membra, quibus cedit cygnus, ceduntque pruinæ:
Magnanimique viri ſublimi robore ſepti,
Ac glaucis radiant oculis, flavisque capillis,
Corpore procero: pariterque audacibus armis,
Claris Conſulibus, doctisque urbs incluta pollet,
Mentis acumen ſit miſſum divinitus illis
Solers conſilium, inſignis prudentia rerum,
Ac velut ingenium cunctis verſatile cauſis.
Quo feror? has verſu lepido deſcribere laudes
Nemo poteſt: ni Virgilium pia Mantua mittat.

ANNALIUM GORLICENSIUM

A FUNDATORE SOBESLAO REGE BOHEMIÆ USQUE AD ANNUM 1595. DECURRENTEM BREVIS DEDUCTIO

AUTORE

ABRAH. GAST SUEBUSIENSI SILESIO SS. LL. STUD. & C.G.

FRANCOFURTI MARCHIONUM
TYPIS EXSCRIPSIT ANDREAS EICHHORN
ANNO 1596.

Nobilibus, Clariſſ. & Ampliſſ. Coſſ. Prætori, Senatui, Populoq; Gorlicenſi S.

NOn me fugit, Viri Nobiles, Viri Magni, futuros nonnullos, qui mirabuntur: quod ego, qui tutius me ſilentii caſtris abſconderim, in publicum famæ campum prodeam, neque tot calumniantium tela ſerio pertimeſcam. Nam fieri ſolet, ut iis, qui ardore quodam ſcribendi ducuntur, invidiæ tempeſtas ſubeunda ſit. Quo evenit, ut

stans in procinctu quosvis excipiat oportet morsus, nisi scuto authoritatis & gratiæ tectus. Idem futurum mihi valde vereor; ut quæ res in scriptione duæ plurimum possint, ea contra me sint facturæ ambæ, autoritas & gratia; quarum altera penes vos, Patres Amplissimi, altera penes Lectorem. Authoritas vestra ne mihi præter expectationem scripturienti male conciliteur, nonnihil commoveor: gratia Lectoris ne crassa hac Minerva offendatur, metuo. Tanta enim Vestra amplitudo, ut saltem magna a magnis, ardua a gravissimis describi debeant: ea vero lectoris mens, ut non nisi singulari quodam orationis condimento mollescat & capiatur. Hæc si cui in re, felicitatis; sin illa, dignitatis est argumentum. Quarum utramque sibi eruditio & usus; neutram mihi ætas comparavit. Nam sedulo cavendum, ne quid per ætatem elabatur, quod ætas repudiet, & minimum ibi insit gratiæ, ubi plurimum debeat. Quid ergo? premendus hic deformis ingenii partus, non promendus? Nihil inficior, nisi aliud æquitas & gratitudo suaderet. Æquum id fuerit, si collatum lubens rependam: grati animi, si memor beneficii, merito id prædicem. Negem vero? me hæc ex medullis Reipubl. & Scholæ vestræ carptim legisse: negem? a magno illo Laurentio, & Cl. Mylio, Præceptoribus dignissimis communicata: non negabo; imo æterna grati animi memoria prosequar, dum hic vitalis in me Spiritus. Latent annales doctissimi Dn. Christophori Manlii Civis vestri, qui suo tempore emergent, & magna in Germania luce versabuntur. Iisdem ex liberalitate dignissimi mei Præceptoris D. Mylii aliquando mihi dati viam quasi stravere, ut tutius ire possem in salebroso historiæ dumeto: ni ille extitisset, neque hic noster labor. Qui licet perexiguus, tamen omnis in honorem Reipublicæ & Scholæ fixus. Cum igitur ea ex lato vestræ sortis campo sint delibata, in quo primordia Civitatis spectanda, ætatum successio, variaque temporum vices, Reipubl. & Scholæ augusta ædificatio; Vestro Nomini lubens merito dedico, Urbis magnæ Magni Senatores; obnixe rogitans, ut benevola suscipiatis manu. Quid ago? informe hoc laboris mei cadaver in curiam irrepet; quæ tot virtutum præsidio munita forsan id a limine arcebit, non spero: licet enim non ita sit reserata, ut cuicunque pulsanti pateat, tamen non adeo clausam opinor, ut eam benignitas aperire non possit. Admittite igitur, Patres Ampliss. hanc ad fores stantem Musam, & sereno vultu intuemini; quippe quæ tota ex augusta vestræ Scholæ visceribus nata, pastu doctrinarum educata, nunc, quicquid habet, acceptum refert huic unicæ matri: fructus, si qui fuerint, Vobis deberi testatur. Valete, & me ad partem benevolentiæ vestræ recipite. Data Francofurti ad Oderam, decurrente 1595. anno

V. A. D.

deditiss.

Abraham Gast, LL. Stud. C. G.

Si fas, pro numeris veniam obtestata urgentis,
Gratia stat vati, ingenuo quem nobilis usu
Fervor inaccessa provexit ad ardua rupis:
Seu caneret Veneris lusus, seu versa cruento
Pergama Vulcano: aut infestis obvia signis
Signa, ducum lituos, mordenti hastilia ferro:
Quis mihi nunc vitio vertat? surgentia dumis
Saxea septa, focos & tecta sedentia ripis
Riparumque toros, structamque e pulvere molem
Si mediter, facilem religans ad verba Minervam:
Intultoque habitu licet, incomptoque capillo,
Deformem intutus pallam, sacra tecta revisam?
Vos igitur Cælo, Vos o doctissima fandi
Lumina, Nate Deo, sacer Interpresque Parentis,
Bis genite, o cui terra, fretum, cui sidera parent,
Tuque adeo, Vigor ignipotens, vigor alitis auræ,
Qui Patris & Nati spirans e pectore flammas
Ignivomas, Deus infundis, per vota, precesque,
Cor, animumque viris, Vos aspirate ministro
Subtremulo, viresque operi indulgete cauendo:
Et pelago date vela truci, vatique per undas
Este duces, inter scopulos, interque charybdin:
Ruptaque divini vivo de numinis amne
Verba fluant calamo, quorum gratissimus usu
Dicar ego, cunctoque extent impressa sub ævo
Signa piæ mentis, lapsuri muneris olim
Nescia, præstantem quæ sit cultura magistram,
Quæ fido hospitiis gremio complexa tot annos
Me Sophia dapibus pavit, mihi turgida verbi
Ubera lacte dedit doctrina, amnemque salutis.
Ergo penes memorem veteris stet gratia curæ
Discipulum: hæc modo carpta damus fastigia rerum.

Ut res Lusatiæ, lapsamque reducere gentem
Cælorum Regi visum; dispostaque sylvis
Tegmina contiguis includere civica septis,
Et premere imperio, & rudibus dare jura colonis.

Primus ab Australi venit generosus Olympo
Sobeslaus agens in prælia, ovida bello
Corda Virum; haud dubius, fato quæ sistere detur
Aut componere opes. Vix prima inceperat æstas
Ipse via impatiens lato vestigia campo
Multa legit, nunc huc, nunc illuc sensa capessit
Arva situ, madidaque locat tentoria ripa,
Hic ubi, Nisse, tuum mordenti vomere Lusi,
Littus arant, sulcosque onerant, atque horrea vincunt:
Tum qua vicinos spectat lata ora Bohemos
Pagus erat, densa sparsim quem varior umbra
Ussit utrinque situs nemoru; juxtaque fragosus
Dat sonitum saxis, prærupto vortice, Nissus
Cinctus agro viridi, agricolis, Drebnovia dictus:

Hic

Hic nebula campis nulla, nec odora mephitim
Halat humus, sepitve quies, frigusque caloremque
Inter, & excipiens cæli indulgentia tractum
Effudit flores, hortisque virentibus herbas,
Aspiratque viris solidas in corpore vires.
Dum favet aura Duci; insistit: mox littore curvo
Præcingit latus umbrosum, qua plurimus unda
Nissus arenam inter, præceps trahit invia lapsu.
Stant urbis causæ, & certi fiducia regni
Sese animis addit; ridenti concita vultu
Spes alitur, populum late regnoque superbum
Venturum auspiciis Divum, sic volvere fata.
Idem omnis simul ardor agit; simul urbis amore
Ducitur assensu unanimi generosa juventus.
Saxa cavant, saxisque struunt immania saxa
Ardentes animi: pars altos ducere muros,
Pars aptare locum tectu, & robora sylvis
Convectant calle exciso: pars grandia trudunt
Obnixi cæmenta humeris; sublapsaque longo
Tecta situ, effossis tentant concludere fulcris.
Tanta laudis erat civilem condere gentem.
Rex genus indocile ac dispersum rupibus altis
Pugnaci insignis dextra & victricibus armis
Composuit domitor; fontesque per avia raptos
Crudeli passim letho metit horridus ensis.
Barbara nam fuerant, nullo frenante virum vim,
Secula, dum rabies junctis effusa catervis
Latronum toto volitaret fervida tractu.
Haud rara annosos quercus nudata lacertos
Cannabe cervicem tortam porrexit, & udo
Ostentans vultu suspensum corpus in auras
Turpe viatori monstrum obtulit: hinc quatit horror
Frigidus ossa, gravique coit formidine sanguis.
Tum videas informe caput cervice revulsum,
Distentosque humeros gelida pallescere arena:
(Horresco referens) quin & manare cruoris
Innocui puteis imbrem: grave olentsque mephitis
Quos nequit ensis, humi prolapsos sternit & aufert.
Non tulit hanc rabiem, mansueta conditor urbis
Vique vias omnes, latronibus exuit antra,
Atque metu saltus solvit: mercator ut oris
Tutius indigenis solitas exerceat artes:
Tum leges urbi posuit: Schorelizque vocandam
Duxit, ubi gemini propugnant æthera colles
Aspice nunc cinctam muro & surgentibus urbem
Turribus, ac lecto dispositos ordine vicos:
Sub laribus quis honor? campis purgata resedit
Et morum feritas & prædæ insana cupido;
Mollis ubi populis curarum diditur usus.
Ergo tanto Henetum structa urbis concita pubes
Nomine Hyperboreis digressa recedit ab oris,
Hinc ubi sæva fremunt, per Sarmata rura coruscis
Ilicibus montes, & Carpathus abjete crebra:
Tum Mysi, effrenisque audaci mente Bohemus,
Farraque subvectant, & merces mercibus urgens
Solliciti: donec proventu divite rerum
Urbs fæcunda satis, justo maturuit ævo,
Gorliciique tulit nomen, mansvetius usu.
Cum melior sponderet opes, fortunaque dives
Hoc habitare loco vicinis visa colonis:
Fama volant Heroa ferit, qua nobilis ævo
Structa sed & Brenni moles, & Lusatis ora;
Hortaturque duces celebrata ad mœnia sedis.
Illic concilio mox confluxere frequenti
Marte atque arte graves; & quod pepigere; vicissim
Obsignant fœdus, capta de finibus ora.
Post aliquot, lustris tarde labentibus, annos
Misnia Cunradum misit; quem legis & aræ
Romanæ coquit unus amor, sterilisque cathedra
Unus amor, Francisce, tua: ceu prisca ferebat
Religio morem & corrupti temporis error.
Ergo tibi hospitium, famulisque cubilia victu
Parca struit, Divumque adolet sacraria thure:
Annua proque focis cultu dare vota recenti
Constituit, priscæ ne legis præscia carpat
Cura fugam, studiumque situ obtorpescat inerti.
Hinc sata Relligio viridi succrevit in horto,
Et pietas animi dedit argumenta faventis
Digna focis, dum consilii maturus, & ævi
Otto tot arvorum mansos & jugera confert
Communi hospitio, seros mansura per annos.
Ibant bis centum volvendis mensibus, anni,
Ex quo conspexit surgentem urbs saxea molem
Tecta super camposque sedens, ubi tristis Erynnis
Irasque insidiasque & semina noxia vitæ
Inque homines pecudesque ruens conjecit; inermes
Peste mala versare lares: urbique locatæ
Funereas inferre faces, & sternere letho.
Omnes errabat mors sparsim fusa per amnes
Nullaque suspectas labris arentibus undas
Libabat quadrupes: præterlabentia tantum
Flumina spectabat trepidans, lethumque petebat
Inde canis fluidum virus vomit: enecat agros
Pestilis aura sues, pecudesque: hinc nescius arvi
Constitit infelix Tauri labor omnis: & omnis
Agricola invisum palo suspendit aratrum:
Proventus frugum nulli: dum deside dextra
Nullam in turgentes cererem strinxere manipulos.
Tertia ut agricolas vanis elusit aristis
Messis, ubi umbrosos cingunt pineta Silesos,
Indomitique sedent ad pingvia rura Poloni:
Ex longo collecta fames furit undique: siccis
Faucibus hic frendens raptas limum: ille paludem
Stagnantem e stabulis sorbet, tum fervida torquet

E vacuo rabies, in trunci robora morsus
Vertere, vel fagi de cortice vescier atro.
Tum sobolem e collo videas pendere parentum,
Ac videas largo suffusam lumina fletu
Usque rogare cibos, gemituque instare frequenti,
Morte quoad lenta vultus cadat ante suorum.
Ast alios cœli tadet convexa tueri,
Ac rabidi tam longa pati jejunia ventris,
In sua vesanum convertunt viscera ferrum
Et miseram ante diem fundunt per vulnera vitam;
Immitesque animas vacua ad præsepia reddunt,
Nec satis hoc: sed erat plus damni & sortis iniqua
Nissus ubi, late sese frangentibus undis
Confinem exuperans portam, secum omnia raptat:
Totaque præcipitans undas tecta ardua in imas,
Speluncisque lacos clausos & flumina rupit,
Adde molas, pontemque, ac ferrea robora pontis
Correpti, in laceram fluvio divulsa figuram.
Hinc exaudiri gemitus pecudumque canumque
Amnem eructantum & fera sub nocte latrantum,
Setigerique sues, inclusi sepibus agni
Balare, & forma rapidorum ululare luporum,
Quos pestis, quos longa fames, quos sævior unda
Nissus agit grandi, sin cæco corripit æstu
Spumeus: atque vado ripis torquente revulsit.
Nec dum etiam tanti casus, longique dolores
Exciderant animis, cum forte incautus agebat
Se matutinum faber, hesternosque labores
Visurus, silicis scintillam excudit, & ignem
Suscepit tenui lino: flammamque reliquit
Inscius: hæc largum cognato ex fomite spargit
Ignem, qui furtim pingui sub vertice lapsus
Robora comprendit luce arduus; inde secutus
Perque trabes, perque alta volans fastigia regnat,
Et totam involvit flammis superantibus urbem.
Concidit in cineres bis centum visa per annos
Urbs septis, altoque potens insistere muro.
Eheu sic ne jaces? tectis convulsa, ruinam
Sicne trahis? secli declive quam longior usus
Devorat ignis edax & funere mergit acerbo.
Hæc ergo series fatorum lancinat iras.
Nam quoties cœlo bis centum exacta per annos
Invisi Phœbus conscendit cornua Tauri:
Sparge imbrem lacrumis, & largo flumine vultum
Ora genasque rigans super humectato senectus,
Fœmineum genus, & pueri, innuptæque puellæ
Mugitus date, vos patriam deflete ruentem,
Namque hos Vulcani vi[illegible]ntis fulminis ictus
Irarumque faces, nimium meminisse necesse est.
Signa recensebat bis sol sua, tertius ibat
Jam labor, ut lapsa nova insurgeret urbi,
Conjuratorum numerus, furumque manipli
Corripiuntur equis, & lapsis mœnibus instant
Horrendi: Cives his se, quando improba cernunt
Esse latrocinia, obsistunt: teloque frequenti
Surgentes operas, fulcra imperfecta, laresque
Defendunt, obnixi humeris: sacer ordo Senatus
Stringit in effrenes victrici arma horrida dextra:
Perque omnes animam mortes, & viscera rapeat.
Hinc quo Justitia decus immortale, renidens
Atque ultrix scelerum stet Curia, pasce timenda:
Supremo in circo, quem plurimus ade coronat
Sacrata favor, impensis assurgit opimis,
Magna superba domus: Satis huic custodia tandem
Credita; perque alios lusus jactata vel usus
Sustinet in gyrum ductas, pede ovante, puellas.
Hac ubi cœpta novo consurgere saxea circo,
Reddere jura foro, primosque attollere fasces
Est visum patribus: quare annum extitit illic
Ordo Senatorum: tenus hac nam Consule primo
Appositis soliti patres considere mensis,
Et cadit ex fato. Tot enim labentibus annis
Belli causa viris steterat: non territa cessit
Budissina minis, Cereris sibi jura, coquenda
Competere antiquo de consvetudinis usu;
Et dominam hac sese præfert: fit clamor ad arma:
Perque vias, perque arva ruunt: pax urbibus exul
Pulsa latet; subter Martem irrequieta coquuntur
Munera contrita Cereris, lupulique sapores.
O fugite insulsi Cives: venit ultor ab arce
Regius: autorumque scelus de sanguine poscet;
Et dubitatis adhuc monitis advertere mentem?
Rege jubente igitur, mulctantur funere sontes,
Quorum animo cæcus vindicta obduruit error:
Sed prece Regina subjectis gratia culpa
Insperata datur, vitaque usura repensa.
His gladio vix dum elapsis: nova concita surgit
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & tela parant, queis, Sancte Senatus
Te, Te auferre volunt, sacro & detrudere templo.
Quina sed immani rabidorum colla securi
Caduntur: reliquos æterni reppulit ira
Exilii, ablegans sylvis lustrisque ferarum.
Est in trajectu propior mons: arva coloni
Cum tenuere, loci structam dixere Coronam.
Hinc atque hinc teretes trunci, geminique minantur
In cœlum colles; quorum sub vertice quondam
Constitit objectu laterum, arx altissima visu:
Prædonum nidus: tum quercubus obsita raris
Desuper excisum latus urget utrinque corona.

Jam-

Jamque ascendebat bis ter revolutus in orbem
Signorum princeps aries: ubi tempora festa
Lucis eunt Pascha: telis induta juventus
Et Consul, Patresque & longo ex ordine cives
Ferro accinguntur: galeas, lunataque partant
Signa acres; campoque volatile spargitur agmen,
Evadunt summa ad fastigia rupis: at inde
Tela manu obsessi jactabant rara coloni
Ne quicquam obnisu ardentes, curaque frequenti.
Tandem conscensu superant speculamque refringunt
Oppositam, cæcasque fores: ubi pervius usus
Tectorum inter se stabat: postesque revellunt.
Spiculaque clypeosque, infixaque postibus arma.
Saxea murorum sea moles firma: diurno
Tempore ut impensum succincta pelle, laborem
Et calcem excisam simul asportaret arator.
Usque arvis habitet, tuto pax integra nido,
Urs sibi, avita, potens effracta jura caverna,
Exuv atque virum, precio acquisivit honesto:
Ne suspecta senes culpet violentia patres.
Postquam tercentum collectis mensibus anni
Defluxere polo, cupti ex quo surgere muri,
Ibat ovans animis Silicaus: & omine fausto
Prima manu signat, posito fundamina saxo.
Insequitur stipata Virum manus: æmulaque omnis
Artificum dextra: atque humeris operata juventus
Subvolvunt crebro lapides: pars jussa Senatus
Festinant; liquidosque manu dant ordine fontes
Solliciti, validisque coquunt cæmenta lacertis.
Nec deerat tum docta manus, seu pingere vultus
Spirantes, seu vivificas ex ære figuras
Ducere, sive focos solido de marmore cæsos,
Donec opus culorum cælum caput extulit alto.
O augusta domus: tibi sexagesima messis
Acta tribus steterat lustris; suprema laborem
Dum manus artificum finis; dumque area tecta
Cælo ostenduntur, triplicique cacumine turres.
Quis precor indulsit nobis tam pectore fido
Gorlicii, artifices, strueres modo ut æmula Jova
Dextra sacrum: tuloque iret fata marmore moles?
Quisquis es, hospes adi, seu te tua Gallia misit
Seu Tuscis venias longe digressus ab oris:
En hic natura artifices, fortunaque fato
Certas, & ingenii soror ars sodet unica templo,
Aspice, qua variis serpunt cava saxa figuris,
Substractumque minus magni fert pondera fani,
Aspice, ceu gradibus consurgant limina, nexaque
Aere trabes liquido: paries argenteus auri
Jactat apes: foribus cardo grave stridit ahenis.
Nec semel aspexisse juvet: juvet ade mirari
Interna. Templumne igitur per singula lustres?
Suspectu molem vasto, artificumque laborem:
Bis senis saxo excisas, aut rupe columnas,
Et testudineos mirabere ponderis arcus,
Tum misto e stanno postes, æratque metallo
E gracili, fixas alta ad donaria sellas,
Quid ut mireris? tot signa incisa, tot auri
Dona, tot efficios vultus, tot vincta catenis
Robora, & obliquos summa testudine flexus,
Per latus, ingentes quod dat lato ære fenestras,
Infundit radios Phœbus: procul unde patescit
Area, multiplici artificum visenda labore.
Salve igitur perfecta domus, cultissima templa,
Vatque mihi o visi artificum salvete labores.
Decurrere duo lustra ut crescentibus undis
Rumpuntur claustra ima lacus; adesque propinquas
Sorbet in abruptum majori flumine Nissus,
Pons iterum vecte arato, sub fluctibus imis
Contremuit, ripaque sedens Hoterana fluenti
Innatat: hinc homines (quos segnis cura retardat
Segnius ire domo) obsessos ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, foribusque infusus oberrat:
Ni piscatores, celeri trabe currere docti,
Impositos cymbis, perque alta cacumina tractos
Servarent, rapidus sorberet vortice gurges.
Verum age rumpe moras, & strictior ito Camœna
In numeros, arcta prime nunc vestigia legis,
Nam dicenda tibi series longissima restat.
Ergo Sigismundo Roma vertente revixit
Gratia lapsa prius, clypeo dum insignia secto
Victrices hasti intentant, alatque, leonesque
Indomitos, unde hæc, Cæsar, Virtutis avi a
Argumenta tibi? num Majestatis ad aures
Fama tua venit, non corda insultibus ullis
Fracta nec acta metu? cives defendite famam.
Atque insultanti jam occurrite fortius hosti,
Acer adest numero: Vos arma capessite: vincti
Auriga exposcunt animos in prælia vestros,
Hussiadæ contra: His moti rumoribus, acres
Inducunt animos, & dextram in prælia obarmant:
Excursu celeres & in arva inimica feruntur,
Fit via vi: sed enim pugnæ victricis avara
Aspectu pulsat fugat, & capit ocyus hostes.
Vimque suam in tato jactat gens civica campo:
Resque hosti raptas cæso, & spolia ampla triumpho
Solenni: in patriæ gremium, conversa, reportat.
Messis it undecima ac spicarum nubilis avo
Qua collecta fames paulum subsidit: & agros
Proventu agricolas spes consolatur opimo.
Exin arma silent; tota vigil excubat urbe
Cura fori, Drvumque focis imponere hmores.
Ergo Capistrani mira dulcedine victi
Convertunt mentem in melius, sacra jura secuti:
Certatimque struunt. cæso sublimia saxo
Templa tibi, Nicolae: sed imperfecta labore,

Non ibi visuntur postes: non tegmina cœlo
Assurgunt: pendent opera interrupta minæque
Murorum ingentes: præruptaque machina fani
Fallor? an artifices retrahit, sublapsus habenis
Vulcanus laxis, turrimque ædesque propinqua
Contiguas porta, rabido cum devorat ore?
Aut perfregit opus correcti injuria Secli.
Sed quis adhuc vestris sese implicat artubus ardor,
Quæ pietas animos urit, tot templa, tot aras
Magnificis viridi subducere sumptibus arvo?
Ecquis enim Mariæ illustri constructa labore
Templa, situ per amœna neget, spaciosa theatro.
Me censore, tibi cedant habitata Dianæ
Templa: frequentatum toties, elingve sepulchrum
Meccha tuum sileas: tot enim cava busta piorum
Hoc me structa loco invitant; ut sordeat ipsa
Vel mihi, Pyramidum mirando Memphis honore.
Ista quid admiror stupide? majora refulgent
Prospectu miracla gravi, subpostaque colli
Exiguo: num tanta foves Europa, vel orbis?
Priscus Idumeæ gentis labor arva reliquit
Patria, & ignoto subsidit climate terræ,
Integer, illæsoque habita simulacra revibrat.
O quæ non ponto, terraque pericula passus
Autor, Idumæos secum ut raptare labores
EMERICUS posset, patriis & sistere terris.
Principio natura efformatrice, supinus
Hac porta egressis colles se ostentat, iterque
Descensu in vallem obliquat,, prope blanda susurro
Unda ruit, tardo ponens vestigia lapsu,
Sedis Idumeæ in formam: haud procul area campi
Quem late pingit cespes, & graminis herba,
Emicat, & querno vim contra vimine septa est.
Huic super impositum videas insigne sacellum,
Forma atque arte pari, saxo nitidumve quadrato.
Jam stupeat fraudum inventor Cyllenius, acer
Ingenio sculptor superat. Nam machina in altum
Tota glabro assurgit ductu, colloque superba
Conspicuo: sed enim facilis lateri autor aprico
Fulminis e jactu valido torquentis hiatum
Finxit opus, rima natura affine creanti.
Vultus hic exterior: sensu rimare sagaci
Atria, quæ tecto rutilant inclusa nitenti,
Hic tibi Romulidum fictas expressa per artes
Curia relliquias commissi juris obumbrat,
Mactatique ædes agni, cœnaque sacrata
Nocte celebrata monimentum, actusque diurnos
Inde modum tabula inscripta, confinia tum quæ
Intervalla cruces discernant ordine ternas.
Hinc tumulum Christi, postesque graves orichalco:
Quæ revehit lucem croceis aurora quadrigis
Saxa, solo in viridi, frontemque latusque sepulchri
Bina armant, mediumque premit pyra saxea campum,
Quid Mausolei sumtus mirata vetustas
Evehis astra super (toties vel carminis usu
Fulcra quid inculcas Lydii vesana Colossi?
Haud minor Emerico positi data gloria busti
Effulget: Solymam quæ lapsam æterna reduxit.
Hunc igitur tumulum Germanus: Iberus, & ipse
Miretur, si quem tellus extenta remoto
Sustinet Oceano: aut si quem Gangeticus amnis,
Undique seu ponto dirimit circumflua Thule.
Namque quod heroum optanti promittere nemo
Audebat, duros Turcarum effingere rictus,
Et Solymam cæco immersam producere cœno:
Dum collapsa situ veneratæ rudera terræ,
Annosusq; labor nulli visendus, ut ante,
Restet: idem noster, venturi præscius ævi,
EMERICUS raptavit opus; patrioque repostum
Colle peregrinis huc adventantibus offert
Conspicuum saxis, habituque illustre rubenti.
Vos igitur patrii Cives, quibus inclyta cultu
Gorlicium genitrix, ite & date præmia laudum,
Purpureas afferte rosas, decorate sepulchrum
Muneribus: vester meritus nam talia busto
Emericus: poterasne tuo, hac ætate superstes
Esse superba patri Soboles? jam grata sis actu.
Hac fama exciti Cives, sibi quisque laborant
Et decus & nomen toto conquirere regno.
Ergo suos animo nervos collegit, & auro
Fortunatus opum Senior SELIGERUS: ut Urbis
Constet honor stratis, nec fundat limus odorem:
Curavere novem autores fundo arcubus imo
Brachia confodi, presso qua fumat hiatu
Scrupea, & obscuro obscuros alit aggere flexus.
Hi sordes, urbisque lutum, excrementaque sorbent
Atque avide eructant rivis: qua fossa dehiscens
Obscenas aperit fauces, & plurimus undam
Limus agit: fluctuque ingens specus æstuat atro:
Evomit in gelidum, qui præterlabitur, amnem,
Tanto solo tegitur moles, obscuraque serpit.
Magnum ornamentum patriis struxere plateis
Conjuncti Autores: fama supereminet omnes
Fraunbergus, quem cura vigil tot ducere noctes
Insomnes cogit, patrias ut liberet aras.
Nam prædo Olsnitius, furumque exercitus omnis
Compositi numero in turmas, regione viarum
Infestant prædas avidi: tum ferreus armis

Hor-

Horret ager: pagi flammis superantibus ardent;
Et Schönberga legit cineres: questuque cruenta
Olsnitii ignivomas permisto sangvine fauces
Testatur, magnaque tonat convulsa ruina.
Haud mora Fraunbergus, tortos legit obvius orbes,
Vestigatque hostem vindex, quod Marte sinistro
Terribilis, tantam nullo discrimine cædem
Suscitet: at fremitus longe cognoscit equorum
Olsnitius: turbatæ acies, versique latrones
Exhortantur equos, ac dant sua terga per agros,
Pulverulenta fugæ: Cives ad tecta reflectunt.
Jamque silescenti duo per quinquennia bello
Consulis Emerici expensis domus hospita largis,
Exulibus struitur, quorum conatibus obstat
Res angusta domi: vel Religionis amore
Huc compulsi ægre fugiunt sub tegminis umbram.
Præterea ipse Urbem toties hostilibus armis
Concussam solidat ventura in secla, jubetque
Sublimes fieri portæ constantis honores,
Ergo surgit opus, qua se amplo fornice pandens
Porta, novo late subsidit saxea circo,
Vastaque suspectu: triplici quem mœnia ductu
Cingunt, & duplices distinctæ limite turres.
Hoc anno labente, struit dum immania saxa
Fossor, & in fundo sepelit dejecta cavato:
Te Friedlande, sinu nascentem pagus amico
Excepit; maculasque sacra detersit in unda.
Fortunate puer salve: cœlo astra sereno
Colluxere, faces genitoque in corda dedere
Plura tibi a nobis? indigni hoc laudis honore,
Vix canna fragili & fracta modulamur avena,
Ac ne cuncta canam, quæcunque male ausa per agros
Consedere jugis; pugnasque irasque rapaces,
Ac Nissi toties fluvio spumante furorem,
Seu Martem, pestesque, aut fusa cadavera campis
Quid mortem Emerici? vivit, cantataque versu
Busta prius, repetam sacrum hoc amplexa cadaver?
Aurea componit viridanti in gramine sedem
Religio; longosque tibi dicat, Anna, per annos
Templa, focisque sacrum positis indicit honorem.
Nec deerat, Francisce, tibi qui poneret aras
Steinbergus, pulchros per templa nitentia cultus
Aurea nec desint Altaria: & aurea Templo
Pignora, nec dives longo absit redditus anno,
An sileam? horarum numeret quot machina pulsus:
Quam manus artificis ferro confecit, ahenisque
Inspirans rotulis animam, rata tempora certis
Distinxit spatiis: laterique affixit aprico
Curia, qua jactat cœlo ardua tecta, forumque.
Quin sua doctrina ut starent culta atria, Patres
Fridlandum revocant, studiorum ubi Lipsia mater
Extulit alta Caput, gravida invitantque cathedra:
Ergo jussa facit, septusque impube corona
Conventa in medio divinæ Palladis artes
Ore docet facili; dictis & pectora mulcet.
O qui tum vulgo Nissi concursus ad amnem
Qui juvenes, quanto complerint agmine muros!
Nec juvenes docuisse satis, docuisse magistros
Iisque juvat tremulos ætate: librosque ferentes
Et chartas, & plena nigra fuligine vasa:
Tantum erat in fido doctrinæ artisque magistro,
Cui vix primigenas vestibat flore juventa.
Tempus erat rutilis aperit cum cornibus annum
Taurus, & attollit signans caput auricomum ver
Septima se viridi blande seges exerit arvo;
Ex quo magnanimus divina voce LUTHERUS
Romanæ est ausus male texta resolvere mitræ
Confluit ad nostros tandem aureus ordo penates
Aurea progenies, cum magno exorta LUTHERO,
Templa Dei purgans ab iniqua lege, jugoque,
Pontificis: da Roma locum, date lubrica sacra
Hac celebrata tenus: nugæ per templa remotæ,
Nam quid in humanis, ultra spem, ponitis ausis
Divinas mentiti operas? quid inania plebi
Scrinia persuasæ fuco, scelerique futuro
Venditis indultam veniam, quam secius ipsi
Emistis facto immerito: quando æthere cassos
Exanimesque orco manes deducere adorti
Causatam ad Cererem, questus geminatis aniles?
Ergo, LUTHERE, tua navi progressus in æquor
Ænobardus ovans animis, per mutua nexos
Castigatque aperitque dolos, & dissipat omnem
Nugarum fumum, fastusque effringit inanes,
Qui nubem offundunt doctrinæ, atroque vapore
Condensant lucem verbi, meritumque Salutis.
Hæc ubi doctrinæ lux instaurata refulget
Atque aris impositus honor, nutante Senatu
Nunc huc nunc illuc: fatali VIRGA flagello
Securam hanc Urbis Sobolem compescit & ante
Præmonitam annorum seriem cinere abdidit atro.
O Urbs Gorlicium! fumantes aspice Crines
Inque oculis ignem: volitant super ecce favillæ
Ora tua, & convulsa solo tigna ardua sidunt,
Quanta tibi intulerit Vulcanus damna facesque
Conspice: bis centum subversas funditus ædes
Totque lares, quos flamma furens absorpsit, & æstum
Inter adacta volans, in inanis viscera terræ

Condidit agglomerans lapides: terdenaque raptans
Ora hominum, diffusa foro dominatur utroque.
Ex illo in pejus ruere omnia visa repente,
Degenerare animi: & retro res lapsa referri,
Namque ubi collectis bis frugibus area trita est,
Et vix consedit fibris suffulta renatis
Relligio, ac sacro fixit tentoria templo:
Ipsa furens animis, & non bene tempore rapto,
Otia rumpebat patriæ, civesque movebat
Pannificum male svada cohors; scelerumque manipli
Irrepunt furtim renovata sub atria templi.
Tum sociis (namque omnis eum stipata rogabat
Turba virum) injusto legum se Polcius infit,
Imperioque regi patrum: fas, esse piumque
De grege Pannificum consultor ut unus & alter
Distribuens sua vota, fori conscendat honores,
Jura, magistratumque legat: sua cuique voluntas;
Libera Relligio; quæ colla immunia forti
Imperio exuerent, ruerentque in vota soluti
Continuo exciti comites communia jungunt
Fœdera & ingenti subfirmant pectora amore
Ingentes animis, & sortem in utramque parati
Seu victi absistant hostes, seu sævius instent
Quo ruitis? quove hæc geritis tela impia dextris?
O cohibite animo, non hæc sacra templa, forumq;
Hei vobis frenanda dabit jova; sistite gressum,
Libertas alio quærenda est arva campo,
Jura Magistratus teneant, quibus ista potestas
Sorte sua cecidit: vos vestra capessere fas est.
Hoc jubet, hac populos distinxit lege Creator.
Non vero hoc saltem est cessatum cardine rerum,
Imo ubi depulsa fulsit lux altera nocte:
Hesternum repetens agmen, sopita Lubecus
Consilia instaurat scelerum; invitatque sub ædes
Conjuratorum proceres, cæcamque cohortem.
Festinate Viri; vobis mora tarda periclo est:
Maturate, sacra nam post hæc ibitis æde:
Curiaque aspiciet regni mirata patronos,
Ergo parate animis, & spe præsumite regnum,
Dixit, & ex templo (laxis calor urget habenis)
Ter circum obsessos cincti fulgentibus armis
Decurrere Lares: ter cæcum turbine vulgus
Raptat, amorque fori, regnique insana cupido.
Arma fremunt omnes, nec sat rationes in armis:
Conjiciunt tecto galeasq; ensesq; coruscos
Frenaque ferventesque globos; pars saxa, rotasq;
Ipsorumq; colos, tela infelicia, portant,
O mage caucaseis horrentia pectora saxis
O cæca mentes, quæ vos insania torquet?
State viri, modo state viri: nam vindice dextra
Horrida in infidos etiam capit arma Senatus.
Et jam tempus erat, quo primum erumpere tectis
Ærea consensu conspirent tympana rauco!
Stoltius (hunc etenim invitat præsaga mali mens)
Cautior abstinuit tactu, aversusq; refugit
Fœda ministeria & quæ jam pepigere, recludit.
Non tulit hoc sacer ordo Patrum (consurgere in arma
Justa nimis causa est: scelus hoc ne impune residat)
Itur in oblongam, sic hanc dixere, plateam,
Obstruxere vias ferro, cinctosq; corona
Fœdifragos, dura & pressos in vincla dederunt,
Injiciuntq; duci funes, constrictaq; ferro
Colla, superque humeros & brachia grandia tollunt,
Inde trahunt, retrahuntq; reum, subiguntq; fateri
Tormentis super injectis, retinentque prehensum.
Per bis quinque dies ac junctas ordine noctes.
Et jam terrarum sublime coegerat agmen
Lucifer undecimus: pœnas ex sangvine poscunt
Sacrilego; longo tremulum cui stipite corpus.
Porrigitur, ferroq; manus tortoris acuto
Culpatum tondens pectus, fæcundaque pœnis
Viscera partitur: cecidit pars quarta resecto
Corpore: & externis torrent membra arida portis.
Hunc pede subsequitur tremulo, vi criminis acti
Stolbergus, nodo manibus post terga revinctis:
Cui tortor districto humeris caput ense revulsum
Sternit humi: madida illapsum pallescit arena.
Circum omnis, vigilumque manus, confusaque turba
Pannificum, & matres divincta tempora vittis,
Infaustum ingeminant solem, fletuque cruenta
Infelix, heu, testantur, regnumque, jugumq;
Postera quadrijugo rediens dea roscida curru
Radit iter medium, cum dant truncanda coacti
Vcalegon, Bavarusq; invisæ colla securi.
Hinc profugi, cœlo qua fert caput alta Budorgis
Perfidus Optogrison, & cui dat nomen hirundo,
Sangvine singultantem atro truncum ambo relinquunt.
Et vos vestra manet vigiles non infima pœna
Infelix animi Teucer: sed quis fuit alter?
Cœnander, Telerusque, via quos cura tenebat,
Ne domus intranti forsan reserata patescat.
Ite igitur, nunc ite homines; date tela, Senatus
Cedet, & augusto vobis fora limine pandet.
O si Pannifices, solito manus usa labore,
Non tela, arma, globos, sed lanam, fila, columque
Longum assveta, jugo adjecisset stamina presso,
Extructosque toros lanarum intexeret usu,
Non tam difficilis fuerat jactura sepulchri.
Sed quonam hic fomes culpæ? quo flamma dolorum?
Nondum oblita virum labes, sopitaque cessit

Fama

Fama avo? lapsa jam reddita gratia plebi.
Et patribus quasitus honor, laus ardua, in ipsis
Est Phœbi radus: & me jubet ordo nocentes
Pracipitare moras; aliove capessere cursum.
Interea hoc vulgi presso fervore Jehova
Tuto patrocinio. jacto de semine surgens
Religio. terris gratum diffudit odorem.
Pontificum fordent nuga: tectuque penates
Devoto inclusi studio exscinduntur: & ades,
Desidio fœtu rigidas a culmine sternunt
Edocti melius cives, pietate magistra.
Pastor adest, Wolfgange, sacris: cui plurima mento
Canities veneranda jacet, cui suada labellis
Sparsa sedet, totoque habitat prudentia vultu:
Olli cura recens, olli vigilantia pernox
Excubat: ut stet honor templis, reverentiaque uni
Grata Deo; turpique vacet labe, hospita terris
Religio; nec templa trahant grave onusta ruinam.
Turris erat praceps ontre: omnes unde videri
Urbis opes solita, cinctique ex ordine saltus,
Prona jugo, porta casum minitata propinquat
Hanc in praecipiti stantem aggrediuntur, amico
Contactu artifices circum, qua summa labantes
Juncturas pyra fracta dabat: tum sedibus altis
Convellunt placide tremulam de pondere molem:
Proque hac tecta legunt humili surgentia saxo.
Verum ut se certo vinclis exuta referret
Libertas fidei, laxaque repagula legis
Observata, rudes, verbo praeunte, moverent:
Durescunt animi: & voto sibi quisque recepto
Jus statuunt, rigidamque bibunt e fonte cicutam
Irriguo: ut pectus saltem expleat atra libido.
Tantis ardoris erat, VERO tot figere morsus.
Et nisi dogma datum stet inexpugnabile JOVA
Vindice: tum dubius tenebris involverat error.
Ergo ne mentes hominum per devia rapta
Tesqua, ruant in grande scelus: vel morte piandum
Pracipiti lapsu. ignara casusque malique:
Multa prius Patria obveniunt portenta superba,
Hac etenim superi bonitas celebranda parentis:
Quod, quoties peccant homines, non protinus ira
Concitus indomita celeres e nubibus ignes
Victrici spargit dextra, fontesque profundo
Detrusos Erebo flammantibus obruit undis,
Ante sed humanas vario monet omine mentes
Inque viam vita melioris flectere tentat.
Hinc igitur rapidos accendit Cynthius astus,
Hinc sitiunt herba, terraque ardore dehiscunt
Insolito, fallitque seges exusta colonum
Infestusque urit sitientes Sirius agnos,
Exiccatque greges: ut limpida flumina anhelis
Faucibus ad limum exorent clamore sinistro.
Quid crudelis hyems, niveis portendat abundant
Aggeribus? quando concreta in flumine crusta
Diffluxere: cito glaties liquefactaque ponti
Incubuit, super assurgens magno agmine, rapiat,
Tergo insistentem, atque abrupto vortice forbet.
Quin intempesto tremuerunt cuncta fragore
Fulminis, attactuque gravi magna ora dehiscunt
Ædis Idumta profosso fornicis arcu:
Et delubra Petri vasto scinduntur hiatu.
Vidisti puerum incertos per frigora soles
Sylvarum anfractu, [blot]ernas tot ducere noctes,
Donec eat retro patrias raptatus ad ades.
Quippe locustarum ruit huc exercitus, ausu
Fœdus, & effuse sata lata boumque labores
Corrodit: fossa implentur, cumuloque volantes
Prospectum eripiunt oculis: campisque subactu
Usque nivis ritu coëunt, atque athera obumbrant.
Omnia ventorum concurrunt pralia, fœdam
Qui tempestatem glomerant f... trementi
Arduas sylvarum ferunt, quercusque profundis
Sublime expulsas truncant radicibus: nude
Robora subvectant, ponti obliquata restructo,
Hac gravia: horrendum scelus hoc, magis indicat Urbi
Omen, quando patri transfixo ferrea nati
Dextra, per insidias, capulo tenus abdidit ensem,
Ille gravi jam tum furiarum saucius astu
Fas omne abrumpens, nunc hos, nunc turbidus illos,
Nocte legit vicus cœca, tandemque furore
Pulsus, in excubias urbis, vigilumque cohortes
Labitur, horrendumque scelus denudat aperto
Erge ubi suspectas aurora amoverat umbras
Cervicem avellunt humeris, conduntque sepulchro
Et truncum, & casi genitoris corpus in uno.
His argumentis pœnarum iraque superna
(Et quis enim furiis ni sit correptus iniquis
Pernegat irati portenta hac Numinis esse)
Si mox in melius mentem juvenesque senesque
Convertunt pavidi. veterisque piacula culpa
Agnoscunt, veniamque rogant ob vulnera Christi
Exuit, irarum flammas, vultusque resumit
Pacatos, Deus omnipotens, hominumque repertor:
Verum ubi decepta cacum genus impete mentis
In scelus omne ruit, nec vertere vela retrorsum
Viveudique cupit sceleratum exscindere morem,
Rex idem superum justas elaxat habenas
Irarum, ac calum tangentes vertice turres
Destruit, atque imo regna eruit improba fundo.

Te quoque nunc celsam, fortuna insignis opum vi,
Lusatia dominam, meliori nominis usu
Forte salutaret, ni mens alio acta fuisset.
Messis erat, quæ flava ceres ac turgida spicis
Diruitur, structique sedent per rura manipli,
Fama ruens stridore gravi, & perniciòus alis,
Exutos proceres insignibus, urbe senatum
Artificumque senes longo jubet ordine duci
Regia qua Praga caput inter nubila condit,
Infelix animi Consul Snitterus & avi
Progreditur junctique patres, plebisque regenda
Tribuni: tum mæsta cohors civesque sequuntur
Atque opifex creber concursu ac vulgus inerme:
Post gravidi armorum supposito pondere currus,
Hisque super tormenta globos torquentia cælo
Ac si explosa cadant luctante tonitrua vento,
Ducuntur longe: tum cetera regius abdit
Arma, globos, clypeos, bastilia, gesa, satelles,
Ære caput fulgens, secum omnia raptat avarus,
Postquam igitur talis comitum processerat ordo,
Respicit huc niveo propexam in pectore barbam
Demulcens senior Snitterus, & ingemit ultro.
Eheu summa dies, & ineluctabile venit
Tempus Lusatiæ; voluit dum Jova fuistis
Hexapoles; fuit altricis celeberrima nostra
Gloria: nunc alio submergimur æquore culpæ.
Ò patria, o quondam prælustris curia regno,
Prisca o libertas: quo te jam amisimus ultro.
Talia suspiciens cælum, movet: ungvibus ora
Nunc fœdans, pugnis nunc pectora candida tundens
Ventum ubi sublimes offensi Regis ad arces
Fulmineam metuunt dextram: & pro crimine culpæ
Commissæ exorant veniam: fortique futura
Jacturam vitæ objiciunt, Regique sequestrant.
At sublata animus placite vindicta residit
Cæsaris, irarumque minis de fulmine lapso
Prosequitur venia sontes, usumque rependit
Mancipio objectæ vitæ, fluxique cruoris,
Hinc referunt ad tecta pedem, quid fertis? inumbrat
Curia sermones, num tandem impunis abibo?
An gravior mihi mulcta? patres avertite casum,
Fallor, an istanimis setio? proh jupiter omnes
Hei mihi surrepti saltus: ubi rura? ubi pagi!
Auro templa carent, fora legibus, incolaque armis
Jure patres, restat nullum ædibus ornamentum?
Hicne mea urbis honos? sic regni in sceptra reponor?
Heu quid agam? quæ me sedes? quæ me antra recepsent?
In tenebris moriar, luctuque effœta senescam.
Grandior olli avo Snitterus: nata, dolori
Parce ait: harpya Sudetum a vertice lapsa
Diripiunt nervos tibi; contactuque refringunt
Immundo tot opes; haud illis sævius aula
Monstrum alitur: stygioque fata patro cuncta resorbent:
Sed bona (sabor enim: quando hac modo cura recursat)
Nunc abrepta tibi, justi clementia Regis
Confert in gremium, non cuncta, sed optima voto
Prata, nemus, pagosque dabit; currusque tot hastis
Stridentes grave porrectis: direpta tot urbi
Arma, cavas galeas, tormentorumque ruinas.
Jura foro, & patribus statuet sua vota legendis,
Septima plangentem dum te conspexerit æstas:
Ergo pande fores, & spe tua regna capesse.
Hactenus augurium senis exorsaque loquela,
Prædicti interea lustris lubentibus orbes
Volvuntur cœlo; sperati nobile regni
Tempus it. & tenebris in apertum protrahit æquor.
Rapta bona, arma, nemus, lapsum decus omne refundit
In patria gremium exorata potentia Regis:
Fulgida splendenti ut certet data gloria Phœbo.
Gaude igitur facunda tuo jam curia fulcro
Atque averte pia sublimes urbe resultus;
Ne lapsu graviore ruas, fatisque repugnet
Conscia fortuna in celerem variabilis horam.
Ex illo, novies canis impexa capillis
Ibat hyems: & dura capri Sol terga premebat:
Nocte intempesta quando ruit imber, & alto
Nubibus ingeminans abruptis, intonat æther
Conflictu gravis ingenti, quo mota tremiscunt
Ardua murorum, cæcoque attacta tridenti,
Turris colla tremunt: priscis RICHBACIA dicta;
Excubiis hac forte vices exercuit æde
Nocturnas vigil, illapsa cum fulminis ala
Corripiunt miserum: tactuque infesta cruento
Lambit flamma cutem: illa cito corrupta nigrore
Aret, & ad tactum tractanti ambusta resistit.
Vix ea lativagos bis ter revoluta per orbes
Condit hyems, subito nimbis glomerata coactis,
Tempestas sine more furit: tum vespere ab atro,
Incumbens Aquilo, tellurem aspergit in auras,
Atque urbem involvit misto undas pulvere turbo.
Aerea tremuere domus: tum protinus Annæ
Rumpuntur convulsa jugis fastigia, terraque
Incumbunt torso, lacera spectanda figura:
Quæ prius urbis erant habitu ornamenta corusco.
Vertitur interea completis mensibus annus,
Ex quo Romanas aquilas, insignia summi
Maximus Imperii Pater Æmilianus & armis
Et pietate gravis (quem nobilis Austria DIVUM
Excelsa de stirpe tulit) justissimus unus
Teutonia fasces, rerumque excepit habenas.

Jam

Jam tum ſacra patrum coëunt Collegia, curas
Suſceptura novas, ædes parvique receptus
Sint Muſis, tutique lares; ubi patria pubes
Admorſus ferulæ pavida, invigilansque labori
Imbibat ingenuas, verbum quibus utitur, artes:
Seu loca Grajugenum luſtres Martemque Latinum,
Intrepido victor calamo, verbisque laceſſas:
Seu mavis, cælique vias, junctamque tenere
Factorum ſeriem primævi ab origine mundi
Prompta rudi conſtent ævo, docilique juventæ.
Ergo decem lecti, cœlo quæ vaſta minantur
Culmina, Cæſareæque arces, de patribus ibant
Orantes veniam, atque aulam fervore petebant.
Poſtquam introgreſſis coram data copia fandi:
Orator cauſæ placido ſic pectore cœpit:
O invicte ſolo, Cæſar Germanidos oræ
Magne pater, cui nunc parent tot regna, tot urbes!
Juſtitiaque datur fortes frenare Bohemos.
Nos te Gorlicii, trepidi per tot juga vecti
Oramus famulos vultu dignare ſereno,
Neu tenues has ſperne preces, & vota piorum,
Eſt domus urbe tua, quam priſci temporis uſu
Funigeri tenuere viri, nunc præſide nullo
Clauſa diu, vacuos oſtentat nomine ritus:
Vix unus ſupereſt, annis effata ſenectus
Cui membris alget, vel ſegnior ad ſacra torpet
Cura vigorque domi; ſunt alta ſilentia templis:
Et ſilet hora precum, pietasque ſepulta quieſcit:
Ne tamen orba ſacris jaceat, deſertaque cultu
Murorum ingentes trahat inclinata ruinas;
Accipiat, ſaltem feſſas ſub mœnia muſas.
Hoſpitioque novæ pateant data limina pubi
Auſpiciis reſerata tuis, O Maxime Cæſar,
Stet ſchola, cincta ſinu parvo, ſed nomine tandem,
Magna tuo, & terris nullo delebilis ævo,
Quod ſi res propius firmaris numine noſtras,
Non mora longa aberit, quin urbe videbimus omnes
Fervere concurſu portas, & ſtrata viarum;
Tum tua victuris ſe attollet fama tropheis:
Tum pietas cælo ſuccedet, & æthera ſcandet
Talibus orator: ſiluerunt cetera patres.
Hinc graviter, paucis Cæſar, concedimus, inquit,
Auſpiciis ſtet aperta DEI, qui cœpta ſecundet,
Et noſtro indultu doctrinæ provida mater,
Apta ſacris vigeat ſchola Muſarumque receptus.
His autem arrecti indultis, cum poplite flexo
Lumina defixi in terram, retulere miniſtri,
Subjectos animos & grata munera mentis,
Continuo retro, qua ſemita cognita ducit,
Corripuere viam læti; ſanctumque Senatum
His adeunt dictis: tulimus, quodcunque precati:
Indulſit Cæſar; vos veſtra capeſſere fas eſt,
Nec plura effati: Curis hanc omnibus unam
Ante ſenes poſuere patres; tum machina cætus
Acceptura ſacros diſtinctis ordine certo
Alveolis, culto ſtaret ſpectanda theatro,
Protinus his ſtructis, operarum accire Magiſtros,
Mollia transſcriptæ qui fingunt corda juventæ,
Hos pretio invitare parant, ubi candida Orcas
Parnaſſi colles, ſapienti nomine claros
Vel candore ſuo, jactat, doctasque camænas,
Hinc orata viros inſignes arte miniſtrat,
Eloquioque graves, quorum maturior ævo,
Et virtute, PETRUS VINCENTIUS: alter Achates
Cinctus Apollinea LUDOVICUS tempora lauro,
Succedunt oneri faciles, poſitaque cathedra,
Ingenii nervos ſpendent, artisque labores.
Ergo ubi felici ſubeunt pede caſtra, Senatus
Diis jubet auſpiciis ſolenni in luce, vacantes
Congreſſu celebrare domos, Muſisque ſacrare
Primitias, tantisque exordia ponere rebus.
Haud ſecus ac juſſi faciunt; impube corona
Septus obit primum munus VINCENTIUS, orbos
Partiturque lares: & limina ſancta Camenis
Conſecrat ingenuis; ſtipulasque oſtendit inanes
Et flantem ad Zephyrum diſpergit in aera vires
Funigerum paleas fratrum: qui vota per horas
Sollicite informi dant conclamata boatu,
Annixi æthereas cælorum ſcandere ſedes.
Hæc ſiluere tenus nugæ: vilesque boatus
Conticuere omnes: cœpit hic doctrina Lutheri
Papæ preſſa jugo, vivæ commercia vocis,
Hæc ubi luce nova, Germano inclaruit orbi,
Undique præſtantes animis, veluc agmine facto,
Collecti ſubeunt juvenes: Hinc Cimber & acres
Pannonii, Myſi dociles, creberque Bohemus,
Creſcentis ſplendore ſchola, Muſisque receptis,
Permoti huc volitant avidi ludumque frequentant.
Expectata dies ſalve, ſalve aurea Muſis,
Slendidior vix ulla alias affulſerit urbi:
Qua ſceptrum accipere & ludo promittere curas
Aſpiciet, tantosque viros, tantamque juventam;
Hic laudes Petre clare, tuos animique labores
Tot pubi impenſos, & tradita ſceptra Lycæi,
(Qua dextra excuſſit, teque in ſua regna vocatum
Rectorem inſtituit ludo, domina illa Budorgis)
Ore pio memorare juvet, verum obruta multo
Lingva ſtupet numero; ſolitus neque noſtra colorat
Verba nitor, facilemque negat ſe invitus Apollo,
Te pietas cœlo illatum pro talibus auſis
Affecit precio. ſuperumque ante ora perenni
Laude tua frueris, tibi quam peperere labores.

In-

Interea ne rostra vacent Rectore: Scholarchae
Huic ludo statuere duces, quorum aequa potestas
Et par frontis honor, gravitasque hoc munere digna
MEISTERUM, aeternoque virentem carmine LAURUM.
O fatum, o casus: nihil hoc praesentius artes
Nil schola, nil pueri melius sensere; tot annis
Garrula barbaries nunc presso obmutuit ore,
Pulsaque cum gemitu fugit tacitura sub orcum,
Secum umbras, noctemque vehens: qua obnubilat artes,
Diffugere procul tenebrae, veneranda poesis
Extulit os ludo, puraque in luce refulsit.
Occupat hinc pulsa loca quondam habitata, noverca
Graecia, praegnantemque uterum matura relaxat:
Ex quo se innumeri vates atque agmina promunt,
Maeonides, seniorque duces Ascraeus, & alter
Grajugenam resonare docens Amaryllida vates:
Tum Latii fudere sinus, rediviva sub auras
Rostra, ducumque faces: queis Curia sancta Quiritum
Una gubernatrix orbis, caput extulit olim.
Hos revocat schola nostra duces, cathedraeque reponit,
Quos inter gradiens, lauro fulgentia cinctus
Tempora vernanti Tullus supereminet omnes
Jam grandi ore tonans, jam suavi pectore mulcens,
Intentos animos, ceu leni flumine victos.
Quae si perciperes, admirarere: sub ortum
Romana autorem lingva jam stare, foroque
Fortius in media trahere imo a pectore voces,
Ingenii vis tanta tibi MEISTERE, tibique
LAURENTI: ut magno certet data gratia MARCO.
Salve igitur schola fata viris, schola fata juventa,
Quae totam applicuit sese doctoribus illi
Retro accepta darent: haec tradita mente tenaci
Imbiberet ne MAGNE tua LUTHERE, ruina
Doctrinae incumbat; nec doctis gratia libris
Magne Philippe tuis intercidat ulla; nec ullo
Tempore districti quicquam in tua munera dentes
Intentare queant calamo qui vindice totam
Ausoniam fudisti ingens: humilique repostam
Cespite Leucoream villam, doctissimus urbem
Fecisti penna: sed multi ingrata rependunt.
Quos vindex Deus: at nos capta ad nostra feramur.
Ergo ubi felici pubes subfloruit arvo
Doctrinaque sacra seges incrementa recepit:
Ipse gubernator ludi, velut alter Apollo,
Meisterus fasces ponit, clavumque Lycei,
Saxonas amotosque petit, qua lata Visurgis
Arva secans torquet spumantem fluctibus amnem:
Hic antiqua novam Rectorem Brema salutat
Musarumque ducem; admonitrix cui plurima virtus
Incenditque animum, & tacito sub pectore gliscit,
Verum hic & vitam, curasque impendit & annos:
Terna ubi transierant regnanti hyberna magistro
Supremum schola grata suo lugubris honorem
Rectori impendit lacrumis, solatia luctus
Exigua ingentis, fido sed debita amico
Fas erat o Maisteri, tua nunc laudis & artis
Res fuse ingrederer: famae & super aethera notae,
Adjicerem paucis, nostri argumenta favoris:
Sed tantum negat hora decus: notissima nec dum
Laus tua laudis eget: conanti & dicere, vires
Musa negans, stupidam tanta ad praeconia mentem
Increpat, & sensus resides; nec accingere vates,
Clamat ad ingenii nervos, doctamque poesin
Maisteri obstupuit dudum, fandi autor Apollo:
Quid tu? qui nullo tinxisti labra lepore.
Conticui: atque aliis merito celebranda reliqui.
Nunc fruere alloquio JOVÆ MAISTERE, coronamque
Accipe, caelicola te qua cinxere Camoena,
Continuo sceptrum solus, curamque juventae
Suscipit, Orator ludi, cui multa pependit
Canities spectanda genis, LAURENTIUS, avi
Maturus, grata juvenesque amplectitur umbra,
Qualis ubi viridi in campo Phoebeja LAURUS
Diffusos tendit ramos, sinuosaque pandens
Brachia late altos ostentat frondis honores;
Huc volitant seu fumo acta, seu fulminis ictu
Turbidae apes, dulci illa vagas complexa sub umbra
Contegit effusis tutatrix fida lacertis,
Haud aliter Juvenes, nondum lanugine prima
Pubentes malas, umbra & spirantibus auris
Amplexus Dux ille, animos & pectora mulcet
Tum pia jura scholae, pueris nova rostra, forumque
Aedificat, super instituens simulata Quiritum
Pro re, proque loco pueris certamina num quis
Cultior eloquio palma frondentis amores
Praeripiat, teneraque ausit se credere pugnae?
Aut victum ad majora roget? quos sessitat inter
Ordo senatorum: intenti qui rebus habendis
Arbitrio pensant aequo, primaque corona
Victorem exornant: reliquis calcaria subdunt.
O Su-

O sublime decus ludi: quid pulcrius usquam
Inventum est: stant rostra scholis, dat Curia fasces
Structa sacra ad captum pubis praesesque resurgit
Causarum Tullus, Cathedraque repostus inbaret,
At schola crescenti vix dum surgebat in herba
Et tener Artis ager: subito cum dira coorta est
Tempestas caeli morbo, per regna, per urbes
Languentesque lares subter contagia serpunt,
Praecipitate fugam Juvenes ne tabida pestis
Artubus aspergat virus, inopinaque vitam
Praecipiti exhaustam spatio modo rumpat Erinnys.
Hac ubi dicta Schola figuntur postibus: arva
Quunque fuga celeri carpit, sylvasque pererrat
Turbida, corruptaque libros dolet urbe relinqui.
At pius interea. tectis inclusus amicis
Totus in arte precum, senior LAURENTIUS haeret,
Confisusque Deo, eludis metuenda furentis
Tela luis, mediaque sedas tutissimus urbe.
Circum omnes mors falce metit, rigidoque Pheretro
Queis rubor ante genas pinxit, miseranda reponit.
Funera vis numerem? bis ter quingenta minorum
Corpora, totque senum tum bis infessa quiescunt
Et sexcenta sinu complexa suburbia condunt.
Sic Lachesis parca est? tanta aut clementia mortis?
Exiguo ut pereant cursu tot strata dierum
Corpora in umbrosam claudant & lumina noctem.
Nil tamen ad fusas possunt armata veneno
Tela, preces, LVDOICE, tuas: tuuamque superstes
Cum socia & sobole terna, instaurator es orba
Filiola, lapsaque schola; cui nomina ramo
Frondenti obvelas, hederaque umbrata sequaci.
Hinc mora nulla: ruunt deserta ad moenia matris
Intrepidi Juvenes: & qua data porta, reflectunt
Ingressum, cupidique bibunt salvantis ab amne
Doctrina: intentique tenent oculosque manusque
Praeceptis, LODOICE, tuis; linguaque diserta
Advertunt mentes: vocemque loquentis ab ore
Eripiunt celeri calamo, chartaque recondunt,
Fortunate Senex, & tu schola maxuma salve,
Ex qua tot clari heroes abiere: quot olim
Grandis equus lateri inclusos, caecisque cavernis,
Effudit Danaos, superata ad moenia Troja.
Jamque Europaeas volitarat fama per urbes,
Huc Phoebum & Musas Latio rediisse novenas,
Et fixa jam stare schola, jam pangere versus:
Cum subito quatitur casu: quo contremuit illa
Prona jugo, vasta incumbens lapsura ruina.
Nam senex praeses, tristi languentia morbo
Ossa trahens, dudumque ingenti fracta labore
(Quo vix Alcides major, seu grandis Acestes)
Deponit prostrata toro: agrescitque medendo
Internas hyemes: inter dum vota, precesque
Servatori animam reddit, quam contulit idem.
Hocne igitur variis turbata cladibus urbi,
Hocne, inquam, restabat adhuc: ut morte peremptus
Occideret justam ante diem LVDOICE: senectus
Quantumvis matura, suos compleverat annos.
Proderat & ludo atque urbi, cauentia letho
Lumina solvisses nondum, viridisque Juventa,
Exhaustas iterum supplesset sanguine venas,
Cum tacito sub corde tui retracto rigorem
Corporis, austeros oculos, frontemque genasque
Infestas albente quidem & gravitatis habente
Canitie augustum pondus, sed prorsus ab omni
Rugarum immunes sulco: cum membra recordor
Officio bene functa suo, labentibus annis
Curvata & socio vestigia fulta bacillo:
Haereo, miratus tua dona. gravissime Rector:
Bis tria Nissiades venerata lustra docentem
Obstupuere DEAE aspectu: nec civis in urbe
Forsan erit, qui non ferulas expaverit acres,
Imbiberitque sua praecepta salubria vosa.
Sed de te venerande Senex est rectius actum,
Liber ab exuviis, fatorum lege caducis
Absque juventutis formanda taedio, & omni
Curarum morsu, lapsurique impete mundi.
Nunc caeli convexa tenes; Quare optime salve
Aeternumque vale genitor: mox tempus agetur
Cum Christo veniente, poli sub nubibus altis,
Judice: praecedet splendoris imagine stellas.
Stabant interregna schola: cum sceptra Senatus
Solemni assessu, lndique labantis habenas
MARTINO MYLIO confert: quo clara docente
Pulpita restituunt lapsum decus: ipsa Juventus
Concursu fervens huc atque allabitur illuc,
Pronaque vocali pendet dictantis ab ore.
Huic comes it SILICAEUS: opes cui docta Minerva
Contribuit satis insignes, cui verba loquenti
Ore fluunt nervosa gravi. seu lingua Pelasga
Materiam, rebus fontem aut Romana recludat.
Quid reliqui? eloquio, nulli aut probitate fecundos
In stadio est experta suo schola: quique merentur
Laurea honoratos ut cingant serta capillos,
Flore igitur schola fulta novo Rectore, diuque
Commendata fove in longos tua rostra Decembres,

Tu quoque Justitia fulcrum sublime, columna
Una schola, splendorque fori, tu curia salve,
Quæ pede fixa solo, caput inter nubila condis
Et fulgore tuo totum procul imbuis orbem,
Nunc tua fac pateant, dominatu ingentia claro
Atria, prospectuque dato tua limina pande,
Hic Fabios, hic Fabricios mirabimur, olim
Insignes aquilis, nunc hoc fulgere theatro:
Semidei Ottomannique duces, quos novimus, ore
Instar euntis aquæ fluitantia verba locutos,
Coram Romulidum miratam Rege Viennam,
Sepius Æmilio coram obstupuisse Casurgis:
Quos aluit quondam Rectores Curia primos.
Hoc vero summas anno labente secures
WELSIUS accepit Consul, cui plurima rebus
Dicta volant: pondusque addit legum una receptrix
Diva Themis, vario vocetque lepore colorat.
Alter adest, SCHULTETE, polo qui errantia dicis
Sidera, & æthereos radio certaque meatus
Metiris lege, & longe canis ante futura.
Sic tua te gravitas, & docta Palladis arma,
Magne SEBASTE, fori regnique in parte locatum
Commendant Patriæ: ut cunctis habeare colonis
Acceptus; Phœboque duci, famulisque Camœnis,
Et merito: esse studes nulli gravis, omnibus usu.
Excipit assessu SNITTERUM curia quanto
Admirata decus frontisque & pectus honestum,
Quo sibi devinxit cives, patriæque favorem,
Tum Prætor doctique premunt tabulata Scabini,
Atque senatorum numerus: quos aurea subter
Lucet stella fori Melior STEINBERGUS, & alter
SNITTERUS, studiis insignes nobilis otii,
Et reliqui gravitate pares, ceu lumina fulgent
Lusatia: nullum inveniet qui Marte vel arte
Nomen Apollineo non condit nobile signo;
Vel studiis clarus famam non terminet astris,
Vos ergo insignes animis, sublimia tanti
Fulcra fori, regnate patres, date jura Scabini
Tuque diu sacer ordo senum moderare DEOque
Protectore scholas & templum forumque guberna,
Plura quidem annorum series connexa requirit,
Ni mihi crescat opus cursumque reflectere tentem
At studia apta: quibus vita despondimus annos.
Hæc incomta igitur, quamvis meliora decerent,
GORLICIUM, tibi Musa dedit, scissamque lacernam,
Qua succincta, tuo augusto prætexit amictu,
Quod precor, ignoscas: nam me natura Poetam
Nec vis doctrina finxit: modo causa relata
Mole sua, nostrisque adeo spectetur ab annis,
Qui duo lustra tribus, medio decurrimus ævo.



Sacrum

D. SALVATORIS noſtri

CENOTAPHIUM,

prout illud

a

GEORGIO EMERICO,

Conſule quondam Gorlicenſe

HIEROSOLYMIS luſtratum,

Ad Prototypon ibidem ſtudioſiſſime

effigiatum,

Atque GORLICII Ejusdem cura & impenſis

excitatum,

a

Bartholomæo Andreade,

Sileſio, Scholæ Gorlic. Collega,

olim deſcriptum.

Præ-Nobilissimæ, Amplissimæ, Consultissimæ,
EMERICORUM Trigæ
Dn. Dn. Dn.

GEORGIO EMERICO,

Hæreditario in Rickerisch,

CAROLO EMERICO,

J.U.C. Civi apud Gorlicenses primario, & Templi Xenodochiique ad B. Virginis Curatori meritissimo,

CAROLO HENRICO EMERICO,

JCto, & Advocato Provinc. Jurat. Ordinar. Celeberrimo,
Fautoribus atque Amicis Suis Certissimis.

* * *

Accipitote lubens, EMERICÆ Gloria *Gentis*,
EMRICHIAM famam quæ renovare queunt.
Ecce peregit opus nostrati EMRICHIUS Urbi,
Hic *SALVATORIS* dum *MONUMENTA* struit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Jactatus terra, fluctibus atque maris.
Andreades *quondam, non infima Gloria Ludi,*
Singula descripsit Carmine gestapio.
Scripta sed hæc quoniam situ jacuere sepulta,
Istaque fugerunt lumina docta Sophum;
In lucem profert pietas, VOBISque dicando
Ingeminat: { Vivat / Vigeat / Vireat } *STIRPS EMERICA diu!*

BUSTA Redemtoris CHRISTI, felicia BUSTA,
Æmula *sed tantum fictaque BUSTA cano.*
Mausolea decus Cariæ monumenta feruntur:
Gloria Lusatii *non minor illa* soli.
Horum nota volet passim cum fama per orbem,
Et vagus adveniens Advena laudet Opus:
Nonne reus Musis Phœboque tenebitur ille,
Condere quem pigeat versibus Ista suis?
Quippe nefas, indictum aliquid tacitumque relinqui,
Tot cujus rumor pervolat ora Virum.
Ergo age Musa, precor, mecum hunc decurre laborem;
Quaque jubet pietas carmina ferre, feras.

URBS est Parnassi bifido contermina clivo,
GORLICIUM Slavis nomine dicta viris:
Hic, qua parte vident decedere mœnia Solem,
Oceanoque caput vergere, Phœbe, tuum, Col-

Colle suburbano leviter porrectus in altum
Sepibus inclusum terminat Hortus *agrum;*
Non secus ac certis fuerant viridaria metis
Septa Sepulturæ, *Maxime CHRISTE,* Tuæ.

Horti a Meridie versus Septentrionem 40 passus longit. & 20. Latit.

H*Æc super eductum solido stat pumice BUSTUM,*
Condideras umbris quale Josephe tuis.
Exhibet Eoo valvis coëuntibus ora:
Si prima videas fronte, quadrata patent.
Huic affixa teres solido quoque marmore moles
Aspicit emeritos sidere Solis equos.
Contiguo hæc hærent: teres at distincta columnis
Pars coit, & quadra jungitur arte sua.
Ambitus exterior *spatium, (si forte requiris,)* Cenotaphii Ambitus.
Efficit, orgyja quale dedere decem.
His super incumbens tereti pro culmine marmor
Conspicuo erectum molliter orbe tumet:
Sic ut parva viam concesserit area circum,
Vel si quis junctus forte duobus eat.
Tegminis in medio vacuas se tollit in auras
Nixa columnarum concava *TURRIS ope* Turris Altit. 5. Uln. Column. 6.
Vertice demisso est & tecto obtusa rotundo,
Pollice curvatus qualiter arcus erit.

T*Um* duo Saxa *fores contingunt aspera BUSTI,*
Lataque sese offert inter utrumque via.
Cernere si sursum lubeat super ostia BUSTI,
Incisos Vectes, Siglaque *sculpta vides.* Vectes. Sigla.
Sacrati *fuerant sic quondam claustra SEPULCRI,*
Quæ circa excubias egit apella cohors.
Tantæ molis erat, CHRISTI defendere BUSTUM:
Ne, quem condiderant, surriperetur, humo.
Exhibet & superi tibi pars Myrothecia *BUSTI,* Myrothecia.
Fœmellis usui, quæ geminata vides.
Ast semota *pedes ter quinos cardine* Petra
Molem æquat, Tumulo *quæ revoluta fuit.*

Lap. Altit 3. Uln 1½ Dodr. Crassit. 22. Digit.

V*Estibuli latus angustas utrinque fenestras*
Exhibet, hac spargit lumina rara dies:
Tramite dehinc recto incisum ceu rupibus ANTRUM
Objicit, ima tenens, ad pia BUSTA viam.
Hic depressa jacet quadratum *ante ostia* Saxum, Angeli Sella.
Instar quod SELLÆ commodioris habet:
Scilicet hic residens, *sua dona ferentibus* Urnæ
Matribus, Aligerum de grege Frater *ait:*
Quæritis AFFIXUM TRABIBUS; sed parcite luctu;
Victor iit superas, cernite Busta, *domos.*
Ingressus, quantum poteris comprendere visu,
Integra suspenso fornice Saxa *putes.*
Nec, curvatus eas, opus est: a vertice stantis
Tolluntur cubitos plusve minusve duos. Orgyj. 1½.
Hic si voce levi tantum dissolveris ora,
Verba resultanti murmure verba ferent.
Undique tum latera ostendit sic æqua capedo: Altit 6¾ Uln.
Pene ut sint oculis ANTRA quadrata tuis: Latit. 2¼ Uln.
Lata minus paulo tamen hæc quam longa videntur, Long 2 Uln. & 1½ Dodr.
Septem illinc, octo hic connumerando pedes.

Haud procul erectum est lapidum compagine FANUM;
Quod licet exiguum, non tamen arte caret.
Nec nitet aulæis paries festisque tapetis,
Atria ceu Regum Belgica pingit acus:
Marmore de secto sed quæ vidisse juvabit,
Sunt super extructis hic simulacra tholis,
Objicit angustum Templi pars ima SACELLUM,
Ædis in eximiæ concamerata modum.
Condita stant, tenui quamvis, Altaria cultu,
Apta ministeriis sed tamen illa sacris.
Hæc intra poteris vidisse recondita saxo
SCRINIA, quæ ferri robora dura ligant:
Proditor huc Judas funestum abjecerat Aurum,
Quo majus cuncto vendidit ære Bonum.

Templi S. Crucis exter. Long. 16$\frac{1}{4}$. Uln. Lat. 13$\frac{3}{4}$.

ab intra, pars inferior.

Sacellum Pharisæorum.

AT PARIES quod fissus hiat quadrataque Saxa,
Annorumne putas damna dedisse vices?
Falleris: hæc scissæ tristissima RUPIS imago est:
Omnia cum luctus signa dedere sui,
Tunc ubi suspirans ageret cunctisque peractis
Funderet heu! Animam Filius ille DEI.
Isthæc artificis rupit manus æmula Saxa:
Non fragor æthereus, non secuere dies.

ab extra Paries.

Rupes.

PArrhasidos, gelido Templum qua subjacet axi,
Undeno scandes celsa THEATRA gradu.
Hic, bissena Cohors qua discubuere, videbis
Mensam: libavit CHRISTUS ut ore dapes;
Et sua discipulis, morti jam proximus Ipse,
Membra sub exiguo pane meroque dedit.

Templi pars superior ab intra. Theatrum. Apostoli.

PELLUVII formam cernes, quo fertur IESUS
Fratribus exemplo crura rigasse novo:
Scilicet, hoc linquens ipsis imitabile factum
Muneris admonuit quemlibet ille sui:
Prædixitque, brevi quod quis perjurus eorum
Aggressurus erat proditione scelus.

Pelluvii Long. 2 Uln. Lat. 3. Dodr.

NEc minus & videas structam similem hicce CANALEM,
AGNUS PASCHALIS victima factus ubi.

Long. 2$\frac{3}{4}$. Uln. Lat. $\frac{3}{4}$. Uln. Altitud $\frac{6}{8}$. Uln. Trabes distant 1. Uln $\frac{1}{2}$. Dodr.

HInc incisa levi est Trabium distantia saxo,
Quas par pene novem separat ordo pedum:
His affixus erat CHRISTUS* palmasque pedesque,
Supplicium juvenes quique tulere duo:
Tum cui subdiderant CHRISTI patriamque necisque,
Causam, dant Tabulæ marmora secta modum.

* aversa facie ab Hierosolymis versus Occasum Solis. Tabulæ Long. $\frac{3}{4}$ Dodr. Lat. 1$\frac{1}{2}$. Dodr.

NOn procul hinc Abacus positus quadratus; ut in quo
De CHRISTI Stola tessera jacta fuit.
Hæc quia Signa ferox Svecus male surperat olim, **
Furta quidem laqueo, Rege jubente, luit.
Ast CAROLUS nuper nostram dum transit urbem
Victor, pensat ovans impia damna pie

** in Obsidione Gorlicensi 1640. Carolus XII. 1707. 12. Sept.

PAssibus hinc binis sacra digressus ab Æde,
Aspice, jam tecum cuncta dolere putes.
Ipsa cubat vivo Genitrix mœstissima saxo,
Amplectens GNATI membra cruenta sui.

36. pass. á cruce, Imago Christi & Mariæ uni lapidi incisa.

Quam

Quam turbata animo jacet ante exangve cadaver!
Quam ferit attonita pectora nuda manu!
Oscula dat lacrymis: & hians in pectore vultus,
Ante toris corpus quam posuere, fovet.
Ipse ego depingens confundor Imagine *CHRISTI.*
Ferreus est, quem non hæc Simulacra movent.

TErnas *inde* Cruces Tiliarum *robora monstrant,*
Consita suppliciis signa typusque DEI.

ab introitu usque ad Tilias 8. pass. distant, 2. pass. Tiliæ.

U*Tque* Sepulturæ *respondent cætera CHRISTI,*
AREA, TUMBA LAPIS, FANA, THEATRA, CRUCES:
Sic Similis fuerit geminam collatus ad Urbem
Hortorum, *spacio conveniente*, Situs
Adde quod Urbem urbi, Valles hic vallibus atque
Flumina fluminibus non aliena vides,
Templaque conveniunt templis: hic rupe sub alta
Stant, PETRE nominibus condita Fana *tuis:*
(Fornice quæ quamvis adyti Salomonis ad instar
Intus inaurato non laqueata nitent:
Structura tamen haut saxisque minora dolatis
Ænea turrita lamina fronte tegit.)
Hinc totidem passus sacram *numerabis ad URNAM*, (a)
A Solyma *quotquot par dabit* æde *situs.*
Hic quoque Nicoleos *panduntur limina* portæ,
Porta vetus Solymæ qua regione patet;
Hac lævam versus saceam *monstrabit ad* Urnam
Parva *suburbano flumine* Lynza *viam:* (b)
Quam levis assimilans vulgi sententia Cedro
Fallit, & ipsa caret fama vetusta fide.
Flumina namque meant Solymæ torrentia Cedri,
Qua rota Luciferi provocat orta diem.
Quosque per anfractus DOMINUS salebrasque viarum
Robora *sustinuit bajulus* alta crucis;

Similitudo Situs & Tractus Hierosolymitani & Gorlicensis, quoad Deductionem CHRISTI e domo Pilati in montem Calvariæ, quoad rationem Mortis & Sepulturæ.
Christi via dolorosa 970. passus.

Lunza, Rivus Kedron

Hos

(a) Von der Haupt-Kirche SS. Petri und Pauli an, die das Richt-Haus Pilati bedeutet, wird biß an das zunächst dem Nicolaus-Thore, im Hinaus gehen lincker Hand vormahls frey, jetzo an des neu-hingebauten Bäckers Hause anstehende steinerne Capellgen, die Distanz gewiesen: wie weit der HErr Christus zu seinem bittern Leiden und Sterben das Creutz allein tragen müssen: nemlich 286. Schritte. Darnach ist Ihm Simon von Cyrene begegnet, der von den Soldaten gezwungen worden, dem HErrn JEsu das Creutz nachzutragen, biß an den Berg Calvario, 647. Schritte: welches das andere steinerne Capellgen zeiget, so nächst an der Thüre stehet, wenn man hinauf zum H. Grabe gehen will. Von dar hat es der HErr Christus den Berg hinan biß zur Richt-Stätte allein getragen, 37 Schritte: daß also sein schmertzlicher Creutz-Gang in einer Summa gewesen 970. Schritte.

(b) Unweit dem H. Grabe wird durch eine Höhe der Oel-Berg, und durch das hinter dem H. Grabe Mittagewerts herab, zwischen der Nicolaus-Vor Stadt nach Mitternacht zu, auf die Neisse fliessende Bächlein, die Lunitz, der Bach Kideon bedeutet. Dieser fleußt aber in der Gegend Jerusalem von denen Mittags-Bergen herab; und stürtzt sich jählings durch das Thal Gehinnon gegen Morgen zu. Alsdenn wendet er sich am Berge Sion nach Norden: und bewässert das finstere, schwartze und weite Thal, so an der Morgen Seite der Stadt Jerusalem lieget; und zum Theil das Feld Kideon, theils auch das Thal Jehosaphat genennet wird. Endlich aber rinnet er durch den zertheilten Oel-Berg, und fällt in das rothe Meer hinein. Im Gegentheil aber lieget der Berg Gihon und die Schädel-Stäte an der andern, nemlich der Abendlichen Seite: wie solches des Reitneri Abriß und Beschreibung der Stadt Jerusalem ausweiset. Es ist hierbey noch dieses zu gedencken, daß solcher Bach Kidron allda sein Wasser nur vom Regen und geschmoltzenen Schnee herhat, und also nur des Winters ein Bach, im Sommer aber mehrentheils trocken und versiegen ist.

Hos certo referet, quem pingimus, ordine Tractus:
Unum ut qui novit, norit utrumque locum.

H*is mea plectra* Locum *sat erit cecinisse* Sepulcri:
Et mihi sit medius Carminis iste labor.
Dic Dea, quæ bifidi Nissum sub vertice montis
Incolis, & memori murmure facta notas,
Dic Dea, quis tanti Tumuli Fundator & Ædis?
Fallor, an unius sunt ope structa Viri?
Sic ego: sic madidos undis erecta capillos
Nympha dedit, rerum conscia, voce sonos.

Q*uos tulit* Heroas *Urbs hæc, monumenta loquuntur:* Gorlicium.
Famaque finitimis non male nota locis.
Si bene conjecto, non ulla est nescia tellus:
Legibus *hic sedem* Judiciisque *datam.*
Justitiæ hic ingens & cura, rigorque vigorque
Maximus, hic Pietas religiosa Viris:
Hic cum pace Fides simul & concordia Cives
Junxit, & unanimi vita tenore fuit.
Vivere tunc equidem tali vel Brutus in urbe,
Atque optasset idem forsan uterque Cato.
Mœnibus hoc istis virtus exercita Patrum
Ausa fuit quondam conciliare decus.
Quos inter sancto tulerant qui munere Fasces,
Laudibus extremus non EMERICUS erat. Emericus nat. 1422.
Hic bonus & Vir amans Patriæ, pietate secundus denat. 1507.
Nulli, nec Patriæ carior alter erat. 21. Jan. die
Ille EMERICUS Avis Atavisque insignibus ortus (c) Agnetis, ætat.
Condidit hæc BUSTI quæ Monumenta *vides.* An. 85.

A*udieram:* Vitæque *modum* Studiumque *roganti* Emerici Studia.
Autoris madido subdidit ore Dea.
Huic erat ut Juveni discendi mollior ætas,
Imprimis sitiit quærere mentis opes:
Et quicquid Latiæ sonuere per atria Musæ,
Quicquid Cecropiæ, discere cura fuit,
Tum magis atque magis juncto quo doctior usu,
Firmior ingenio judicioque foret,
Ultro censuræ leges subiitque tulitque
Nomina dans doctis more decente Viris.
Hinc Ipsi merito data Laurea *prima petenti,* Laurea.
Et tulit hæc studii præmia digna sui.
Jamque ubi naturæ secreta polique meatus
Discere conveniens Musa juberet opus,
Hinc alio raptavit amor, qua publica nempe
Cura gubernandi res animosque foret.
Impetus innatæ fuit hic virtutis & ardor.
Fatales rapiunt ad sua quemque Deæ.
Inclyta Regna prius conspexit & oppida Regum, Peregrinatio.
Longius a patrii dissita fine soli.

Hic

(c) Anno 1480. den 1. Octobr. hat Herr Emrich von Herrn D. Caspar Mariana, Herrn Johannis, ehmahligen Stadt Richters zu Görlitz Sohne, des Bißthums Meissen, unter Bischoff Johanne dem V. von Weißbach, Vicario zu Budißin, Concession erhalten: daß Er seinen intendirten Bau ins Werck richten mögen. Hierauf ist bald der nöthige Vorrath herbeygeschaffet, folgendes Jahr der Grund geleget, und Anno 1489. dieser antique Bau glücklich und rühmlich vollführet worden.

Hic mores hominum didicit, quæque extera Legum
Norma, rigor, pietas quæque recepta foret.
Noticia hac rerum, multoque edoctus ab usu,
Ad patria rediit tecta laresque suos.
Jamque ubi grata quies privatam degere vitam Emer. Civis.
Constituit, Civis conditione boni,
Tum secura petens Ipsius gloria portum
Succrevit tacita temporis aucta vice.
Publica cum demum Res ad sua jura vocavit, Senator 1470.
Et se sponte illo Consule, *passa regi est.* Ægid.
Et velut assidue qui Dorida viceril usu, Scabin. 1474.
Unica præficitur navita cura rati, Consul 1. 1483. 2. 1484.
Temperat hic proram, tempestatesque futuras 3. 1488. 4. 1494.
Edocet, & docta promovet arte ratem: 5. 1498. 6, 1502.
Sic quoque doctrina rerum & prudentior usu?
Suscipit hic Patriæ Sceptra regenda sua.
Quam subit indefessus onus, promissaque fatis
Munera magnanimo pectore fortis obit!
Quam Patriæ exoptatus erat, quam juncta Parenti
Cum populo Patres vota dedere suo!
Ultro suscepere Ducem, dubitetur ut, esset
Carior an Patriæ, Brutus an ille suæ?
Per populos primum ex æquo sacrata volentes
Jura dabat, Fidei Justitiæque memor.
Hac non vi nec forte dolis pervertere passus,
Sed pro Lege Vigil, pro Grege Consul erat.
Non pater aut alio quovis sibi nomine junctus
Solvendi Legum causa rigoris erat.
Quoslibet osores contemtoresque Statuti
Ceu primum media sustulit Urbe malum.
Strenuus hic Judex & inexorabilis ultor
In mala, quæ Juveni quæque patrata Seni.
Nec tamen austera fuerat feritate timendus,
Nec fortasse reis ore vel ense minax:
Verum cuncta prius facilis delicta domabat
Temperie atque animi dexteritate sui.
Tum quod præciperet populo in commune tenendum, (d)
Exemplo solitus primus obire fuit.
Civibus hinc major fuit observantia Recti:
Dulcius obsequium Vita Regentis alit.

NUnc Pietas memoranda VIRI est, pietatis & ardor:
Grande leves Elegi si modo fertis opus.
Ille ubi pene Senex actis melioribus annis, Peregrinatio iterata.
Infractus sed adhuc viribus acer erat,

Devia

(d) Als 1494. unter seinem Consulat die Willkühe, die Teacht und Kleidung belangende, war verlesen worden: und sein Ehe-Weib, Clara Eschlauerin, an einem Sonntage mit den Tochteen in die Kirche kommen, und zu breite Börtel (die doch in der Willkühr verboten waren) aufm Haupte getragen, und Er solches gesehen: hat Er alsbald den Thür-Steher zu seinem Weibe in die Banck geschicket, und Sie samt den Töchtern aus der Kirche heissen gehen, odee es solte Ihnen was anders begegnen. Derohalben Sie bald aufgestanden, und mit ihren Töchtern nach Hause gangen. Item, als er einer seinee Töchter Hochzeit gemacht, und aber viel frembde Leute erschienen: hat Ee in seinem Hause nicht mehr Gäste gespeiset, als in der Willkühr zugelassen wae: die andeen hat Ee in den Gast-Hoff ziehen, und sie daeinnen tractiren lassen, und ein Gewisses von ihnen gegeben.

Devia non veritus nemora atque pericula Ponti,
Ausus Judeæ regna subire fuit: (*e*)
Scilicet ut patriis Monumentum conderet oris,
Et suus in Superos cognitus esset amor.
Nubiferas primum transcendens attigit Alpes,
Servo uno atque alio concomitante latus.
Has ubi transierat, Venetum clarissima vidit
Mœnia, cæruleis undique clausa vadis.
Protinus hinc levibus remis huc vectus & illuc
Illyrico solvit turgida vela freto.
Hoc ubi felices sulcassent navibus æquor,
Per mare Carpathium puppe tulere viam,
Hinc Phœbea Rhodi contingunt littora, fulvæ
Pallade qua nata decidit imber aquæ.
Hinc Adamante potens & vero nobilis ære
Cyprus, & insignis murice visa Tyrus.
Ditis ad extremum Syriæ vada cærula legit,
Qua diffundis opes, clara Damasce, tuas.
Hic tandem fessis lætissima littora Joppes
Figere dant tuta sub statione pedes.
Protinus optatis succedens advena regnis
Vidit, Judeæ nobile quicquid erat.
Nec mora, continuo flexit vestigia gressu
Qua DEUS atque hominum Spes tumulata fuit.
Deinde sepulcrales *referens sua munera ad* aras,
Ad TUMULUM tales edidit ore sonos:

POst varios casus, & tædia longa viarum,
Salvete o votis BUSTA petita meis!
Vos Patriæ, si fata volent me vivere, condam;
Non alienus hic est a pietate labor.
Nec mihi Divitiæ, nec Honor mihi Nominis ampli
Quæritur, ast Summi Gloria sola DEI.
BUSTA iterum salvete! Meique hæc vota precantis
Audiat, hac sancta qui requievit humo.

D*Ixerat: & secum per mille pericula vecti*
Hæc jubet Artificis pingier arte viri,
Insuper & radiis & dimetirier ulnis,
Et descripta omni parte *referre domum.* (*e*)

H*Æc ubi nota Viri fuerat Pietasque Fidesque,*
Ipsa sibi Virtus præmia digna dedit.
Namque Sacerdotum Solymæ venerabilis Ordo ætat. anno 43. Anno 1465. d. 11. Jul. juxta Chronodistichon;
Huic dedit invito Nomen Equestre *Viro,* (*)

Tunc

(e) Anno 1476. als Er im Rathe gefeyert, kam Jhm die Begierde an, noch einmahl das heilige Land zu besuchen: zog derohalben nebst zween Dienern und einem Bau-Meister fort. Auf der Reise war Jhm eines reichen Tuch-Machers Wittwe, Agnes genannt, ein Weib von männlichen Muthe und Reden, in einer Mönchs-Kutte verkleidet, begegnet; und hat Jhn bey seinem Nahmen, George Emrich, geruffen. Da Er nun nicht gewust, wie Jhn der Mönch kennete; hat sie sich Jhm gemeldet. Worauf sie in ihrer Mönchs-Kutte mit Jhm hingewallfahrtet.

(*) Das Attestat seiner, durch Arabiam desertam auf den Berg Sinai, und von dar nach Jerusalem wieder zurück gethanen Wallfahrt, wie auch des allhier erlangten Geistl. Ritter-Ordens, lautet also: Hiermit sey Jedermann bewust: daß im Jahr Christi 1465. den 11. Julii E. l. 8. 1. Donnerstags, der Edle Herr George Emrich, Wallfahrten gezogen, und gen Jerusalem kommen: die vornehmsten Orte der heiligen Erden, die von

Tunc ubi bis septem fuerant post secula lustris
Addita bis binis altera lustra novem.

NOminis *ergo* novo hoc *EMRICUS adauctus* Honore
Dulcia natalis tecta petebat humi.
Et pede seu terras premeret, seu navibus undas,
Sidere felici Fata dedere viam.
Jamque Suis Patriæque redux, gratissimus hospes,
Regnorum exposuit, quæ peragrarat, opes.
Nomen & ob CHRISTI, sanctæ & Pietatis honorem,
Hoc tibi Posteritas sera reliquit opus. (*f*)
Adde quod & propriis construxit sumtibus illam,
Suppetiasque tulit nullius ære manus. (*g*)

EMRICVS, CVstos qVI gnaVVs reXerat VrbIs Frena, IVper CHRISTI BVSTA CreatVs EqVes.

D*Ixerat: illa caput placidis Dea condidit undis;*
Æternum Patriæ tale precata Decus.

N*Unc ad BUSTA DEI redeo, felicia BUSTA,*
Diverso varias tempore passa vices.
Bellica cum Regum turbaret factio gentes,
Exterus & Syriæ perderet hostis opes,
Multoties Solymea *feris vexata Tyrannis*
Mœnia *sunt, Ducibus sæpe subacta novis.*
Temneret at postquam tractanda munia pacis,
Inque DEUM & Vates urbs male grata foret:
Efferus hanc armis invasit & obruit hostis,
Mœnibus & fractis cuncta cremenda dedit.
Viribus hanc nullis, quamvis ingentibus, urbem
Vel Rex vel potuit quis reparare Ducum.
Oppida sed tandem huc Adriano Rege *fuere*
Condita vicinis, Elia *dicta, locis.*
Hinc incisa levi porcorum grandia saxo
Conditor affixit corpora liminibus.
Transitus hac populo fuit interdictus Apellæ,
Atque erat ingressis pœna luenda nece.

Ælius Adrianus condit vicum Æliam prope montem Golgatha, anno 73. post CHristum natum.

Huc

Christen jetziger Zeit ersucht werden, mit grosser Andacht besucht hat: und endlich über dem Heiligen Grabe zum Ritter geschlagen worden. Des zum Zeugniß hab ich Frater Franciscus von Placentia, Minoriten Ordens, Vicarius des allerheiligsten Convents aufn Berge Sion, und Verwalter der heiligen Erde, Jhm diesen offnen Brief, mit obgemeldten Convents grossen Siegel vermehret, lassen zukommen. Seyd alle gesegnet in CHristo JEsu, dem Seligmacher: und beschweret euch nicht, offte für mich zu bethen. Datum zu Jerusalem, im gemeldten Convent des Berges Sion, Anno 1465. den 11. Julii.

(f) Er bauete und stifftete auch Anno 1489. als regierender Bürger-Meister / allhier das Hospital vorm Frauen-Thor; ingleichen auch zu Budißin die achte und grössere Thumerey des Speeres und der Nägel des HErrn Christi: deren erster Besitzer sein Herr Sohn gewesen, Caspar Emrich, Doctor und Thum-Herr zu Budißin, hernach Decanus daselbst.

(g) Er ist ein Herr von sehr grossen Vermögen, und an baaren Gelde so reich gewesen, als an liegenden Gründen: sintemahl Er die Güter Schönberg, Halbendorff, Stoltzenberg: Heydersdorff Tilitz, Nickrisch, Hermsdorff, Leopoldshayn, Sercha, Sora, Neundorff, Lissa, Zodel, und halb Leschwitz, alle im Görlitzischen Weichbilde gelegen, besessen, und in der Stadt Görlitz sieben ansehnliche Häuser, nemlich 5. am Ringe und 2. in der Peters-Gasse gehabt: auch noch an baaren Gelde seinen 12. Kindern 31200. Ungarische Gulden hinterlassen: so daß Er wegen seines übertreflichen Reichthums damahls nur der Görlitzische König genennet worden. Von jetzt gemeldten seinen 5. Häusern am Unter-Marckte sind an einem Eck-Hause unter denen Lauben, gegen die Bäcker-Gasse zu, noch biß dato lauter halbe Monden zu sehen: sollen bedeuten, daß Er ein Adeptus gewesen.

Huc idola ferens & turpia numina Cæsar,
Instituit vetitis Sacra paranda modis:
Neve qua forte sacri *superesset gloria BUSTI,*
Cespite supplevit ruderibusque locum.
Nec satis hoc: Veneri statuit, qua Rector Olympi
Finierat vitam, templa, Jovique sacrum.

Oppida post eadem bellis agitata fuere,
Funditus & miseris diruta sæpe modis,
Ipsa Palestinæ multos cum regna per annos 180. annos.
Post Elii starent depopulata necem.
At Constantino *cum restaurata vicissim* Constantinus M.
Elia, *jam pietas cœpit honorque DEI,*
Deletaque Deum fœdis cum cultibus æde,
Cuncta prophanati visa nitere loci.
Tum, qua BUSTA DEI steterant ante omnia, Templum
Constantini Helene *condidit ipsa parens.*
Hic inventa *ferunt CRUCIFIXI ROBORA CHRISTI,* Læta CRUCIS Helenæ reperta pia cura Trophæa, d. 3. Maji A. C 325.
Hostibus huc olim, CHRISTE, retrusa tuis:
Hæc, ceu sola sibi divinitus ostentata,
Jussit adorari suppliciterque coli. (h)
Urbs ergo, autoris nuper de nomine dicta,
Antiquum Solymæ *nomen adepta fuit.*

Illa Saracenis post debellata vicissim
Regibus, haud parvo tempore culta fuit.
Hi sacrata DEO vastantes templa, pararunt
Apta caballorum sedibus, apta suum:
At, quæ sub DOMINI fuerant educta SEPULCRUM,
Hostiles adytis abstinuere manus.

Impius hanc etiam Sultani filius urbem
Ense potestatis subdidit inde suæ.
Et licet auspiciis Friderici *structa* Secundi,
Cumque fide pietas hic rediviva foret:
Sultanis tamen est bellorum ingentibus ausis
Capta iterum, sexta succubuitque vice.
Inde Tamarlanes, mox & Mahometicus hostis
Imperio victam supposuère suo:
Sacraque *vertentes penitus* monumenta, Sepulcri
Rudera succensis ipsa dedere rogis.

Huc licet impietas & inania numina Divum
Turpibus usque Sacris culta licenter erant:

Unus

(h) Anno a CHRISTO nato trecentesimo vigesimo quinto, Helena, Constantini Imperatoris mater, pietate commemorabili prædita, nescio, qua religione permota, Jerosolymam profecta est; ad visendum Locum, in quo Salvator mundi passus & mortuus esset: cumque eo venisset, CRUCEM, in qua CHRISTUS pependit, præcipuo studio perquisivit. Accessit igitur locum, qui vocatur Golgatha; multis verbis desiderium suum videndi CRUCEM CHRISTI declarans. Simul atque vero terram effodit, invenit Cruces tres: de quibus CHRISTUS cum latronibus duobus pependerat. Has cum gaudio magno spectavit: & in una earum titulum hunc legit: JESUS Nazarenus Rex Judæorum: ex quo CRUCEM CHRISTI certe cognovit. Pro hoc igitur gratias egit ardentes Ei, qui in Cruce pendens peccata nostra delevit. Claves etiam ipsus, quibus affixus fuit CHRISTUS, una cum Cruce, secum abstulit, &c. Vid. M. Dresserus de Festis Diebus Christianorum pag. 110. seq.

Anno Christi 629. 14. Septembr. Heraclius Cæsar CRUCEM CHRISTI recuperatam, solenniter Jerosolymam reduxit & exaltavit. Vid. idem Dresser. pag. 195.

Unus & hic alter cæcis velut abditus umbris
Relliquiæ CHRISTI de grege Præsul erat.
Hi fractis ergo Solymæ sub mœnibus urbis Circa ann. 1049.
BUSTA REDEMTORIS restituere DEI:
(Scilicet hoc veteris Solymæ, recte Elia dicta
Mœnia mutato nomine, nomen habent.)
Utque reservarent hæc intra spemque metumque,
Grande Tributorum sustinuere jugum.
Non ea sunt unquam post oppugnata Tyrannis, Circa ann. Chr. 1050 Peregrinationes ad Sepulchrum Christi ortæ sunt.
Salva sed huc Turcis Regibus usque manent.

Æ*Mula nunc igitur tantum, nec vera SEPULCRA*
Quæsitum Solymæ mœnia ficta petes.
Æmula sic dices, toto quæcunque Viator Cenotaphium CHRISTI æmulum.
BUSTA REDEMTORIS videris orbe DEI.
Cernis at ut Solymæ veris conformia BUSTA,
Nostra *quod* æquabunt sic Solymæa *putes.*
Vobiscum hæc certant, quæ statis in urbe Quirini,
Nec forma cedunt forsitan Euganeis.
Æmulus ejusdem statuit Simulacra *SEPULCRI,*
Qui Constantina Præsul in urbe fuit,
Conradus, cujus se immisit aranea scipho
Paschatos, ut Festo rite piabat opus.
Et tamen exhaustam fidenti pectore, membris
Illæsis, ipso reddidit ore die.
Verius hic Præsul Solymorum struxit ad instar
BUSTA, petens terna Regna beata vice.
Non, EMERICE, tamen Tua vincent Arte, nec ipsis
Sumtibus; hoc Civis, Præsulis illud opus.

E*Rgo EMERICORUM rutilis INSIGNIA PENNIS* Emericiana Insignia.
Scandere sidereи quis vetet astra poli?
Hæc Galea & Clypeus decorant fulvaque Corona,
(Donavit merito sic Pater Imperii.)
In Clypeo, Clypeumque super se CASSIDE monstrat
STRENUM gemini corporis una soror.
Ardua nimirum virtute pericula fortes
EMRICOS, ithacum ceu, superasse monent.

* * *

E*MRICI Proavi Virtutem imitare GEORGI,* Ad Nobiliss. B. Dni EMERICI posteros.
Omine Qui fausto Nomina tanta geris.
Fac ipsum videat redivivum Patria Civem,
Inclyta dum referes Ipsius Acta Tuis.
Te Virtute decet non tantum Sangvine niti:
Gloria Majorum est laude referre decus.
Arte togæ meritis patriæ, pietatis amore
Ut celebris tollas Nomen ad astra Tuum.
Omnia Te Proavi memoranda exempla monebunt:
Tu modo quod vitæ cunque sequere genus.
EMRICI Proavi Virtutem imitare GEORGI:
Sic eris & Patriæ Gloria magna Tuæ.

ORA-

(i) Anno 1710. mens. April. haben die damahligen Herren Curatores (Tit.) Herr Bürger-Meister Johann Friedrich Schön, und (Tit.) Herr D. Johann Martin Möller, Scab. beyde jetzo seel. Andenckens alles von innen und aussen schön renoviren, und den gantzen Platz mit einer neuen Brett-Wand umziehen lassen.

ORATIO
ET
ELEGIA
De horrendo quingentarum ædium almæ ZITTÆ
VII. Junii Anno Christi 1608.
INCENDIO,
Justiciæ & misericordiæ JEHOVÆ, adposteritatem futuram, consecrata
a
MELCHIORE GERLACHIO,
Sorano M. Poëta Laureato, ejusque scholæ Rectore, recitata

Et

Mense eodem Junio fatali, typis novis Venatoriis, in ea urbe, excusa.

ANNO CHRISTI NATI
M. DC. XI.

Amplissimis & Consultiss. DDD. Reipub. Zittanæ Cosss. & Senatoribus, Dominis & Patronis.

Justiciæ ne prius miremur signa, Deive
Gratiæ? utramque nimis tristia fata probant.
Tristia fata urbis nostra: fuerat modo nostra:
Maxima ut in cineres pars resoluta fuit.
Postera, si fuerit, nimium hæc mirabitur ætas:
Jacturam hæc sentit corporis ac animi.
Majores longo servarant tempore nostri
Quæ bona, jam subito sustulit una dies.
Ipse JEHOVA potens potis est benedicere: clemens
Adficiturque malis: emeruitque fidem.
Nitimur hoc; vestra Patres Patriæque paterna
Cura: quæ præstet consilium auxilium.
Hos nostros gemitus animo accipitote benigno:
Uni sit summo Gloria summa DEO.

Melchior Gerlachius,

Exordium a χρεία. SCite admodum Sapientia cœlestis & æterna CHRISTUS JESUS nos simplices esse jubet, sicut columbæ; prudentes, sicut serpentes.

De columbis. Columbæ equidem felle carent: castæ sunt: consvetudine mutua gaudent: læticia, radiis Solis benignis eas foventibus, exultant: accipitrem hostem caute fugiunt: pullos complures excludunt: granis pascuntur: fluminibus denique limpidis delectantur.

Adplicatio. Eadem ratione nos Christiani, ex CHRISTI mandato φιλειρήνασι pacis amantes simus: ad DEUM nostrum mentem castam, corda & vota nostra casta, ejus ductu sancto, pie devolvamus: conventibus piis gaudeamus in DOMINO: Justiciæ Sole CHRISTO IESU radios gratiæ in nos emittente, demittente, exultemus: voce nostra cordis plectro laudes ejus depromamus, decantemus: infernalem accipitrem, hostem ἄσπονδον, ejus organa & opera fugiamus: semine verbi divini famem animæ sedemus: limpidissimis Israëlis fontibus sitim nostræ animæ restinguamus: & in sua quisque sorte & vitæ conditione, pro talento divinitus commisso, docendo, dicendo, juste regendo, liberaliter fovendo alendo pullos multos Gallinæ glocienti CHRISTO JESU adducere conemur: eo omnes cogitationes intendamus: eo omnia consilia, omnia facta dirigamus: eventum DEO præpotenti committamus, commendemus.

Prudentia serpentum. Prudentia etiam serpentum imitatione digna a sapientia nobis cœlesti CHRISTO JESU sapienter commendatur. Sentientes enim serpentes tectas insidias in vim manifestam erumpere, in gyrum acti huc illuc transiliunt: ictus evitant: actutum Caput recondentes corpus vibrant suum, & sic sæpe incolumitati consulunt suæ: donec in antrum, in quo tuti latitent, se recipiant, exuvias etiam serpentes cum anno novo exuunt: & vel juve-

na-

nescere, naturalium rerum scriptoribus attestantibus, videntur.

Adplicatio. Prudenter & nos Christiani, ex CHRISTI nostri mandato, serpentum instar agamus: &, si Satanas hostis noster ejusque organa maliciosa nobis insultent; vel animæ insidias struant: jacula in nos ignita mittant: lumbis veritatis cincti: justiciæ thorace induti: pedibus Evangelio pacis calceati: fidei scuto muniti: galea salutari capiti nostro imposita: gladio spirituali verbo DEI arrepto, Caput nostrum JESUM CHRISTUM in intima cordis penetralia recondamus, & sic quavis Satanæ & Satanistarum insidias & vim invalidam evitabimus.

Epiphania scholastica. Anno equidem veteri jam elapso: Adventu & natali Domini dominantium cum Ecclesia, concionibus piis & cantionibus suavibus celebrato: τὰ ἐπιφάνεια Ecclesiastica, Circumcisionis festo: politica & gentium die Magorum solennia agitavimus: conjugalia Dominico sequente die celebraturi: scholastica nunc nudiusquartus in Ecclesia celebrata celebraturi in schola sumus nostra.

Si enim magnum; si arduum; si admiratione dignum: quod æternus DEI Patris æterni Filius infans ex Maria virgine natus: in Ecclesia se pro nobis circumcidi & offerri passus: non minus id magnum, arduum & admiratione dignum: quod non tantum in campo, gregis ovium pastoribus, per Angelum præconem, & cœlestem Angelici chori Musicam se manifestaverit: sed quod ipsemet Filius DEI puer annos duodecim natus Synagogam vel scholam primum præsentia ornare sua; in eaque δοῦναι καὶ ἀποδέξασθαι λόγυς (quod præceptorum & discipulorum est προσηκέμενον) dignatus sit.

Musarum sane honore indignis sint Musæ mulæ; famaque nostra fames: simus περιψήματα vel καθάρματα, modo non βδελύγματα; vel literatorum etiam mala feriatorum calculo, sancta in Ecclesia provincia, vel politico ordine indigna: id tamen interdum luctantes fluctuantes animos erigat nostros: quod ipse Filius Dei scholasticus esse dignatus sit: quod ipse Filius DEI Præceptoris provinciam, discipulos informandi, in se recipere dignatus sit. O humilitatem: quam neque cogitationibus, multo minus verbis adsequi possumus. Hac humili dignitate & digna humilitate omnes omnium Satanæ squamarum calumnias vincamus, superemus, rejiciamus, abjiciamus.

Prudentia προσκείμενον. Prudentem porro virum Homerus noster egregie describit:

ὅς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

Qui norit præsentia, dudum facta, futura:

Idipsum eleganter Poeta expressit:

Quid sis: quid fueris: quid sis aliquando futurus,
Assidue tecum si meditere, sapis.

Janus. Eodem fine Ethnica turba Janum, a quo mensis hic Januarius dictus: qui ex Julii Cæsaris per Sosigenem constitutione annum nobis novum recludit, bifrontem finxit: non tam quod Noah vini cultorem primum (cum Jain Hebræis vinum sit) primi & secundi mundi αὐτόπτην notaverint: quam quod prudentiæ, de veteri anno finiendo & anno novo inchoando aliquod μνημόσυνον esse voluerint.

ἀπόδοσις. Anno itaque elapso, divina annuente gratia, ad finem deducto, novo cœpto, si quis memoria, quæ facta, quæ fiant, quæ futura sint, de hac urbe nostra animo recolligat suo: obstupescit & vox faucibus hæret. Dicendum tamen, quod DEI nostri est, dicendum. Quid dicendum? immo vel lacrymis deplorandum, detestandum.

Cum Propheta enim exclamemus: Defecerunt præ lacrymis oculi mei; intumuerunt viscera mea: effusum est in terram jecur meum propter contritionem filiæ populi mei. Complaudunt super te, o urbs dilecta, manibus, transeuntes per viam, sibilantes & moventes caput suum dicentes: Hæccine urbs, quam dicebant perfecti esse dacoris?

Versatur enim ub oculos, hei nimium ob oculos animi versatur, si quæ facta sint, considerentur, tristissimum illud urbis, pro dolor, nostræ incendium. Si præsentia animo meditemur nostro: difficultatem hei duram lares sentiunt nostri vel minima ex parte restaurati. Si futura ex præsentibus & præteritis colligamus: tristiora nobis fata imminere videmur. O nos miseros: in quæ incidimus tempora! O tempora, o mores, quibus miseri hei nimium nunc premimur, modo non opprimimur!

Propositio. Dicam ergo, quod pietas postulat, urget, de incendio urbis nostræ horrendo: & ita dicam, ut si quæ facta sunt, quæ fiant vel futura videantur esse, animo probe pervolvamus nostro: justum esse DOMINUM nostrum, & rectum judicium ejus: misericordiam tamen DOMINI evidentiorem celebrandam; quod non plane consumti sumus.

Vos, quotquot adestis, compello: ad vos mea se convertit oratio: qui vel miseriæ vel misericordiæ oculati vel auriti testes fuistis & estis. Oculis nunc vestris obversetur tristissima illa urbis nostræ facies: & vel saxea fuerint corda, quæ non justiciæ DEI & misericordiæ notis illis percellantur, emolliantur.

Benevolentia. Cum hæc ad DEI nostri justi Vindicis & Patris misericordiæ gloriam faciant: de prudentia sub novi anni auspicium comparanda, confirmanda: de simplicitate animi pia & pietate simplici & sincera culenda; ferrei simus, nisi justicia DEI horrenda, nisi misericordia DEI im-

immensa animos nostros moveat & ad pietatem veram deducat.

Attentio. Aures itaque non tam quam animos adhibete: & quæ de justicia & misericordia DEI præpotentis dicenda sunt, accipite, percipite, suscipite, & in vestrum usum salutarem adcommodate.

Precatio. Quia vero sine divino numine nihil est in homine: corda nunc nostra auro fidei veræ sinceræ tincta, thus devotæ invocationis, & myrrham amaræ calamitatis nobis immissæ DEO offeramus, litemus nostro: orantes Patrem æternum, ut nobis filiis suis paternam castigationem veram τὴν ἐπανόρθωσιν esse sinat: Filium DEI orantes, ut fraterni amoris cognitionem in cordibus excitet nostris: Spiritum sanctum orantes, ut justiciæ & misericordiæ divinæ celebrationem radiis gratiæ suæ efficaciter urgeat: ut dicenda dicamus, audienda audiatis, & ad vitæ nostræ rationem DEO gratam pie adcommodetis. Respice ergo nunc natos o Pater æterne Tuos: & mentem caligine offusam obfuscatam o Pater luminum gratia illumina paterna. Fratres nunc o Frater cœlestis ne desere: & cum sis λόγος: rationem nostram & orationem excole: linguam nominis Tui sancti gloriæ sanctæ plectrum rege: ut oratione quæ depromenda sunt depromantur ætabili multisque salutari. Tu vero Consolator & Advocate cælestis, Patrone summe, clientem juva sustenta tuum; ut oratio feliciter fluat: ariditatem irrigatione tua salutari subleva.

In auditoribus etiam o Pater cœlestis mentes illustra; ut intelligenda intelligant: O frater cœlestis IMMANUEL noster, pro tuo in nos fraterno amore nos ducito, doceto: O janitor cœlestis cordis nostri Spiritus sancte, aperi corda tuorum fidelium: si quæ rigida, flecte: si quæ arida, irriga: si quæ frigida, fove: si quæ devia, rege. O beata Trinitas, o æterna Unitas. Tibi debetur omnis honor: tibi benedictio & claritas: tibi gratiarum actio: tibi honor, virtus & fortitudo DEO nostro in secula seculorum.

Narratio. Jam divina hac fretus gratia, ad vos, Auditores lectissimi, redeo: & quæ dicenda sint, brevibus indico. Mensis hic est vicesimus: ex quo funesta illa dies Junii septima, anno σημαντικοῖς literis notato InCenDIVM Zittæ, incendio, pro dolor, funesto & fatali, huic urbi amplæ, bene ædificatæ, celebri; ipso sole in meridiano versante; cœlo sereno: æstu summo: siccitate diuturna: omni opinione citius, intra horas tres, tertiam partem quingentas ædes vi subita abripuit, devastavit: plateas quindecim ædibus evacuavit; acervis ruderum obruit: ædes immo fere omnes omni supellectili, frumentis, vestibus privavit: quin & ipsam Curiam, Curiam, pro dolor, nostram magnifice sumtibus magnis a majoribus extructam ignis corripuit, maxima ex parte vastavit: & ipsam turrim arte singulari affabre factam flammis diu multumque agitatam dejecit: horologii campanas liquefecit. Pluribus cladem hanc efferre verbis lacrymæ obortæ prohibent, cohibent. πάθος.

Neque vero id nobis vitio ducendum: si summam cladem, si lamentabilem miseriam; si necessitatem extremam; si angustias arctissimas animo contemplemur nostro. Adestis, qui hæc vidistis: qui hæc sensistis & sentitis, adestis: Quis sibi temperet a lacrymis?

Exempla. Marcelli, Scipionis, Vespasiani. M. Marcellus Cos. Rhomanus de Syracusis inflammatis: Scipio Carthaginensis de Carthagine ardente: Titus Vespasianus de Hierosolymitano templo & urbe devastata lacrymas fudere largas. Ii Ethnici sine vera veri DEI agnitione, uno rationis ductu, de honesto & turpi discernendo ducti: & hostes quidem de hostibus: nos Christiani vera veri DEI agnitione imbuti, Spiritus sancti templa vel Trinitatis sanctæ domicilia; fratres de fratrum clade summa a lacrymis abstineamus? Quid vero? Quod factum est, infectum fieri nequit. Si bona accepimus, cum Hiobo exclamemus, mala cur non sustineamus? DOMINUS dedit: DOMINUS abstulit. Sit nomen DOMINI benedictum.

Quia itaque DEUS præpotens noster per Spiritum sanctum innuit; scribenda esse magnalia sua in generatione altera; & populum, qui creandus sit, laudaturum DOMINUM. Præcepta DEUS sua nobis ob oculos posuit nostros: se esse Dominum nostrum, & rerum nostrarum omnium: se esse DEUM fortem Zelotem, iniquitatem in tertiam & quartam generationem visitantem: sed præcepta DEI audire noluimus. Hæc itaque quæ facta sunt semper in corde sint nostro: hæc filiis narremus nostris: hæc sæpe multumque meditemur, vel in postibus domuum nostrarum & in ostiis scribamus.

Docilitas. Ut vero intra metas orationem contineamus certas: duos scopos nobis præfigamus: alterum horrendam DEI nostri justitiam; alterum paternam DEI misericordiam.

μερισμός. Eo collimabimus omni studio: ut ex iis, quæ de incendio urbis audiveritis, vel ad DEI justiciam humili, ad misericordiam grato animo omnia referatis

I. de Dei justicia. Ut de aliis aliarum pœnarum generibus homines cœco opinionis errore, unde illæ oriantur, ducuntur: sic & de incendiis variis iisque erroneis sententiis fluctuant.

Causæ incendiorum particulares. Alii siderum συσχηματισμοῖς: alii Satanæ insidiosæ de hominibus perdendis maliciæ: alii hominum, organorum ejus incendiariorum diabolicæ vindictæ: alii supinæ de igne observando negligentiæ pœnam hanc divinam adsignant.

Inde

Inde qui Justitiæ & Juris antistites sunt, incendia vel ad dolum in bellis & pace, vel ad culpam hominum, vel ad casum referunt.

Dolus in bellis. Dolum quidem in bellis putant; dum variis instrumentis in oppida & urbes ignis trajicitur: unde incendium multis in locis, quod vix prohiberi vel cohiberi potest, exoritur.

Sic Roma a Germanis, Brennone Duce: Sic templum Hierosolymitanum a Titi Vespasiani militibus: sic Athenæ, sic Troja igne injecto conflagrarunt.

Dolus in pace. Dolo etiam interdum, pacis tempore, incendiarii vera diaboli organa incendia excitant.

Ita Erfurdiæ urbis satis amplæ Thuringiæ pars tertia, anno Christi 1472 19. Junii, in cineres soluta.

Ita anno 1507. 19. Sextilis, Brega Silesiorum a fabro lignario incensa, 96. ædes conflagrarunt.

Hanovia etiam Silesiorum anno 1581. incendiariorum malicia tota est exusta.

In hac denique urbe nostra anno Christi 1526. per pannificem mendicum ternis in locis inflammata ædes 27. Cos. Joh. Klebergio conflagrarunt.

Fulmina. Tum vero vel fulmine ædes tactas, & igne orto totas periisse urbes, vel plurimas ædes absumtas esse, ex historicorum fide dignorum monumentis constat.

Ratisbona Imperii urbs clarissima anno Christi 1132. tota fere, 30. ædibus relictis, est exusta.

Capitolium Romæ anno Christi 188. cum Bibliotheca & vicinis ædibus igne cœlesti periit.

Anno 1528. pridie festi Pentecostes, templum B. Virginis in suburbio nostro fulmine læsum: ignis tamen restinctus.

Idem anno 1535. denuo cœlitus accensum, Cos. Frid. Wigando, misere conflagravit.

Hominum culpa. Culpa denique hominum ut plurimum incendia excitari, in confesso est: vel balneis, furnis vel aliis fornacibus, aut infumibulis non probe munitis: vel ipsis ædibus non caute dispositis · vel tegulis ligneis æstu admodum aridisque flammas concipiunt facilime: vel hordeo triticove tosto: vel cerevisia cocta, flammam vim nimiam concipiente: vel candelis ardentibus neglectis: vel dum felis vel canis in prunis latitantes adusti ignem per domum disperserunt. Quis faue culpæ hominum, de incendiis ortis varios modos recenseat?

Exempla exotica. Constantinopolis. Sic incendium Constantinopoli Anno Christi 433. ortum quod integrum fere triduum duravit, & maxima urbis pars exusta.

Cracovia. Sic Cracoviæ Anno Christi 1455. igne in Cos. ædibus excitato quatuor templa & plateæ complures in cineres solutæ.

Wratislavia Silesiæ metropolis Anno Christi 1341. tota exusta. Wratislavia.

Quid vero de exoticis: quin immo in hac Hexapoli provincia nostra, hominum culpa urbes magnam jacturam fecisse, memoria recolligimus, vel a majoribus traditum, confirmatum habemus. Hexapolis.

Budissinam Anno Christi 1598. 2. Julii. ipso visitationis Mariæ festo, plurimis in urbe & suburbiis septentrionem versus sito, ædibus igne absumtis, horrenda DEUS ira sua visitavit.

Gorlicii media pars Anno Christi 1525. 12. Junii.

Laubanum Anno Christi 1554.
Lobavia Anno Christi 1570.
Camicium Anno Christi 1572. exustæ.
Sic & aliæ in Silesia & Lusatia urbes.
Goldberga Anno Christi 1554. & 1576.
Bischofswerda A. C. 1528. & 1596.

1691 m. Mart. 300 ædes Gorlicii flamma periere, & Templum S. Petri cum tympanis omnibus.

Cotbusium Anno Christi 1600. culpa incolarum igne conflagrarunt. Alia exempla.

Nostra vero inprimis hæc urbs sæpissime, pro dolor, hoc fatum incendii funestum, permittente DEO, sensit. Zittaviæ incendia.

Anno Christi nostri nati 1359. oppidum hoc ligneis ædificiis constructum fere totum exustum: cui Carolus IV. Imp. tr enn'i pensionem annuam, ut lapideas primas extruerent ædes, remisit. 1359.

Anno abinde decimo tertio, hebdomade Crucis, cruce eadem hæc urbs afflicta; dum igne nocte orto, oppidum vicissim fere totum in cineres est solutum. 1372.

Tum vero Anno Christi 1422 Sigismundo Imperatore, die divisionis Apostolorum, in textorum platea incendio subito excitato magna urbis pars concidit. 1422.

Anno Christi 1455. quo urbs hæc Ladislaum Regem hospitem excepit, platea textorum, tum vero a Judæis a viridi colore, & postica usque ad turrim Budissinam mense Junio exustæ. 1455.

Anno Christi 1473. vigiliis Mariæ Magdal. incendium in nova urbe (cujus mentione exhorrescimus) exortum vento versus cardinem cœli orientalem agitatum, subuibium a B. Virginis porta fere longa ædes plurimas conjunctas, ad extremam usque portam una cum templo vicino exussit. 1473.

Neque vero jam de ternis ædibus A. C. 1551. in doliariorum platea, Cos. Johanne Hobergio: 1551.

Non de quinis Anno Christi 1520. Cos. Wenceslao Lankisio: in Judæorum platea, & totidem Anno Christi 1562. in platea a scopis dicta Cos. Nicolao Dornspachio: 1520. 1562.

Non de septenis Anno Christi 1566. in laniorum platea Cos. Cœlestino Henningo: 1566.

Non de senis in textorum, binis simul in Ju-
1603. dæorum platea Anno Christi 1603. Cos. Pro-
copio Nasone:
1585. Non de tricenis illis Anno Christi 1585. Cos.
Augustino Kohl.
1589. Non de 150. ædib. Anno Christi 1589. 5. Augusti in postica, lactea Budisina usque ad domum S. Paracleti, tum in textorum, Judæorum, lata, usque ad viridem plateis, una cum hominibus undecim combustis, & ternis in cellis suffocatis nunc dicam.
1608 Sed de quingentis hujus urbis domibus simul semelque pro dolor fere omnino in cinerem solutis dicendum vel potius lamentandum.

Qui homines in culpa. Vere utique & verissime culpam agnoscimus & accusamus nostram: neque heros & heras, famulos famulasque, cerevisiæ coctores, architectos de ædificiis extruendis, negligentiores excusamus.

Verum a quo nobis incendia omnia immittuntur?

Quod Mauricius Imperator videns liberos & conjugem gladio mactari; lacrymis largis fusis exclamavit: nos eadem pietate tristem urbis desolatæ faciem contemplantes exclamare possumus & debemus: Justus es, DOMINE, & justum judicium tuum.

Causa princeps incendiorum. Neque enim est malum in civitate, quod non faciat DOMINUS. Nisi hic vigilaverit & custodiverit civitatem: frustra vigilant qui custodiunt eam.

Ierem 15. Deut. 32. A cujus enim furore ignis oritur? Certe JEHOVÆ.

Quis hostes suos in clibanum ignis in tempore iræ ponit? JEHOVAH.

Psal. 21. Quis igne homines consumit? JEHOVAH.

Esa. 26. Quis in fumum solvit urbem totum diem? JEHOVAH.

Cap. 65. A quo visitamur flammis ignis consumentis? A JEHOVAH.

Cap. 29. Jer. 51. 49. A quo portæ urbis accenduntur? A JEHOVAH.

Thren. 4. Quis in Zion ignem accendit? JEHOVAH.

Hoseæ. 8. Quis in urbes munitas ignem domus consumentem immittit? JEHOVAH.

Amos 7. Quin immo quis ignem ad consumendum mittit? Solus JEHOVAH.

Baruch. 6. Cujus mandato ignis paret? JEHOVÆ.

Testes. 7. Moses. David. Esaias. Jeremias. Hoseas. Amos. Baruch. En testes tibi septem: Mosen servum DEI; fidelem: Davidem virum secundum cor DEI: Prophetas quinos omni exceptione majores.

Hi enim a DEO missi: hi Spiritum DEI habuerunt nostri: hi non solum infimi subsellii hominum sed & potentum peccata magno zelo & acri sermone arguerunt: hi de pœnis peccatorum verbo DOMINI in ore posito certi quid adseverarunt: hi speciales eventus, Spiritu veritatis suggerente, sunt vaticinati.

Simile. Non secus vero ac pater liberos castigaturus virgam iis ob oculos positam, ut in officio contineantur, exhibet: Ita DEUS Pater noster cœlestis eandem nobis pœnam indiciis certis significavit: sive sursum, sive deorsum animi meditationes intendamus nostri. *Signa προηγούμενα.*

In cœlo. In cœlo Sol, sæpe ignea forma mane & vesperi nobis objecta, verno ardescere visus est tempore.

In aëre. In aëre, autumno superiore, Octobri mense Cometa ξιφοειδής ab occasu in ortum vergens vel locum notans, ex quo incendium vires sumturum esset suas, adparuit: qualis eadem forma Anno Christi 1340. conspectus est; cum Wratislavia Silesiæ metropolis fere tota in favillos est soluta. Noctu ignis quatuor ex plagis cœlo delapsus: flammea crucis imago multis visa, crucem hanc & calamitatem urbi huic imminentem portendens.

Quam crebræ vel verno tempore erant tempestates: quibus cœlum coruscans ignem oculis objiciebat nostris: Magni in aëre ventorum impetus Principis aeris furorem nonne notarunt?

In terra. Infans in utero latitans vagiit ejulando & fatum funestum patriæ nondum visæ præsagiendo.

Non equidem his omnibus superstitiose nitimur: sed ea, damno accepto, eidem, aliorum doctorum calculo, præsagia adjungimus. Audiistis quæ justitiæ divinæ signa incendium urbis præcesserint: quæ horrenda justiciæ DEI nostri documenta in ipso incendio hei nimis conspicua fuerint, accipite.

In ipso incendio Dei justitia. Tempus. Locus. Die Junii septimo Saturni nomine notato, præcedente κρίσιμον Medardi diem, undecima meridiana audita, cum vel tertius ad duodecimam quadrans immineret; tacite in ædibus novæ urbis Martini Scholandi, ad infumibulum flamma vires agens, opinione citius tegulas tecti aridas arripit: vicinas ædes ternas corripit. Vigil tibicen in turri templi parrochialis agens ad campanam adproperat signum luctuosum & funestum daturus. Verum restis attrita rumpitur: mora de signo dando incendii nectitur: interim ignis rapidus vires agit suas. *Incrementum.*

In nova urbe clamor oritur: vicini accurrunt attoniti, stupore & terrore Panico correpti. Qui scalas subministrassent: qui tecta vicina conscendissent, adsunt nulli. Canalis vicini usus nullus. Ubi situlæ? ubi urnæ? Canthari lignei semel adhibiti dejecti disjiciebantur.

En subito ignis ligna arida fagina, pinea, abiegna magna copia hyberno frigore via bene strata transvecta arripit: vis ejus intenditur, augetur: e regione, occasum versus ædes corripit: & fluctuum instar flammis & fumo conglomeratis, vi magna monasterium versus devolvitur; alia parte ad scholam deproperat.

In-

Interea junci & straminis mergites, quin & tegulæ in altum vi ignis educuntur, circumvolitant. Inde simul & semel in Bohemica platea, in novæ urbis meridionali parte forum versus & qua mechanici plurimi occasum versus habitant, ignis oritur; & in postica ædium fori partes, in Judæorum & textorum plateas prorumpit.

Plateæ igni accensæ. Hic videas intra horam mediam incendium ex nova urbe in forum figulorum, in plateas a cerevisiæ vectoribus a carbonibus, a calcaribus, a doliariis, a laniis, a balneatore, a viriditate, a malvis, a rosis, a Judæis, a monte declivi, a textoribus, a latitudine dictas quindecim dispersum, disseminatum.

Templum S. Johannis. Ad ipsum templum D. Johannis juncus colligatus, in aëre in gyrum actus, intra turrim aleram & tectum dejectus se demittit: cementum ariditate solvitur: ignis penetrat; tigna octodecim corripit: Ipsa etiam concava pars turris templi superior; cui campana adnexa est, quæ horas notat singulas; cum undiquaque templum ignis vi circumdatum esset, aduritur: Sed vicissim, una DEI nostri gratia, nullo humano subsidio, flammæ periculo liberatur. Turris. Tum vero ululatum horrendum, in aëre, supra templum vel ipsorum aëris principum audieris. Sunt fide digni testes, qui hostem nostrum ἐπιχαιρέκακον in flumine antiquo molæ urbis vicino, forma terribili visum se abluere, testantur.

Schola. Contigua porro scholæ huic nostræ domo igne correpta, videris ex fœno, stramine, frumentis, lignorum strue magnum incendii impetum. Imbrex pinea adusta deflexa humi ignem & in tertiam & quintam classem immittit. Lignile & alia in area scholæ domuncula per fenestras domus contiguæ igne prorumpente accenditur: flammæ ad fenestras secundæ classis allidunturs quin & ipsum horti scholastici sepimentum accenditur, & porta ejus plane comburitur. Lateres equidem tecti scholæ & templi sustinere aliquantulum vim ignis videbantur. Daniel Burchardus Cos. Hic vero te amplifs. Consul Daniel Burcharde compello. Nihil dans auribus tuis candide profiteor; te hinc inde cursitando, equitando & aquam subministrandam curasse, & urgendo, instando, de subsidio ferendo dignam officio & pio in patriam amore fidem præstitisse. Jam certe tecti scholæ tigna aliqua adusta ex contigua domus ardentis parte conspiciebantur pavimenti foribus perfractis; nisi & strenuam operam navantes de igne per tegulas conspicuo extingvendo adduxisses; & aquam advehendam fideliter curasses. ignis prævaluisset.

Monasterii turris. En vero vicina monasterii turris & cyprio ære in tecto soluto, & media sphæra (ut vocant) horarum inde combusta, præsentissimum urbis reliquiis periculum minabatur. Nisi te jubente, urgente, turrim vel unus ascendisset, & unam vel alteram aquæ situlam affudisset: reliqua urbis pars exigua inflammata in cineres soluta esset.

Curia. Interea cura tua fideli, ad curiam ab ignis immmentis vi defendendam certi ordinati: qui quæcunque potuerunt, in tanta vi flammæ præstiterunt. Facta tamen divina voluntas.

Turris. Tandem enim vi magna irrumpens flamma vires agit; & ipsam turrim affabre ὀκταέδρῳ forma factam corripit: atque sic (miserandum, deplorandum) corona urbis concidit. Campanæ. Campanæ æstu ignis liquefactæ decidunt: tectum curiæ corruit: pavimentum aduritur: δικαστήριον Senatus. ignis desilit: picta aulæa corripit, corrumpit: ipsum sanctum justiciæ sanctæ (pro dolor) locum invadit, & omnia exurit.

Incolarum planctus. Quid vero urbis incolæ? quid peregrini vel rustici, quorum plurimi mercatus gratia ipso Saturni die aderant? Plerique incolæ, relictis ædibus flamma correptis, manibus plangentes, lacrymis ora defœdantes, fumo nigricantes; cum æstum sustinere haud possent, ad portas properant; laribus DEO commissis, liberos errantes amissos quæritant. Peregrini. Hos rustici aliique peregrini, mercibus collectis, cursu anteverterant.

Planctus. Videris tum, videris (pro dolor) senes decrepitos vix reptantes, anhelos, manibus tremulis in cœlum sublatis, quin audiveris voce eos rauca patriæ suæ modo ædificiis splendidis ornatæ valedicere

Viri viribus languescentibus attoniti stabant, omnia sua periisse conquerebantur. Matronæ honestæ, aliæque mulieres, pueri puellæque manus in cœlum tendentes ejulabant, plorabant, lamentabantur, Puerperæ ex puerperio per subitam vim exactæ infantulos tenellos brachiis gestantes passim vel in ipso cœmiterio oberrabant. Procopius Naso Cos. Cos. Procopius Naso vel emortuus subita animi consternatione, in suburbio Budisino, quo, podagra laborans rheda transvectus erat, patriæ cladem, lacrymis largiter de genis fluentibus, spectabat. M. Zach. Posselt. Ecclesiastes pius & fidelis M. Zacharias Posseltus phthisi omnibus viribus exhaustus; ut immunis ab imminente sibi esset periculo, patriæ valedicens suæ vel vivum cadaver per portam efferebatur. Uterque anno eodem, hic die ab incendio quinto; ille pridie natalis Domini τῇ ἀποπληξίᾳ vitam caducam cum æterna commutabant.

Vis ignis. Nonne hæc iræ & justiciæ divinæ argumenta horrenda: quod neque pavimenta luto bene planata; neque valuæ & januæ ferreæ, neque testudines probe concameratæ vim ignis cohibere vel prohibere potuerint. Canales subito exhausti: putei exusti: quin & imbrices per quos in hortis meridiem versus fluenta per mœnia se exoneraverant una cum canali balneatoris, aqua fluente (rem miram) in ipsa terra combusti,

Nullus aquæ tum usus: ubi ignis prædominabatur. Sunt qui, aqua igni infusa, vim flammæ auctam excitatam testantur. Vis ignis tanta fuit, ut libri, literæ in pagos vicinos vel vias longe dissitas in aëre trajecti sint. Tum vero vere DEUS præpotens noster in caminum ignis ardentem prospiciebat. Ipsi Solis radii, aere sereno, & hei nimis lucido, impediebantur: & vel ipse Sol in cœlo lugere fatum funestum videbatur: cujus ad occasum vergentis formam videris lamentabilem.

Planctus post incendium.

Curia, ædes in foro & plateis quindenis omnes igne æstuabant: plateæ omnes obrutæ; & aditus ad eas intercludebatur omnis. In cellas, in testudines vel aliquam supellectilis partem alii recondiderant. Tum vero animo solicito e longinquo stantes vel pedibus titubantibus ambulantes, justam DEI iram & pœnam contestabantur. Alii aquæ penuriam: alii peccata potius sua, quibus aquæ usus interclusus, detestabantur. DEUM, lacrymando, lamentando, plangendo, ut reliquam urbis partem servaret, obtestabantur.

Illucescente die, summo diluculo; cum somnum oculis non vidissent suis, urbis incolæ animo & corpore ægro, qua accessus dabatur, vel e longinquo domos adspectabant suas: an in fornicibus, an in cellis vel aliqua reliqua essent; suspenso animo inquirebant. Ubi vero mensæ? ubi scabella? ubi cibus? ubi potus? ubi spondæ? ubi lectisternia? Ubi infantulorum miserorum cladem non intelligentium, misere vagientium cunæ? Igne omnia perierant. De cochlearibus ligneis venalibus emendis plurimos tum contendere, vidi.

Dies Dominicus. Cantica. Aus tieffer Noth ꝛc Weltlich Ehr ꝛc. Ach lieben Christen ꝛc.

Campanæ signo, quo ad templum convocabantur (Dominicus enim dies erat,) dato; viri palliis plerique & pileis carentes, fœminæ puellæque squallidæ, lacrymis fusis se nunc a verbo divino audiendo invitos excludi conqueruntur. Pauci cives ad ædem sacram fumo ex vicinarum ædium combustione repletam deproperant: Peregrini plurimi oculorum pascendorum gratia confluunt. Næniæ tristes de necessitate summa: de divitiarum vanitate: de ira DEI justa decantantur.

Concio.

Concio de epulone divite non tam, quam de Lazaro ejusque per incendium adsciis nunc plurimis Lazaritis ab Ecclesiaste M. Joachimo Pascha, lacrymis fusis, habetur.

Miser post incendium status.

Tum vero, sacris finitis, viæ in plateis non erant tutæ: quod muri flamma adusti plurimi ruinam minitarentur: Cives pleriq; quibus ædes fuerant magnifice extructæ, vesperi urbem relinquunt: in vicinis pagis, in suburbio, in hortis, in prædiis, agunt. Alii in partem urbis exiguam incolumem servatam migrant: inquilini modo qui ædium splendidarum possessores pridie fuerant: modo rerum omnium egentes, qui in re lauta & aucta pridie fuerant: fame laborantes panes ex vicinis urbibus & oppidis advectos (non sine lacrymis id vidi) petere non erubescebant.

O justitiam DEI horrendam! O peccata nostra detestanda! O sortem humanam miram & miseram.

Justitiæ divinæ exemplum. 1. Schaaf Gott.

En vero justiciæ divinæ exemplum commemoratione dignum. Scurra vel plurimis notus, qui ovem DEI pro agno DEI sæpe jocando, modo non blasphema voce indigitaverat, cognomine inde sibi adscito vino adusto lotio Satanæ inebriatus, in platea, incendio oborto, pedibus titubans dum oberrat, igne obruitur & misere suffocatur, aduritur: ventre dilapso, costis denudatis, vel viscera & cor impium spectatoribus spectanda exhibuit.

2. de fœmina.

Tum etiam fœmina jam fugam, domuncula inflammata, parans in cubile, ex arca argentum relictum depromtura redit: sed præoccupata ignis velocitate, suffocata fumo & flammis misere interit. Postridie incendii, ipso Dominico die mater & filius ad ædes in nova urbe agentes, muro delapso opprimuntur.

Scholastici.

Quid de scholasticis tum nostris miseris? Quæ mea de ipsis in ipso incendio cura paterna: quis dolor: quis luctus tum animum occupaverit meum: qui gemitus, quæ suspiria, quæ preces, vel faucibus aridis, ὁ καρδιογνώστης noverit. In templo, Dominico die vel aliqui conveniunt: lamentationes supra notatas decantant. Postridie, signo campanæ scholasticæ convocati pauci se sistunt: alii palliis, alii pileis, alii calceis, alii libris, quos Vulcanus abripuerat, destituti.

Operæ scholasticæ.

Tum itaque hymno Ambrosii & Augustini, de templo, schola, granario & Bibliotheca publica & monasterio & aliqua urbis parte servata, admonitione pia de justicia & misericordia divina præmissa laudes DEO decantatæ.

Johannes Winckler Conrector. M. Daniel Burchardus M. Johan. Schindler.

Quia terni Collegæ superiores eandem pro dolor cum aliis civibus jacturam rerum suarum incendio fecerant: classibus ternis conjunctis threni Jeremiæ Prophetæ a me παραφραστικῶς tractati & ad præsentem tristissimum urbis nostræ statum sunt adcommodati.

μετάβασις.

Dixi de justitia DEI nostri ante incendium, in incendio & post incendium nobis ob oculos posita: non ut pro cladis miserandæ miserrimo statu debui, sed ut, pro tenui Minerva, potui: vosque auditores lectissimi, vel justo diutius detinui: nunc de misericordia DEI paterna, immensa, infinita, vela orationis contracturus, dicam. Si enim de pœna justa me non tam dicentem quam lamentantem audivistis: nunc de misericordia DEI gratuita celebranda, deprædicanda me dicturum audite.

Argumenta misericordiæ divinæ.

Quis hominum vel potentia vel dignitate præ aliis excellentium tum nobis auxilium tulerit? Ab hominibus certe deserti omnibus ad unum DEUM Patrem animum, gemitus, suspiria, vota dirigebamus nostra; per & propter FILIUM ejus unicum μεσίτην καὶ ἱκέτην instabamus, urgebamus: qui ad dextram

PA-

PATRIS sedens σπλαγχνισθεὶς pro nobis supplex factus auxilium tulit.

Tempus. Quod enim non noctu, somno nobis sepultis ignis exortus: ubi certe vel infantuli, vel senes decrepiti, vel ægri, terrore subito, relicti plurimi periissent: una DEI nostri misericordia est celebranda, deprædicanda.

Quod non hyeme, qua frigore admodum intenso, die brevi; sed æstate, tempestate serena, die fere longissimo, quo labores restaurationis urbis suscipi perfici felicius potuerunt: una DEI nostri misericordia est celebranda, deprædicanda.

προκαταρκτική. Moverunt utique cor DEI nostri paternum lacrymæ, angustiæ pupillorum, viduarum; infantulorum vagitus: matrum planctus: piorum hominum de familiaris rei jactura vota ardentia: vel ipsa φιλανθρωπία DEI aliis modis plurimis confirmata.

Etsi vero non omnia clementiæ & bonitatis paternæ argumenta recensere: immo neque cogitando assequi possimus: neque temporis ratio id admittit: pauca paucis accipite.

Nihil in quindenis plateis & foro præter rudera vel muros adustos, omnibus etiam lignorum particulis exesis: prout τῇ συμπαθείᾳ vere pia, modo non fusis lacrymis, corde suspiria & gemitus ducente, Vir pietate & sapientia literata excellens Caspar a Metzrad in Dobersehitz, S. Cæs. Mti. a consiliis, Marchionatus hujus superioris Lusatiæ præfectus, & officii & officiosæ propensionis ratione, rumore tristissimo in metropoli percrebescente adproperavit, & de turri templi cladem magnam, contemplatus; animi dolorem pium piis contestatus est verbis: nihil, inquam, in quindenis plateis & foro præter rudera & muros adustos. *Præfectus provinciæ. αὐτόπτης.*

Mira equidem justiciæ & misericordiæ τῇ συνεργίᾳ DEUS domos quasdam non ita bene munitas, incendio cinctas, uno tecto exusto, servavit. Immo vero vel quatuor domunculas ad mœnia portæ Bohemicæ superiore parte adusta sitas, omnibus reliquis igne abreptis, incolumes esse voluit. *Ædes servatæ.*

Tum etiam, cum nulla humani subsidii spes reliqua esset: auxilium præstitit divinum præsentissimum. In nova nostra urbe, qua ad portam Beatæ Virginis itur, ad dexteram, serie satis longa ædes viginti duas DEUS servavit. Granarium & stabulum publicum, ubi fenestræ tecti plurimæ patuerunt, quas circum flammæ & stipulæ ardentes volitarunt frequenter, illæsum esse voluit: ut frumentis exinde egeni sublevari possent. *In urbe nova.*

Curia. In Curia τὸ δικαστήριον; judicio & scabinorum ut locus esset, in quo jus & justicia administraretur, cum carcere vicino ab ansere dicto servavit: reliquis in superiore & media contignatione omnibus combustis.

Schola. Scholæ ædificium satis splendidum, domo contigua in cineres soluta, servavit: ut esset locus, in quo vera veræ pietatis, linguarum & artium fundamenta jacerentur: prout in discipulorum numero & frequentia (rem miram) nihil desideravimus. Sileat os impudens saliva Satanæ conspersum: quod scholæ dissipationem longe lateque disseminavit. Aliud certe, una DEI nostri præpotentis misericordia, classes testantur omnes.

Templum. Ædem porro sacram magnifice extructam, ara splendida, suggesto, binis organis, baptisterio, epitaphiis & subselliis superioribus egregie pictis ornatam servavit.

Bibliotheca. Domum S. Paracleti a patribus de Owin dictam una cum Bibliotheca publica, anno superiore a senatu regiæ hujus urbis instaurata, clementer idem DEUS noster, in usum publicum servavit.

Monasterium. Vicinum monasterium & templum Divi Nicolai vere miraculose idem DEUS noster servavit. Tecti enim lateres plurimi perfracti: fenestræ perforatæ, vix octo ulnarum intervallo distantium ædium flammas exceptas non receperunt, vel receptas extinxerunt. In domunculæ horto conterminæ tegulas exiccatas perforatas (rem miram) domus vicinæ urentis partes inflammatæ deciderunt; neque tamen eam inflammarunt.

Plateæ servatæ. Plateas idem senas, angulum, Budisinam, textorum fere totam, posticam, a lacte dictum angiportum, ædes ad Patrum vel S. Paracleti domum sitas septenas numero, vel quartam urbis partem idem DEUS noster servavit.

Ignis cohibitio divina. Etsi enim vis ignis jam cohiberi haud posse videretur: miraculose tamen per Angelos, ut in camino Babylonico (quibus precando verbis utebar) passim ignem, ne ulterius grassaretur, idem DEUS prohibuit noster. *Metæ ejus.*

In urbe nova. In nova urbe, inferiore versus meridiem parte, tectum fœno & stramine repletum a flammis circumvolitantibus, & contiguæ domus exustione illæsum unus ille DEUS præstitit noster, ibique incendium restinctum voluit.

Metæ aliæ. In platea a latitudine dicta: in ædibus posticæ horti scholastici parti contiguis: in ædibus Cos. Nicolai Dornsbachii (memoriæ beatæ) domui forum versus oppositis cessare ignem idem DEUS jussit noster, cujus mandato potenti ignis etiam paruit: ut vim remittere omnem, Spiritu bono deprimente & cohibente, videretur.

Pietatis præmium. Libidinum pœna. Nonne hæc etiam mira misericordiæ & potentiæ DEI nostri τὰ τεκμήρια? In eadem testudine supellectilem civis honesti & fœminæ farinæ promiscuæ, subito pavore & animi consternatione mixtam ignis irrumpens corripuit, hujus absumsit, illius sartam tectamque reliquit. Invenerunt alii linum prunis ardenti-

Miraculosa protectio. bus mixtum neque ustulatum: lectisterniis ex una parte igne correptis; in ipsis plumis ignem suffocatum: omnia circumcirca ambusta & serica tibialia flammæ capacissima integra & illæsa alii invenerunt: ne de stramine, fœno, lineiis filis, linteis & aliis in ipsa flamma servatis dicam. Tanta DEI unius nostri & solius est potentia; tam paterna clementia & misericordia.

Restauratio publicorum ædificiorum. Quid de curia magna ex parte; quid de turri ejus restaurata? de horologio reparato: campanis ternis feliciter fusis: domo libripendii, Typographia nova magnis sumtibus extructis? Quid de ruderibus aggerum instar coacervatis vel semestri, in agros hortos fœcundandos, & vias explanandas transvectis, & foro ac plateis evacuatis & mundatis, per quas transitus nun patebat, dicam?

συμπάθεια vicinorum. Nonne & hæc evidens misericordiæ DEI paternæ nota: quod vicini τῇ συμπαθείᾳ pia adducti egenos vel postridie incendii (cum Senatus aliorum indigentiam de granariis sublevasset suis) panibus, butyro & aliis victui necessariis missis, de fame sublevanda, sublevaverint. *Eleemosynæ distributæ.* Tum quanta, DEUS bone, panes avide desiderantium appetentium frequentia? qui tum ejulatus? quis planctus? quæ querimoniæ? Non certe sine lacrymis largiter fluentibus vidi, audivi. Adproperabant matres omnibus fortunis exutæ: ulnis infantulum tenellum gestantes, binos ternosve ducentes, cibum expetentes expectantes: unde iis darent de suis, nihil supererat.

Rem miram, a viris fide dignis, qui cibaria illa in domo S. Paracleti a Patrib. de Ovvin dicta in vicinia distribuerunt, fide digna relatam, *Panum miraculosa distributio.* confirmatam accipite. Panes illi de curribus translatos in conclave infimæ contignationis reponunt: ordine de commodiore distributione disponunt: panes distribuunt: repositoria evacuant alios expectantes a prandio redire jubent: locis vacuis relictis januam probe obserant. Reversi domu sua, loca vacua panibus repleta, numero panum non imminutu inveniunt. Sicut ἐσπλαγχνίσθη, corde & aliis in corpore visceribus vitalibus συμπάθειαν contestantibus commotis, de turba in deserto esuriente Christus; sic jam ad dextram DEI Patris sedens gemitus, lacrymas viduarum, pupillorum, infantulorum tenellorum, & aliorum rerum omnium egentium & miserorum hujus urbis incolarum miseriam respexit.

Ventorum cohibitio. Nonne hæc etiam evidens misericordiæ divinæ nota, quod vel vento promiscue modo ex ortu, modo a meridie, modo a septentrione spiranta, aëre ignis vi commoto, ita flammas volitantes DEUS cohibuerit noster: ut neque ulla in suburbio domus, neque horreum corripuerint.

Periculi pulveris pyrii aversio. Mœnia etiam dum flammas concepissent eaque a porta textorum meridiem versus usque ad mediam partem, per ambitum versus Budisinam portam tendentem adusta exusta fuissent: non longe a propugnaculo, in quo pulvis pyrius inferiore parte, superiore frumenta reservari solent, longius latiusve corripi flamma haud potuit. Quantum enim inde reliquæ urbis parti, quantum suburbio, vel templo & scholæ ex monasterio vicino; quantum vel hominibus inde periculum oriri potuisset: quivis facile intelligit.

Infantulos porro in prægnantium matrum utero latitantes & matres ipsas attonitas ita DEUS custodivit noster: ut neque abortum fecerint, neque in ullius infantuli (quod obstetrix testata est) nota vel macula incendii, quæ alias in facie oboriri solet, sit conspecta & animadversa: quin immo ne semestri ab incendio natos numerem: hoc ipso anno elapso, qui nati sunt infantuli, ternis desideratis, anni dierum numerum adæquant. *Infantulorum in utero custodia.*

Alias terror, stupor, consternatio animos dum percellit: multi morbis periculosis corripiuntur: alii subita apoplexia extinguuntur. *Ægrorum protectio.* Pauci vero ab incendio, divina benignitate, hac vita sunt defuncti: alii potius ægri terrore illo perculsi valetudini pristinæ sunt restituti. Anus decrepita animam actura, cum reconciliationem publice de suggesto paulo ante petiisset, jam jam τὴν ἀνάλυσιν beatam animæ suæ expectasset: tum de lecto periculi incendii metu surrexit, adhuc in vivis superstes. Tanta DEI nostri clementia, tanta bonitas, tanta benignitas: ut etiam in ira & vindicta de peccatis nostris justa, cor paternum miseria hominum miserorum adfectum celare non possit. *ἐκ φάνσεις.* O Patrem cœlestem vere patrem nostrum! O Fratrem cœlestem vere fratrem nostrum. O Spiritum sanctum παράκλητον & παραστάτην nostrum fidelem.

Restauratio. Unum τὸ ἐπιβάλλον μέρος paternæ clementiæ adjungo. Hyeme adpropinquante, superiore anno ædes 363. lignis dispositæ, tectis munitæ, & vel hypocausto & cubili penuariove instructæ sunt numeratæ: nunc reliquæ omnino vastæ. Unde ligna? unde tigna? unde tot tegulæ? unde tot lateres? unde cementum? Unde ea copia clavorum ferreorum tegulis & asseribus adfigendis, lignis aliis conjungendis adhibitorum? Immo vero plures quam 400. operarii, fabri lignarii, cementarii ex Silesia, Lusatia inferiore, Bohemia, Misnia, ab incendio, ad urbis restaurationem non vocati adproperarunt.

Legimus in historia sacra de Hiram Rege, quod Salomoni, templo ædificando, virum vel architectum sapientem miserit, filium mulieris de filiabus Dan: cujus ingenium Spiritus sanctus DEUS noster mirifice celebrat. *Architectus.* Si parva licet componere magnis; ut de celebranda DEI nostri bonitate libet, licet: divinam celebramus providentiam; quod architectum nobis, hominem habitu corporis rusticum,

ſticum, geſtibus ſimplicem; ſed non tam ex phyſiognomicis principiis, quam experientia ingenioſum virum: qui turrim reſtaurandam, lignis quercinis diſpoſuit, diſpoſitam in cœmiterio vicino, ſine omni periculo, (de quo DEO gratiæ agendæ) in alto compoſuit, erexit, & in ſummo culmine ventorum indice ornavit. Sed quo delabor miſericordiæ divinæ admiratione, deprædicatione? Dilatatum nunc eſt Cor meum: anima mea magnificet Dominum: exultet Spiritus meus. Repletum eſt os meum laude DEI decantanda, celebranda.

Priusquam vero colophonem laudum divinarum adjiciamus: ſecundum DEUM noſtrum, qui ita paternam nobis exhibuit miſericordiam, animi humili ſummiſſione, & devota ſubjectione deprædicamus celebramus Invictiſſimi & potentiſſimi D. Rodolphi II. Imperatoris & Domini noſtri clementiſſimi Chriſtianam vereque piam clementiam & miſericordiam: quod de civitatis hujus jactura reparanda, reſtauranda, reditus Cameræ ſuæ in hoc diſtrictu totum quinquennium remiſerit. Damnum equidem ita magnum: ut humano more loquendo, poſteri demum in integrum reſtitutionem (ſi quos DEUS eſſe voluerit) ſint viſuri, celebraturi. Quid enim? Tectis muri ruinoſi plerique ſunt operti: tignis juncti, diſtincti: ſed ad damnum reſtaurandum reparandum plurima requiruntur.

Rodulphus II. Imp.

In DEO & ſecundum DEUM Cæſarea Majeſtate confidimus: tanquam ſub Aquilæ alis latitantes: eam DEI noſtri vicem in orbe Chriſtiano tenentem gratiæ ſuæ radios, quibus nos ſubditos ſuos viciſſim foveat demiſſuram: & quæ ad urbis ſuæ reſtaurationem faciant, clementiſſime admiſſuram, conceſſuram.

Hoc miſericordiæ opus coram Chriſto Judice, ab eodem vitæ æternæ gloria compenſandum, & coram angelis & electis omnibus deprædicandum, indigenæ vel incolæ pii rerum nunc omnium egentes, viduæ, pupilli, infantuli tenelli celebrabunt. Interea Cæſareæ Majeſtati gubernationem felicem, valetudinem firmam, contra hoſtes felicitatem, ab omnibus periculis immunitatem devota animi ſubjectione, precamur.

Præſes provinciæ.

Neque vero incluti & Generoſi Domini, Domini Abrahami Burggravii de Dona, Baronis in Wartenbergk, Bralin &c. Marchionatus hujus Præſidis clementiam & vere pii, ſtrenui & ſapientis viri, Caſparis a Metzradt in Doberſchitz &c. Conſiliarii Cæſarei, & huius provinciæ Præfecti pietatem ſingularem, de clade hac ſublevanda, miſeris erigendis, ſilentio prætereamus. Hos DEUS præpotens noſter diu ſuperſtites & incolumes ſervare: horum omnibus conſiliis & actionibus, in commune emolumentum ſalutare benedicere dignetur.

Præfectus provinciæ.

Peroratio.

Plura equidem eſſent vel plurima miſericordiæ DEI paternæ argumenta: quibus nos iram potius juſtam meritos paterne ad ſe invitat, vocat, citat: ſed temporis ratione, ne veſtra in audiendo benignitate abuti videar: ad finem deproperandum eſt.

Quæ cum ita ſint: prout, pro dolor, ob oculos verſantur noſtros: noſtrum certe eſt exuvias veteris anni nunc deponere: & digniores digniſſima noſtra Chriſtiani nominis profesſione nos gerere

παρηγορία de divitiis.

Locuples fuiſti: divitiis cares? Spinis deceptionis vel, Auguſtino atteſtante, periculo poſſidentium precioſo, domino malo, ſervo proditore, pennarum ſpiritualium viſco, adulatorum patre, doloris & curarum filio, timore habentibus, dolore non habentibus, Mammone nunc liber es: ne animum emolliat tuum: ne cor tuum ad ſe rapiat: ne te quaſi captivum ducat: ſolicitudinibus variis & vanis diſtrahat, oneret: ne DEO recte ſervias tuo.

Quid eſt ergo quod egeſtatem ægre fers præſentem. Victu, amictu, conſcientia bona propter DEUM, fama bona propter proximum, αὐταρκεία pia contentus eſto. Divitiis brevi æternis ſancto Filii DEI ſanguine partis æternum frueris.

Illecebrarum incommoda.

Voluptatum forte vel illecebrarum priſtinarum, in opum adfluentia meditaris? Hæ certe animi obſcurant induſtriam: mentis perſtringunt aciem: rationis obfuſcant judicium: conſiliorum impediunt dexteritatem adeoque animi partes digniores a virtutibus ad vitia, ab honeſto ad turpitudinem detorquent. Non certe tibi, Chriſtianus ſi ſis, adfectandæ, ſed debellandæ ſunt mundi voluptates. In DEO oblectare tuo orando, laborando, ferendo, ſperando. Hic ex torrente ſuæ voluptatis divinæ te inebriabit. Guſta, quam ſuavis ſit DOMINUS: & omnem illecebrarum ſuavitatem reſpues, relinques.

Conſolatio de bonis huius ſeculi.

Eruditio.

Rom. 8. Eſa. 44.

Omnem nunc ſpem abjectam de nervis, quibus nitaris, adquirendis, conquereris? O vanitatem vanitatum. Vel enim internis vel externis frui mavis bonis. An eruditione prudentia pompoſa? Hæc ſi carnis ſit: Legi DEI inimica eſt: hanc DEUS ſtultam facit: eam perdit reprobat.

Genus.

An externis tibi Chriſtiano nitendum confidendum gentilitiis inſignibus? Ille certe apud DEUM, Hieronymo atteſtante, præeſt potior, non quem generis nobilitas, ſed quem fidei devotio, & ſancta vita commendat: & ſi vitiis ſervire dedignetur.

Forma. Robur.

An corporis forma & robore? Uno morbo, vel hora una corporis robur & pulcritudo expugnatur.

Felicitas.

An priſtinam felicitatem jactitas? Proſperitate vitæ prioris & rerum abundantia veluti equis duobus vectus ad vitiorum ſentinam exorbitaſti: ventris ingluvie: veſtium mollicie, ocii & ſoporis ſuavi reſolutione. Aurigæ his

equis

equis præfuerunt Torpor & Securitas. Vigilemus potius: oremus & humiliemus nos sub potente manu DEI nostri; ut nos vicissim exaltet teopore suo. Interim, prout anni hojus numerum αἱ σημαντικαί ootant literæ, pIe orantes, pIe ferentes, fIDelIter laborantes, pIe spereMVs.

Divitiæ veræ. En divitias tibi in egestate summa abundantes: quas nec ignis edax, nec sæva innndatio, nec fures nec latrones rapient. Contra has neque Satanas oeque ejus organa neque portæ inferorum prævalebunt.

Quæ divitiæ sint illæ, quæsiveris? In adoptionem filiorum DEI per Christum JESUM prædestinatus es: quia baptizatus credis & es salvandus. Pater ergo tibi DEUS ditissimus: Ex DEO natus es: Mater tua est fœcunda Christi Sponsa: Divinæ consors es naturæ: De te angeli sancti sibi gaudent.

Es in DEO, quidquid es, & in Christo. Et DEUS in te est. In te DEUS vivit: & in DEO vivis.

Spiritus Sanctus DEUS noster in te templo suo, in te vase misericordiæ suæ habitat. In te fidei lux, spei splendor, caritatis ignis emicat & fulget.

Thesaurus DEI es Patris tui, precioso ejus Filii sanguine redemtus. Precium certe maximum: Redetotor maximus. Hinc, oon ex divitiis vanis & vagis æstimationem tui & dignitatem agnosce: utque infirmitati ignoscat tuæ, DEUM ora.

Esa. 43. Audi vocem Patris tui: Noli timere: quia redemi te: te vocavi nomine tuo, TU MEUS ES.

Matth. 11. Audi vocem Fratris tui: Veni ad me: Ego reficiam te. Intra te est regnum DEI: quod non est esca, potus: sed justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto.

Rom. 8. Tibi DEUM diligenti omnia cooperabuntur in bonum.

Honos summus. Es Arbor illa, Psalte regio attestante, plantata secus decursus aquarum, fontium Israëlis. Folia non defluent tua: & omnia quæ facies, prosperabuntur.

Desideras honorem in his terris. Quis non eum honoret, quem DEUS honorat? Te si quis tangat, pupillam oculi DEI taogit.

Dilutio querelæ de imprudentia. Imprudentiæ cladem adsignas? Dabitur tibi, id adserente & adseverante Christo, sapientia, cui nemo resistet. Christus veritas est: Hujus veritatis esto observans: Nunc in DOMINO fortis esto. Temetipsum vincendo victoriam reportabis victoriosissimam. Mitis, exemplo Christi, esto & humilis: Spes DEO fulta speraotem non frustratur.

His μαλάγμασι quisqois hac clade adfectus fuerit, se suffulciat, sustentet, erigat, surgat; ad unum DEUM confugiat. Sic vera pace Christi fruetur: sic vero gaudio in DOMINO perfundetur: sic sine mundanis curis nimiis & solicitudinibus vivet. Sic in domo ejus vera gloria veræ divitiæ erunt. Sicubique benedictus erit: quia DEUS ejus protectio, custos, vindex: donec anima ex corporis ergastulo liberata, corpore terræ matri reddito, sub reditum Christi ex morte resuscitatus a Christo io æternam gloriam, & gloriosam cum omnibus sanctis angelis & electis beatitudinem transferatur.

Ut vero hæc oratio, prout cœpit, vera pietate desinat: laudes divinas, de justitiæ & misericordiæ divinæ gravi & suavi moderatione, decantemus.

Laudate ergo DOMINUM: quoniam bonum est canere DEO nostro: quoniam suave. Decora est laus ejus. Laudate DOMINUM: invocate nomen ejus: Cognoscere facite in populis opera ejus. Peroratio in gloriam Dei cedens.

Date fortitudinem DEO: Super Israel magnificentia ejus: Et fortitudo ejus in cœlis. Traducatur horum memoria ad posteros. Et filii nondum oati liberis annunciabunt suis: neque beneficiorum DEI oblivisceutur & mirabilium, quæ præstitit nobis: ut timeamus nomen DOMINI ab occasu, & gloriam ejus ab ortu.

Laudetur nomen DOMINI: quia exaltatum est nomen ejus: gloria ejus super terram.

Justi gaudete in DOMINO: gloriam ejus celebrate.

Gratias agite: sanctitatem ejus commemorate.

Laudate DOMINUM: quoniam in secula misericordia eius. Nunc timorem cordibus injecit nostris: ut nomen ejus sanctum invocemus.

Hic est DEUS noster: neque est alius qui cum ipso comparetur. Propter verbum suum: & secundum Cor suum fecit omnem magnitudinem hanc: ut notam faceret servis suis. Sit nomen DOMINI benedictum ex hoc tempore usque in seculum.

DIXI.

ELE-

ELEGIA.

Jubila læta aliis, aliis plaususque relinquo:
Queis furere insano pectore turba solet.
Vota relinquo aliis facili nunc vena Hymenæa;
Vel quæ priscorum fabula ficta notat.
Tristia sunt nobis hei fata, hei tristia fata, Propositio.
Tristi Elego, tristi mente canenda piis.
A Zittavæ nunquam quæ sensit tempore Zitta,
Fata canam: horrescit mens, calamoque animus.
Cœnobium quæ fundavit, nomenque reliquit Zittava Manfredi Marchionis conjunx. A. C. 1021. Ottogarus.
Huic urbi: parum abest quin ea finem habeat.
Deliciæ hic olim fuerant, queis gaudia fixit
Ottogarus: dictus Primisclaus erat.
Primisclaus erat Bojæ Rex ordine quintus:
Huic ad Sudetas hortus amœnus erat.
Primus is hæc urbis curvo dimensus aratro est.
Mœnia: in his legit deliciasve sibi.
Hic nunc tristiciæ sedes: hei tristia fata;
Quæ lacrymis potis est nemo notare satis.
Ergo lubet nunc nostræ urbis renovare dolorem,
Sæpius hei pia mens quæ meminisse dolet.
Nunc versu incipiam fatalem exponere flammam.
Fatalem flammam nunc bona Zitta doles.

O Patris æterni Verbum mihi suggere verba;
Lumineque illustra pectora nostra tuo. Invocatio.
Quo referam cladem hanc, quam nulla oblitteret ætas:
Nulla dies sileat; multa dies doleat.
Corda move, quia corda tuo pia Numine flectis:
Aspira cœptis, Spiritus alme, meis.

Tempus erat, quo Sol Geminorum terga premebat, Tempus. Sol in gem.
Ascendens summi climata summa poli.
Tum cives, modo queis arcus, celeresque sagittæ
Sunt curæ, malo ut dejiciatur avis,
Læti animo: sic nempe juvat condire labores
More suo: recte gaudia sueta fovent.
Tum solenne sacræ Triados venerabile festum
Finierat nostra cœtus in urbe sacer.
Saturnique dies funesta illuxerat illa Die Satur. a festo Tri. Junii 7. Meridies.
Falciferi: Junii septima eratque dies.
Ipseque sol medio cœli fervebat in orbe:
Tractabatque domi prandia quisque suæ.
Grandior ecce ululans fracto campana boatu
Signabat tristi tristia fata sono; Signum incendii.
Ferali bombo fatalem nunciat ignem:
Horrendum resonans ingeminatque sonum:
Obstupui: steterumque comæ: vox faucibus hæsit:
Ipsaque in attonito bucca tremore stupet. Planctus.
Hic ego: dum vires sanguisque e corde redirent;
Triste gemo, tristi voceque clamo nimis:
An claves adsint: possint reserarier omnes
Nempe seræ: sero pœna parata nimis.

O flamma infelix, iuquam. Hæc incendia cladem
Intentant urbi tristia fata novæ:
Q dn ? etenim fervet Sol ardens: arida tecta
Causa incendii.
Sunt: Vere accensa est iraque justa DEI.
Hei quotus est, qui non divinam provocet iram?
In pœnamque ruit crimine quisque suo.
Interea in stupida passim discurritur urbe:
Quæ venum dederant omnia disjiciunt.
Discurrit pavitans, metuens peregrinaque turba:
Ad sua quisque ruit: ad sua quisque volat.
Ipse domus quoque dum scando fastigia nostræ,
Tum loca vestigo luminibusque meis:
Contineat quisnam (dolor hei) vastum angulus ignem:
Jactura mea mens anxia eratque vaga.
Dum vix prospicio: hinc auditur clamor in urbe:
Domus, in qua incendium ortum.
Ardet Scholandus: numina quisque vocat.
Oreque culpatur passim Scholaudus in omni:
Ædibus in cujus flamma citata furit.
Incustodito quia furno vis vaga terna
Tecta petit: nec adest, qui ferat, ullus, opem.
Impedimenta incendii restinguendi.
Pauci equidem flammæ nascenti accurrere visi:
Verum aqua pauca: Pavis terror agitque vagos:
Si modo principio turba intromissa sub ædes:
Sed juste punit crimina nostra DEUS.
Nam sero patuere fores: sero edita signa
Vulcani: vires dudum is ubique tenet.
Tarde etiam populus campana excitus ad ignem est:
Hoc tardum miseris indiciumque fuit.
Campana ut claris signata pericula bombis:
Ad flammam pede vel præpete quisque ruit.
Media ad restinguendum ignem necessaria.
Scilicet hic duram gestat cervice securim,
Vel portat situlas ille in utraque manu.
Syphones, alii clamant, propere uncus & adsit:
Nam vires nimias egerat ignis edax.
Exclamant alii: hei nobis: nunc fata suprema
Adproperant urbi fata suprema nova.
Ferte citi situlas, syphones, tendite scalas:
Tum vero nullus qui has adhiberet, erat.
Adstant attoniti, vocemque ad sidera tollunt:
Hei miseros, miseros: turba misella sumus.
Aurigæ celeres equidem se hoc tempore agebant:
Ut lymphas veherent: unde parata salus
Quadrupedans & equi stratam petit ungula terram:
Ex saxis flammas exiliisse facit.
Advectant cupas vel aquis & flumine plenas:
Rarus at his flammas qui prohiberet, erat.
Incendii incrementum.
Fit via vi flammæ: longinquas fertur ad ædes
Vulcanus: plures corripit atque domus.
Carbonum, lanium, viridi dictam aque colore
Et calcaribus hinc: corripit inde forum.
Quindenæ subito illucescunt igne plateæ:
Consilio auxilio non locus ullus erat.
Daniel Burchardus.
BURCHARDUS Consul tanto in discrimine rerum
Pectore fata dolens hæc patrio patriæ,

His

His aliquid mandat, vel opis compendia monstrat:
Tum lymphæ cupas adproperare jubet.
Quemque jubet suo adesse loco, atque suo ordine cuncta
Nempe geri: auxiliis haud locus ullus erat.
Sæpe in transcursu, quid vos? quid sistitis? inquit:
Cernitis en nobis quanta pericla sient.
Vel tectum eruite, aut vicini efferte penates:
Nunc præstate fidem, vosque probate viros.
Non secus ac stupam tædæ longo ordine prendunt,
Injectæ ac urunt: flamma volat subito.
Limitem agit nullum: late loca cuncta pererrat:
Cunctaque discindit diripit ignis edax:
Sic quoque tum flammæ videas vim, sternit & auffert
Omnia: dum regnat, respuit omnem & aquam.
Qua circumspectabam, hei nil nisi fumus & ignis:
Scilicet hæc Sodomæ tristis imago fuit.
Ecce volant culmis ignitæ scandala ad auras:
His subito tectumque ardet in æde sacra.
Burchardi vigili sed cura. transvehitur vis
Maxima aquæ: flammæ vis ita disjicitur
Tecta scholæ dum Vulcanus quoque corripit: illam Schola.
Angelicæ faciunt incolumem esse manus.
Ipsaque vicina sacra vel turris in æde Templum.
Fumum edit, dubio flamma volatque modo. Cœnobium.
Ac in cœnobio tecti jam culmina turris
Mox inflammantur: sed modo fidus adest,
Fidus adest Consul Burchardus amore paterno,
Admotis lymphis sic prohibetque malum.
Sphæra tamen, quæ certa satis signaverat horam,
Nunc ambusta iræ nuncia certa DEI est.
Ora sonant singultu: emittunt lumina largas
Hei lacbrymas, aliud dum meminisse lubet.
Vel lacrymis dignum, dignum singultibus. Ecce
Tum flammis etiam Curia adusta ruit. Curia.
Sumtibus hanc magnis, indefessoque labore
Extruxit quondam provida cura patrum.
In latus omne patens huic turris junctaque magno Turris.
Æstu conflagrat; cuspis & alta cadit.
Campanæ binæ mox igne furente liquescunt,
Delapsæ internam concutiuntque domum.
Tum vero urbs tristis gemitu, tum mæstaque planctu
Miscetur: splendens concidit urbis honos.
Femineis resonant plateæ clamoribus: extra
Urbem spectatrix turba misella ruit.
Hic nullum videas tacito ore, & lumine sicco:
Quisque suo expendit damna nefanda animo.
Tecta crepant ignis saltu: altis ictibus æther:
Horrendo ecce ruunt tignaque adusta sono.
Supra infra lato spirantes ore fenestræ
Cum tenebris flammas abjiciunt oculis.
Per lapides tractaque impletæ flumine cupæ
Tympana tum referunt, tympana mæsta nimis.
Quin etiam diram repetens campana querelam
Muto funestos ingemit ore sonos.

Interea sævo fit fomite sævior ignis:
Nil erat hei miseris quam dolor atque labor.
Plateæ. *Jamque adeo ardebat carbonum, jam laniorum;*
Quin Judæorum, lata platea modo.
Queis nomen calcaria, balnea, malva dedere
Aque rosis, viridi dicta colore modo.
Monteque declivi tendens, quave incolit artes
Mechanicas studio turba misella colens,
Urbis parsque novæ domuum longo ordine tendens
Qua videt hirsutos cominus Ursa Getas.
Pars plateæ quoque textorum quæ nomine dicta:
Inque foro cunctas flamma voratque domus.
Rem miram: non Krolovii domus alta relicta est:
Vis ignis. *Vulcani expertem dixeris esse nimis.*
Flamma furens ferrum emollit, penetratque fenestras
Ferratas, lateres nil valuere: cito
Dissiliere: viam postica in parte dedere
Vulcano: omnia sic disjicit ira DEI.
Principio semusta tenet dum proxima tecta
Ignis edax: aderant summa pericla scholæ;
Pietas disci- *En me discipulus verbis compellat: Amande*
Præceptor fuge, nunc eripe, quæso fugam
Hei fuge, quæso, cito, teque his, ait, eripe flammis:
Ignis habet muros: totaque Zitta cadit.
Præstat te incolumem servari: faucibus hæsit
Huic vox præ lacrymis. Protinus æger ago.
Pelliceæ attonitus vesti implicitusque calebam:
Ludi tecta colens adproperoque domum.
Et musæa peto, repeto mea, condo librosque
In cella, quia non spes erat ulla super.
Ecce scholæ tectum flammis illustre, perustum
Conspicio: horrescens adpropero adque scholam
Divina scholæ protectio. *Denique ad officium mihi pes, manus, omnia membra*
Languebant: fumus desilit ex gradibus.
Flamma index certus: (mirum) mea forte securim
Dextra capit, pulsat protinus atque fores.
Deficiunt vires: prospecto perque fenestram:
Solus eram: socios en mihi fata ferunt.
Hos verbis blandis invito: ut opem mihi præstent:
Sed renuunt: clara numina voce voco.
En subito adproperat Consul Burchardus: & illos
Gymnasii ad tectum mox properare jubet.
Fit via vi, pulsatur janua firma, securi
Disjicitur: gratas suppetiasque ferunt.
Trabs etenim tecti postica parte perusta:
Vel quinis tignis flamma volabat edax.
Quam cito restinguunt: nisi & hæc restincta fuisset
De templo atque schola nil reliquum esse putem.
Confisus Jhovæ auxilio repeto mea tecta:
Fugerat hei vitæ casta meæ socia.
Et nato unigena & natis comitata duabus:
Sic desertus eram: sic modo solus eram.
Ex multis mihi discipulis erat unus & alter:
Hæc pia signa, vicem hos nempe dolere meam.

Uni

Uni custodi Jhovæ commendo penates:
Atque scholam redeo : en ignis in igne furit.
Area nam binis domibus fulgebat in igne:
Præsentes aderant arboribusque minæ.
Horti nempe mei tum porta perusta cadebat,
Lambebatque scholæ limina flamma vorax.
Infima corripitur vicini ex imbrice tecti
Classis cum media: magnus utrinque labor.
Obstruo sed mediæ saxis subito ipse fenestram:
Dum mihi opemque ferunt; infima tuta manet.
Namque DEUM in mea vota voco: o mitissime Ihova
Omnipotens idem es, mi DEUS alme, meus,
Qui restinxisti flammam Babylonis in ora.
Hanc etiam flammam nunc prohibeto, rogo.
Hæc cordis gemitus promit, singultus & oris
Verba: DEUS cor amat; corda DEUSque probat.
Adproperoque novam ad stupidus dum forte plateam:
Quæ mystas sacra ducit ab æde domum.
Observo, num spes effulgeat ulla salutis:
Hanc video: grato pectore laudo DEUM. Auxilium divinum.
Ædibus e nostri vicini flamma cadebat,
(Rem miram) sursum quæ volitare solet.
Hæc neque cænobii tectum nimis undique apertum
Corripit, immo fugit e regione domos.
Nempe etiam patrum Paracleti nomine dicta,
Alta domus rabido libera ab igne manet,
Unde illæ denis distant vix passibus ædes,
Queis voluit metam figere Ihova bonam.
Contiguas ædes specto: Vulcania ubi vis
Vires demittit: spes meliorque subest.
Textorum plateam adspicio: pars altera tectis
Dejectis, visa est tutior esse mihi.
Nil nisi flammanti commistas igne tenebras
Inque foro cerno, culmina summa ruunt:
Speranti meliora subit tum cura fidelis:
Uxor ubi mea, vel filiolæque meæ. ὀργή.
Sollicite inquiro: mox nuncia certa feruntur τὰ ἐπόμενα.
Illam vicino fata videre in agro,
Qua Budissinam tendit via: protinus ipse
Æger agens ægram quæro legoque viam.
Nec pileus, nec pallium erat: namque omnia cellæ
Mandarant: urget connubialis Amor.
Discipuli pileo sumto, & mihi pallium adapto
Ejusdem: subito vel loca nota peto.
Manibus egressus sanctis (miserabile fatum)
Mæstitiæ video jam nova signa meæ.
Canicie insignem veneranda conspicor almæ
Spectantem patriæ tristia fata suæ,
Procopium, cujus nodosa podagra parabat Procopius Naso Cos.
Et menti & membris ocyus hei requiem.
Tum certusque meas rumor pervenit ad aures,
Posseltum extorrem jam patriæ esse suæ, M. Zach. Posselt.
Quem mystam fidum fidorum dextra levarat,
Æger erat; nullus tutus in urbe locus.

 O fatum

O fatum infandum: dura, post finit uterque
Præproperis fatis urbe & in orbe dies.
Progredior quærens vitæ sociam, almaque amoris
Pignora: gymnasii dum loca tuta scio:
Martinus Justus Notarius. *Obvius arrepit Justus, Respublica cujus*
Vtitur in multis fido animo atque manu,
En lacrymæ lacrymis respondent: indicat inde,
Non nimium longe conjugem abesse meam.
Hac inventa ægra vix morbida membra trahente
Sollicitaque juvat deproperare domum.
Dum gressus repeto, mœstamque revertor in urbem:
Spemque metumque inter turba misella latet.
Hora quarta. *Horam tum sonuit vigilans quartam modo nola:*
Fertur in ancipiti sorsque modusque loco:
In cinere & rutilis fumabant cuncta favillis:
Ignis tum vaga vis interiora petit.
Ecce pavimentis, pulcra & testudine dona
Dudum congesta, heu, devorat ignis edax
Ligna advecta animo multis nimium vel avaro
Ardebant multis arida, dura locis.
Stramina sicca, vetus fœnum, tum canna palustris,
Et frumentorum copia larga nimis,
Materies nova erant ignis: namque ira Jehovæ
Accensa: o miseros videris indigenas.
Qui fuerat modo dives; erat rerum omnium egenus:
Irus erat subito qui modo dives erat.
Querelæ civium. *Tum lacrymis misto gemitu edunt talia cives,*
Sollicito promunt pectore verba suo:
O Cives miseros nunc nos: unus vel & alter
Nunc domum habet: nostra perdita cuncta domo.
O lucem infelicem, o lamentabile fatum:
Zittaviæ illuxit nempe suprema dies.
Zittaviæ fuimus cives: fuit inclita Zitta:
Nunc reliquum est, præter nomen inane, nihil.
En nunc transversos nostros sine nomine vicos:
Ad nostras ædes nec via tuta patet.
Adspicias tenui lana & fuligine fœdum
Antea sericium cui modo tegmen erat.
Nobis divitiæ nunc & bona sola supersunt;
Zitta tuos cives esse fuisse tuos.
Omnia portamus nobiscum: conscia recti
Mens, & fama bonis æmula nunc bona sunt.
Cætera sunt prunæ & cinis: ah nimium aspera fata:
Ludus vicinis opprobriumque sumus.
Quid miseris faciendum? nil miseris quia restat:
Omnis, quo freti, victus amictus abest.
Ignis in aggressu scrutatur scrinia; & omne
Quidquid erat nobis abstulit una dies,
Vestibus his mea membra tegam: modo sunt data præda
Vulcano reliquæ: sic remeare pudet.
Plumæ ubi sunt molles? ubi sponda? sunt ubi mensæ?
Scamna ubi? terrenis terra quies an erit?
Vix thalami sociam, casti vix pignora amoris
Hei miseris nobis vult superesse DEUS.

En

En subito in cineres, æstu superante, tigilli
Conversi: flammis interiora patent.
Scilicet en ardent intus conclavia: nostras
Res rebus dubiis non repetisse licet.
Cardo ubi? ubi postes, laquearia & atria, ubive
Ornamenta domus? hæc habuere patres.
Hæc nobis & erant: ubi nunc tabulata, tapetes?
Aurum ubi & argentum? lucida gemma ubi nunc?
Perdidit angusto intromissa foramine flamma:
Amissa omnia sunt: concidit ipsa domus,
Nil flammam effugit: cuncti huic patuere recessus:
Quoque aliquis credat angulo adesse, id abest.
En cameram & cellam insinuans se invasit & ignis
Cunctaque serpendo perdidit ignis edax
En vel adhuc interne ignis nunc ventilat ignem;
Nos aditu excludit nostra domusque suo.
Nec tantum ligni vel adest, quo prandia quisque
Parca paret: nobis publica fama fames.
Saxa liquata igni in muris; mirabile dictu:
Nec lateres ignem sic prohibere queunt.
Factaque sunt Vestæ chartæ ludibria doctæ:
Queis instructa satis Bibliotheca fuit.
Nos cursu juvit propero, per saxa, per ignes
Præcipiti vitæ consuluisse modo.
Hæc alii: mox inde alii: mihi divitiæ sunt Consolatio piorum.
Omnia propitius quæ dabit ipse DEUS.
En mater mihi amanda, pater venerandus, & ipsa
Est opibus conjunx carior ipsa vagis.
Gratia summa DEO summo: custodiit idem
Incolumes quod nos: Gratia summa DEO.
Mundum uxor luget, rubicunda corallia virgo:
Vel bellas pupas bella puella suas.
Tum studiosa cohors libros, ancillaque linum,
Servus equos, vaccas serva suesque suos.
Luctus ubique, pavor, dolor & lacrymæ, gemitusque:
Nullus in attonito pectore sensus erat.
Quisque suos tristis desiderat atque requirit,
Vir sociam thalami, vel socia ipsa virum.
Filioli matres blandi, natosque parentes:
Sollicito quærit pectore quisque suos.
Vertitur interea cœlum: & ruit Oceano nox: Nox.
Volvitur & tenebris terra polusque novis.
Quin tenebræ nec erant: oritur modo vel novus ignis
Cui nova materies stramina, ligna & erant.
Tum cœnæ immemores vigili consumere noctem
Mente lubet: quia mens irrequieta manet.
Intra spemque metumque hærent vel plurima turba:
Anne priore malo deterius modo sit.
Ponuntur vigiles per compita, perque plateas,
Qui caute, ut surgat ne nova flamma, monent
Qui fuerant cives; his est modo villicus hospes:
Propria queis fuerant, nunc aliena colunt.
Fessi alii recreant se potu simplice: turba
Non poterat solita mæsta quiete frui.

Nam-

Namque viri lassi terrore operaque: quietem
Expers curarum turba tenella capit.
Vagitu infantes alii tristi æthera complent:
Pro cunis multi stramina dura premunt.
Ad sonitum horarum vel quis mala somnia cernens
Exilit: & quæ sint orta pericla, rogat.
Jamque pruinosum molitur Lucifer ortum:
Nox quia transierat: Sol revehitque diem:
Ecce novus metus, & damnum nova nuncia portant;
Damno sopito nempe priore aliud.
Sig. Kindler Syndicus. *Tu vero vigil excubias KINDLERE ut agebas*
Syndice, magnanimo corde, animoque gravi:
Nempe domus propriæ: vicinis sic & ab oris
Caute avertebas damna, pericla animo.
Jam Sol ortus erat: veniunt denso agmine in urbem
Externi, indigenum visere fata volunt.
Vel quoqunque modo nocuisset Vesta per urbem:
Zittæ rudera erant; urbs ubi culta fuit.
Urbis nil & erat pars maxima; murus & æther,
Maceries: nulli nota platea fuit.
Nam quingentæ ædes perierunt urbis ab igne:
Urbis pars amplæ quarta relicta fuit.
Quæritur in multis consumta opulentia prunis:
Pauper erat nimium qui modo dives erat.
Tu mihi testis eris CASPAR, flos inclyte gentis
MEZRADIÆ, verum Pieridumque decus,
Præfectus provinciæ. *Præfectus terræ nostræ: dum nuncia fertur*
Fama tibi: adproperas: tristia fata vides.
Et cum vidisses fumantem in pulvere Zittam
Ex alta turri, nempe forum & plateas:
Sed templum atque scholam divino numine totam
Incolumem ut solus præstiteritque DEUS:
Sunt oculi lacrymis visi maduisse subortis:
Relligiosa satis mens tua nota piis.
Tum vero miseri vere rerum omnium egentes
Freti consiliis auxilioque tuo;
Ædibus ut restaurandis sibi ligna darentur:
Penitus exhaustis subsidia unde forent.
Horum animos dictis mulcebas, corde paterno;
Induperatoris subsidiq atque DEI
Post fore, ais, Zittæ bene: dum modo pectore Ihovam
Devoto, ac vera relligione colat.
Præses provinciæ *Hoc & idem fatum nostræ dum Satrapa terræ*
Accipit, hei, tristi pectore, Donavius.
Inclytus antiquæ gentis flos: Protinus, inquit,
Justam iram sequitur gratia magna DEI.
Imperator. *His super indoluit Divus quoque nempe Rodolphus*
Gentis devoto pectore subditæ amans.
Quinque per autumos repetitis duxerit annis
Dum Phœbus celeres pulverulentus equos:
Quidquid jure datur fisco; nunc contulit illud:
Sic possit sensim crescere ut urbis honos.
Subdita turba illi subjecto corde precatur
A nostro summo fata benigna DEO.

AD-

ADSIT ei, qui summus adest Dux: atque benignam
Curam compenset inque solo inque polo.
Ad nostros redeo cineres, funestaque fata:
Quæ post contigerint, enumerare juvat.
Nam pia cura fuit consumta cadavera flammis Funebres
Eruere, & membris solvere justa piis. exequiæ.
Cum nato mater supremo culmine tecti
Obruta: tum multis fœmina nota bonis.
Vir aliusque obiit: queis ternis funere in uno
Exequias libitum est solvere, more pio,
Scurra sed alter erat celebris, brutum pecus, usto
Vino ebrius temere protinus igne perit.
Horrendum adspectu: Vulcano cocta jacebant
Membra: cadaver idem compita aperta tegunt.
Digna quidem vita mors: dignum morte sepulcrum:
Haud summi impune luditur ira DEI. Misericordia.
Magna quidem fuit ira DEI hæc: clementia major; DEI.
Incolumes quod nos jam velit esse super.
Quodque scholam, templum, atque nova granarium in urbe,
Servarit, summi munus id omne DEI est.
Enumerare equidem plura hic mala carmine possem:
Sed nostra ad portum vela referre decet.
Cernimus hinc vario vanoque a crimine fructum:
Hoc quoniam læsa est sæpius ira DEI
Sæpe malum hoc nobis: si mens attenta fuisset:
Signa notare solo, signa notare polo. Signa incendii.
Nondum erat exactis completus mensibus annus:
Pluribus attonitis talia visa piis.
Non secus ac clausis rapidus fornacibus ignis Aer ardens.
Æstuat; in cœlis ardet uterque polus.
Totus & inclusis incanduit ignibus aer,
Horribilem nobis edidit atque sonum.
Quin etiam in medio, funestos inter hiatus
Flammea terrificæ fulsit imago crucis. Crux ignea.
Flammea crux vere nobis fuit, estque subinde
Hei miseris: misere quos ita fata premunt.
Aereas plagas etiam tum fulgura crebra Fulgura crebra.
Ruperunt: tonitru fulmina mixta gravi. Inundationes.
Sæpius exonerans sese nimio vel ab imbri
Effluxit Nissus culta per arva soli.
Ac magnam Cereris vim suffocavit in hortis:
Abstulit ac pratis alma alimenta boum.
Terribilem diro tum vidimus igne Cometam Cometa.
Nubibus infelix exeruisse caput.
Occidua ex plaga flammas spargebat ad ortum,
Sic flamma flammam nunciat ipse gravem.
Fulgebant radii gladii vibrantis ad instar:
Qualis vel Solymis fata suprema dedit.
Tum vero Æolidæ miscebant prælia fratres Ventorum impetus.
Crebra nimis: nobis tristia fata notant. Infans in utero vagis.
Horrendum refero: latitans tum matris in alvo
Infans funesto vagiit, ecce, modo.
Vel detestando quam nondum viderat urbem:
Hei variis IHOVÆ proditur ira modis.

Cuncta sed enumeret quis fando hæc omnia dira?
Hei nimium tristis exitus illa probat.
Verum animis opus est fidis, & pectore fido:
En cruce jam premimur: luce frui dabitur.
Consolatio. *Dextra DEI punit juste, nos dextera salvat*
Summa DEI: juste destruit, ædificat.
Nos detrudit ad ima: vicissim ad summaque tollit:
Gratia & illius quod sumus, omne sumus.
Dicamus grates IHOVÆ: quod mitior æquo
Jam nobis fuerit: Gratia summa DEI.
Non totam ex meritis scelerum succendit & iram:
Numine servata est pars quotacunque DEI.
Urbs hæc quod non tota jacet; neque plura cremata
Corpora: vel modo sint quod schola, templa supsr.
Munus id omne DEI est: ejus laudesque manebunt:
Quas celebret pia mens læta solo inque polo.
Vidimus hei nimium proh vidimus: ira Jehova
Quam subito possit ferre referre vices.
Hic elementa armat facile vi, cæde, furore,
Ignem & aquam, terras, aera forte sua.
Lenta DEI vindicta: at eo gravior modo pœna
Compensatque moram sic gravitate suam.
Nunc tempus resipiscendi: Nunc gratia aperta est.
Hac sed abutentem corripit ira DEI.
Credite, pro nobis vigilat DEUS: at vigilate
In statione sua quilibet, arte sua.
Filius ipse DEI pro nobis orat: ad unum
Hunc pia devoto volvite vota animo.
Spiritus ipse DEI nos ducit: sed duce eodem
Nitamur: ducat non Caro nostra animum:
Ne nos seducat nigra dux arbiter aula,
Inque sui regni retia dira trahat.
Alme DEUS, DEUS alme, precor, Zittavia crescat
Ex pietate, bonis moribus, atque fide.
Peste, fame, flamma & gladio nos libera ab omni:
Nominis ut vigeat gloria sancta tui.

τὰ μνημονευτικὰ hujus urbis cladis.

In ædibus D. SIGISMUNDI KINDLERI
Syndici, in foro.

ÆDIbVS eXVstIS qVIngentIs septIma IVnI
LVX, atro fato, pœna parata fVIt.

In aditu domus Samuelis Rauch civis.

Anno Christi |1585. *posticam cum pluribus quam 30.* 1609. *totam domum cum 500. aliis exustam Samuel Rauch Thaborita Bohemus restauravit.*

EN JUSTICIAM: EN MISERICORDIAM DEI: ILLAM TIME: HAC NITERE.

In ædibus Martini Raimeri, e regione Curiæ.

Septena ab IVnII qVIngentIs æDIbus IgneM,
VIX horIS bInIs, noXIa fata tVlIt,

M. G.

Ex-

Excerpta ex Epitome HISTORIÆ ROSENTHALENSIS

five

Compendiaria narratione

de

Origine ac cultu pervetuftæ

B.V. MARIÆ Statuæ

In Pago Rofenthal, Lufatiæ Superioris,

confcripta

a

JACOBO TICINO Soc. Jefu

&

impreffa

Pragæ typis univerfitatis Carolo Ferdin. in Coll. S. J. ad S. Clementem A. 1692.

Excerpta ex Cap. I.

§. I.

De Natura Telluris Lufaticæ.

§. I.

De Situ Lufatiæ.

LUfatia juxta geometricam Germaniæ tabulam, a *Nicolao Joanne Pifcatore* emendatam, in altitudine gradnum 51. usque ad 52. & minuta fere 20. feptentrionem verfus; in latitudine vero inter gradus 48. & 49. fecundum potiorem fui partem confiftit. Ea enim terræ portio, quæ *Saxoniæ fuperiori* obverfa eft, & civitates *Sonnevvald, Barrut, Lukaviam, Thamq;* complectitur, vicenis circiter minutis 47. gradunm refpiciunt; & ea, quæ *Gorlicium, Laubanam & Kottenburgum* (*Silefiam* & orientem verfus) continet, gradum 49. quinis & vicenis circiter minutis excedit. Secundum Tabulam *Saxoniæ cum Mifnia & Lufatia*, a nefcio quo *Geometra* excufæ, longa eft milliaribus Germanicis communibus tribus & viginti: &, ubi latiffime patet, juxta eundem Autorem, milliaria quatuordecim fere adæquat. Cingunt Regionem iftanc ab Euro *Silefia*, a Zephyro *Mifnia & Superior Saxonia*; ab Auftro *Bohemia*; a Borrea, Brandeburgiæ Marchia.

§. 2.

De Lufatiæ Divifione.

Difpefcitur in *Superiorem*, quam a præcipuis fenis Civitatibus *Gorlicio, Budiffina, Zittavia Laubana, Lœbavia, Camentio* eo prorfus jure Hexapolin dixerim, quo Infulam *Cretam* (nunc *Candiæ* vocabulo infignitam) *Hecatompolim*, a centum urbibus compellavit Antiquitas. Dividitur & in inferiorem, quam *Chriftianus Widman J. U. L. in Academia Status* Lib. 3. c. 8. Tetrapolim vocare poffe ait ab Urbibus *Lubbena, Gubena, Lucavia, & Calovia. Inferior* hæc ex Teftamento *Joannis Georgii I.* ad ejusdem *tertio genitum filium Chriftianum, Adminiftratorem Martisburgenfem, pervenit: ubi etiam Elector Brandeburgicus quædam loca tenet fubjecta, uti funt Storkavia, Beskavia, Beyza, Cotbufium & Sommerfelda*, tefte eodem *Widmanno:* qui in libro filiis Sereniffimi Ducis Electoris *Saxoniæ Joannis Georgii III* dedicato, & *Irenopoli* Anno 1681. typis excufo, ait: *Lufatia ab Imperatore & Rege Bohemiæ per receffum traditionis A. 1635. Electori Saxoniæ, & Domui Saxoniæ Ducali, ejusdemque fucceſſoribus mafculis tali conditione fuit tradita, ut emortua fobole mafcula (inclufis tamen in fobole mafcula Electoris filiabus) redeat ad Domum Auftriacam & Coronam Bohemicam.* Caufa tradendi erant latæ Imperatori *Ferdinando II.* adverfus perduelles a Serenisfimo *Saxoniæ Duce* fuppetiæ, factæque in eo militari auxilio ingentes expenfæ, quæ una cum cenfibus duarum fupra feptuaginta (ut vocant) tonnarum auri fummam excedebant; prout refertur in *Receffu* 30. Maji A. 1635. *Pragæ* confecto.

§. 3.

De Lufatiæ Reg. Bohem. junctæ antiquitate.

Sciendum eft, jam fub annum 1319. ab *Henrico Silefiæ Duce, & Jaurovii Toparcha, Jo-*

Joannis Bohemiæ Regis munificentissimis beneficiis devincto, Regno & Coronæ *Bohemiæ* cœpisse advolvi eam Lusatiæ partem, quæ in *Lubacensi & Budissinensi* solo ad *Henricum* pertinebat. Vide paragraphum literarum in Castris, prope *Olsnitz* 10. Kal. Octobris, A. 1319. datarum; a *Balbino, Epitomes Rerum Bohemicarum lib. 3. c. 17.* citatum. Idem Princeps rursus A. 1329. die Inventionis S. Crucis, eidem *Johanni Bohemiæ Regi, Caroli IV.* Imperatoris Parenti, Civitatem *Görlicensem* in perpetuum resignavit; A. 1337. Civitatem Lubam, cum oppido *Friedberg, Laram & Tribul* donavit & tradidit, *Wratislaviæ* in Octava SS. Innocentium, uti testatur *Balbinus* ibidem. *Denique A. 1360. 8. Kalend. Aug. Diploma editum a Cæsare Carolo est, quo Marchionatus Lusatiæ, & Dominium Mulberg & Wendenheim cum suis pertinentiis Coronæ Bohemiæ in perpetuum conjunguntur, & (ut habet Titulus) invisceratur.* Ita Privilegia M. SS. Regni Bohemiæ P. 2. fol. 143. Archiv. Carlsteinens. M SS. *Bohuslai Lobkovvicii a Balbino libro 3. Epitomes cap. 21. citata.*

§. 4.

De Sepulcro Domini, ad normam Hierosol. extr. Gorlicii.

Porro nolim hic silentio involvere *Görlicium*, quanquam instituti mei non sit ad complura Provinciæ hujus Particularia descendere. Exigunt enim Civitatis hujusce mentionem multa Antiquitatis monumenta, mihi sub annum 1672. Oct. Mense, visitata. Præ reliquis omnibus Sepulchrum Domini, ad Hierosolymitani normam, advenis exhibetur, sub Annum, 1465. a *Georgio Emerico* (octodecim ante *Lutheri* nativitatem annis) munifice extructum. Legi egomet illa tempestate in Æde lapidea, *Cœnaculum* Salvatoris Nostri referente, atque ab ipso monumento passibus aliquot distante, epigraphen lapidi incisam. Et quamvis ex palimpsesti penuria eandem scripto ea occasione non exceperim; nisi tamen me fallat memoria, est ea inscriptio illa ipsa, quam *Franciscus Svvertius in selectis Orbis Christiani deliciis* pag. 352. Editionis *Coloniensis* A. 1608. refert, ut sequitur:

GEORGIO EMERICO
EQUITI NOBILISS.

Qui cum opifice & duobus eum seqq. Comitibus in Palæstinam profectus, ibique militari dignitate & Equestri super sepulchrum Christi, Anno M. CCCC. LXV. Mens. Julii D. XI. donatus esset: post tot exhaustos terra marique labores, tanto itinere confecto: cum domum ad suos, patre adhuc superstite, revertit: tum Sacellum hoc D. Crucis, vicinumque Cœnotaphium ad exemplum sibi & posteris expressum E.F. ipse deinceps Reipubl. hujus Senator, & ad annos XXXVI. Cos. V. finem vitæ clausit, Anno M. D. VII. M. Jan. D. XXI.

Joannes Joannis F. Georgii Eq. NN. Emeric. avo B. M. P. cur: M. D. LXXXIX.

§. 5.

Laus Gorlicii.

In ulteriorem Civitatis hujus commendationem, *Atlas Gerardi Mercatoris* A. 1612. impressus p. 252. suggerit sequentia: *Goerlicium, vulgo Goerlitz, Urbs primaria ac nobilissima in superiori Lusatia, ædificiorum nitore atque frequentia clara, murorum fossarumque ambitu, situ montoso & Nissæ fluminis propinquitate firma, ex quo molitores, cerevisiarii, tinctores, aliique cives infinitas commoditates percipiunt. Ejus transitus ponte ligneo, tecto percommode clauso opportune conjungitur. Præ cæteris autem tam publicis, quam privatis ædificiis magno sumtu perfectis, Ecclesia S. Petro dicata, & Curia præclara turri conspicua. Urbs ipsa prima fundatione constructa A. 1131. ut ejus Annales perhibent. Funesto vero deinde incendio A. 1301. immissu Vulcani severitate consumta, ut ne unica quidem Domus remanserit. Verum ea suis e cineribus veluti Phœnix, cui bustum suum vita est, post eam ruinam anno fere octavo speciosior, nitidiorque extitit.* Hæc *Gerardus*. At eheu! calamitas Anni 1301. hoc rursum A. 1691. recrudiut; quando die 19. Martii *Ædes prope ducenta una cum splendidissima D. Petri & Pauli Æde, absumta, inque favillas, cineres & rudera* (quemadmodum in carmine suo lugubri recentissime edito *Godefridus Neumannus Lus. Goerl.* loquitur) *sunt redacta.* Sed præfixum Paragrapho huic titulum penitus explicemus.

§. 6.

De Adolpho ab Haugvvitz.

Eruditione non minus, quam Natalium splendore Illustris Dominus *Augustus Adolphus ab Haugvvitz* A. 1681. Libellum elucubravit, quem *Prodromi Lusatici* nomine insignivit. Percurri ego eundem mihi a Reverendissimo atque Eximio Domino *Christiano Augustino Pfaltz de Ostritz*, Ecclesiæ Cathedralis S. Viti Archi-Diacono & Ecclesiaste Pragæ; Ingenuæ atque Exemptæ Ecclesiæ Budissinensis Sancti Petri scholastico, benevole mutuo datum. Constat Tractatus ille solis ferme Summariis seu Argumentis Capitum libri grandioris aliquando forsitan in lucem publicam edendi. In Capitis 6. Synopsi laudat terram hanc a felicitate & proventu rerum necessariarum, a frumenti copia & fertilitate, ab armentorum fœcunditate ac educatione, a silvarum & arborum fructiferarum multitudine, a metallorum & quidem auri venis, a ferri fodinis & officinis, a lapidum pretiosorum, etiam Basaltæ & Aeditæ sive Aquilini inventione, a vini pluribus in locis fertilitate, a cerevisiæ bonitate. Quæ omnia, ubi grandius illud opus lucem aspe-

Et fertilitate regionis.

aspexerit, testimoniis Authorum copiose roboraturum sese pollicetur. Atque hæc ab *Haugvvitzio* pluribus insinuata. *Gerardus Mercator* paucis confirmat, inquiens: *Regio hæc frumenti, rerumque e terra nascentium feracissima.* Cui rursus adstipulatur *Joannes Antonius Maginus in Bononiensi Gymnasio Mathematum Professor in Novis Geographicis Tabulis* scribens: Est autem Regio hæc frumenti & segetum feracissima; & incolæ bellicosi sunt: tametsi agriculturæ & oeconomiæ operam impendant.

§. 7.

De piscinis & fluviis Lusatiæ. Spectantur hic piscinæ percopiosæ, & non paucæ quidem in miram longitudinem latitudinemq; diffusæ; ex quibus tantum emolumenti colligit Nobilitas, ut *Haugvvitius*, locupletissimus rerum earum testis, Capitis 6. num. 53. asseverare non dubitet: *Pisces Nobilium Lusatiæ aureum Vellus esse.* Irrigatur hæc tellus a fluminibus diversis, quorum caput *Sprea*, sive (ut eum *Ptolemæus* Lib. 2. c. 11. appellat) *Svevus*, terram hanc eo fere modo per medium dispescit, quo *Odera Silesiam* dividit. Hic in *Sudetis Montibus*, binis circiter *Budissina* leucis oritur, allutisque *Budissina*, aliisque Civitatibus quibusdam, in *Marchiam* sese *Berolinum* versus, diffundit, tandemque ad *Spandaviam* cum *Havela* conjungitur; nisi correcta *Nicolai Joannis Piscatoris Germania* tabula memet decipiat. Fluviorum alter ex præcipuis *Nissa* est: in Bohemia haud procul Kratzovia originem sumens: ab *Odera* demum, ubi *Lusatia Inferior* a *Ducatu Crosnensi* dividitur, duabus fere ab urbe *Krosna* leucis absorbetur, fœcundatis per decursum *Ostritio*, *Goerlicio*, *Muscavia*, *Forstio*, *Gubena*, Civitatibus. Ceteri minorum gentium fluvii aliquam hujus Provinciæ portionem solummodo fluentis suis reddunt fertiliorem, neque tam late, uti priores gemini evagantur. *Quissus Laubanam* solum præterfluit, cetera totus Silesiorum est. *Vitigus* in *Nissam* ingreditur, *Dobera*, *Goila*, *Liebesch*, *Czirna*, *Goldbach*, & complures alii anonymi partim *Spream*, partim *Nissam*, partim *Boberam*, accessione sua amplificant. *Elistra niger Kottnam* versus delabitur, ibique cum fluviolo (quem *Album Elistram* quidam vocitant) a *Camencensi* urbe decurrente conjunctus, *Witgenaviam* descendit, uti patet ex tabula *Lusatiæ* superioris, *Barth. Sculteti Gorlicens.* quam d. 18. Jul. labentis Anni 169?. accurato oculo consideravi. Hæc potissimum ex Geometrarum Tabulis, quorum fides sit pro Argumento; neque enim oculatum in his testem egerim.

Excerpta ex Cap. II.

§. II

De natione Wendica, cujus Posteri Rosenthalium, aliaque Lusatiæ loca incolunt, item de lingvæ Wendicæ qualitate.

§. I.

De natione Wendica s. Vandalia. Quanquam hodie dum populus isthic, e *Scythia* quondam effusus, temporum vero intercapedine permultas *Asiæ* atque *Europæ* Provincias dilatatus; alibi multitudine prorsus ingenti polleat; intra tamen *Germaniæ* fines a temporibus *Henrici Aucupis* Imperatoris vehementissime attritus, & in propriis per *Misniam*, *Lusatiam*, *Pomeraniam*, *Megapolim*, *Brandeburgum &c.* Sedibus (ductis e *Saxonia* Germanicis coloniis) plurimum est imminutus. Legi hac super re Autores historiographos complures, e vetustioribus pariter ac neotericis: paucorum sententiam brevissime verbis eorum propriis recitabo. Primus sit is, in quem omnium ultimo nuperrime incidi in *Bibliophylacio Commotoveno Sebastianus Franck, in nominibus Gentium, quoram Cornelius Tacitus de Germania & Ptolomæus lib. 2. c. 2. Geogr. meminerunt.* Impressus est in eodem Volumine, in quo *Theatrum urbium Abrahami Saur Franckenbergensis*, Advocati Hassiaci & Notarii Publici A. 1610. *Francof. ad Mænum* typis excusum est. Hic igitur Scriptor a pag. 404. usque ad 415. multa de amplitudine & nominum diversitate *Nationis VVendicæ* prodit, sic in Germanico a me in Latinum idioma mutato inquiens: *Totum tractum illarum Provinciarum, nempe incipiendo a Ponto vel Bithynia ad Pontum Euxinum Constantinopolim versus ultra & a magno flumine in Asia Rha, hodie Volga dicto ab Oriente ita in Occidentem, Meridiem versus inter magna Sarmatica Montana, interque Carpathios Montes, totumque tractum Montium Bohemicorum, ex una parte, ex altera vero parte Septentrionem versus inter littus Pomeranici maris, & inter Balthicum fretum usque ad Albim deorsum; Heneti, Sarmatæ & Sclavi longe lateque penitus occuparunt, eique dominati sunt in magna inæqualitate, perpetuaque mutatione. Comperio tamen, ternos hosce populos una eademque lingva usos fuisse. Sclavorum etenim nomen Mauritio rerum potiente innotuit primum, qui eos Ducum suorum Gomentioli & Prisci Prætoris opera ad Danubium inferiorem afflixit, & magnopere debilitavit. Jam tum enim Sclavi fractis Gottorum viribus ad hæc loca ex inferioribus Istri tractibus migraverunt, de quibus Suidas ita scribit:* Τὸ Σκλαβηνὸν γένος ἐπαρθὲν τῶν ἴστρου *Sclavonicus populus ex inferioribus Istri sive Danubii locis ascendit. Henetorum meminit Homerus Libro 2.* Ἰλιάδος, *in Regione circa Paphlagonas; scribitque, eos in medio Trojanorum militum fuisse, suæque Gentis hominem Ducem habuisse. Memorant quoque Historiographi universi unanimiter,*

Sinum Venetum, Urbemque Venetiarum ad Adriam sitam, nomina sua, primamque Originem ab Henetis sortitam esse, qui una cum Antenore & alio quopiam ad has terras ducti sunt. Simili quoque modo Heneti, sinui maris Pomeranici, Prussiam versus ad Dantiscum, sinus Veneti vel Venedici nomen tribuerunt. Neque sunt diversa, verum eadem prorsus nomina Heneti, Veneti, vel Windi, quos Sermone Germanico Wenden *compellant.* Ita ad verbum *Sebast. Franck.*

§. 2.

De populis Lusatiam incolentibus.

Sed quoniam intentione longius excurreret præsens Paragraphus, si cetera quoque ad verbum prosequerer; marginalia duntaxat ejusdem Autoris, brevitatis studio, recitabo. Ait porro primo a p. 406. *Sorabi, Servii, Sarmata, Sauromata, Slavi* communia sunt nomina omnium *Wendicarum Gentium.* Secundo, *Heneti, Sarmatæ,* & *Sclavi* unus populus est, uniusque linguæ. Tertio, Heneti fundarunt *Circassorum gentem,* quæ a *Tartaris* pressa, Regnum *Ægypti* occupavit, gentesque rursum alias condidit, videlicet *Rossorum, Roxanorum, Roxolanorum, Moschorum, Borussorum* seu *Prutenorum.* Quarto, haud procul *Sinu Venedico* habitasse *Livonios, Curetes, Sudanos, Samogetas,* etiam *Sarmaticas* gentes. Quinto, a *Sarmatis* fluvium *Wolga* olim accolentibus conditam *Bulgarorum* gentem. Sexto, *Rossos* esse progenitores *Rosciorum,* quos nunc *Rascianos* appellamus: *similiter a Sarmatis, Sorabis & Serviis esse productos Croatas, Dalmatas, & totam fere Epirum & magnam Græciæ partem; quemadmodum testantur ii, qui Strabonis historiam in Epitomen redegerunt, hisce verbis* Νῦν δὲ πᾶσαν ἤπειρον, καὶ ἑλλάδα σχεδὸν, καὶ Πελοπόννησον, καὶ Μακεδονίαν Σκύθαι Σκλαβοὶ νέμονται. *Nunc vero Scythæ Sclavi totam Epirum & fere Græciam & Peloponesum & Macedoniam possident.* Loquitur Strabo de suis temporibus, qui fuit insignis Geographus tempora Augusti & Tiberii Cæsarum. Septimo, occupatis infra *Brussiam* quibusdam locis & *Pomerania,* inde *Wendicus* populus ad mare per aliquam terræ partem ad Pomeraniam spectantem, & per *Ducatum Megapolitanum* usque ad *Albim* & adversus *Albi* ascendens per *Marchiam Brandeburgicam* sese extendit. In hoc tractu fuit Henetorum sive Venedorum sedes & stabilis commoratio. Huic enim parti *Slavici* seu *Wendici* populi nomen *Henetorum,* ut proprium, factum est. Veruntamen diversi hinc inde *Heneti* extitere, a diversis suis Principibus gubernati; ea tamen ratione, ut hi ipsi *Henetorum Duces* unico Regi obtemperarent, quem ex vetusta Regum prosapia oriundum esse oportebat: e quibus *Duces Megapolitani* descendunt, quanquam Regium nomen minime amplius usurpantes, posteaquam eorundem potentia imminuta est, illique Romano sese Imperio subdiderunt. Octavo, ait *Franckius* a *Lutitiis* juxta fluvium *Spream,* usque ad *Albim Inferiorem Lusatiam* habitam; *a Sorabis* vero *Superiorem Lusatiam,* usque ad *Sudetes Bohemiæ Montes,* qui *Bohemiam* a *Misnia* separant. De quorum omnium fide eo minus ambigere velim, quo magis Autor isthic *Sebast. Franck* cum aliis quoque Historicis a me lectis correspondet. Et quod quidem numerum octavum concernit, hodiedum inferiores *Lusatii Wendico* Wozicare, superiores *Serbia* voce disyllaba compellantur, id est *Lutitii* & *Sorabi.*

§. 3.

De Dubravii Testimonio.

Franckio recentiori, antiquiorem subjungo *Dubravium Episcopum Olomucensem,* qui lib. I. Hist. Bohem. ita disserit: *Sarmatia illa, quam Ptolemæus ab ortu, Lacu Mæotide & Tanai; ab occasu Istula; a septentrione Oceano Sarmatico, a meridie Carpathiis montibus terminat, omnium gentium, quas nunc Slavinas vocant, communis quondam patria fuit. Ipsa porro Gentes varia sunt sortita vocabula: nam aliæ earum Hyrri, aliæ Scyri, aliæ Syrbi, aliæ Venedi appellantur; de quibus in hunc modum Plinius lib. 4. c. 14. ubi de Insulis Septentrionalis Oceani agit: Sevo, inquit, mons ibi immensus, nec Ripheis jugis minor, immanem ad Cymbrorum usque promontorium, efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus Insulis, quarum clarissima Scandavia est, incompertæ magnitudinis. Ac mox deinde: Quidam hæc habitari Istulam usque fluvium a Sarmatis, Venedis, Scyris, Hyrris tradunt. Nam de Syrbis Libro 6. commemorat, quoniam propius ad Mæoticas gentes accedunt. Vetus autem omnium Sarmatarum mos erat, Pomponio Mela Autore, statis perpetuisque non uti sedibus: sed ut invitavere pabula; vel ut cedens vel sequens hostis exigebat; ita res opesque secum trahere solebant; castra semper habitantes, bellatores, liberi, indomiti. Proinde nihil mirum si Augusti jam Cæsaris tempestate in Thracia, ut scribit Strabo, promiscue cum Thracibus vixerint; si deinde litora Oceani, paludesque & eas Regiones, quas Vandalus, populus quondam Germaniæ tenuerat, occupaverint, nomenque sibi ex devicta gente, ut fieri interdum solet, adoptaverint, pro Venedis sive Wendis, Wandalos se cognominantes.* Ita prorsus *Dubravius.* Similia vincentium a victis desumta nomina usurpata sunt quoque in Romana Rep. quæ *Africani, Germanici* &c. compellationem a superatis illis gentibus tribuebat Ducibus ac Imperatoribus suis, queis illi magis, quam *Hercules* leonis a se prostrati exuviis gloriarentur. Vide *Corpus Juris Civilis,* reperiesque præfixum confirmationi *Digestorum* titulum ejusmodi: *In Nomine Domini DEI nostri JESU CHRISTI, imperator Cæsar Flavius Justinianus, Alamanicus, Gotti-*

cus,

cus, Frangicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclutus Victor ac Triumphator semper Augustus, ad Senatum & omnes populos. En! ot nomina superatorum, *Belisarii* potissimum strenuitate, populorum sibi vindicet *Justinianus.*

§. 4.

De Wendis non Wandalis.

Cæterum, quantumvis *Wendi* a *Krautzio*, & aliis quibusdam Scriptoribus *Wandalorum* vocabulo appellentur; eos tamen reapse *Wandalos* non fuisse, *Cromerus Varmiensis Episcopus*, Vir antiquitatis notitia & stylo etiam magnus, demonstrat, sex capitibus refellendo *Krantzium*, ostenditque neque *Slavos Wandalos*, neque *Wandalos Slavicam* gentem fuisse, sed *Teutonicam*, neque *Slavos* a *Germanis* ortum traxisse. Tum declarat (cap. 4.) *Venedos Slavos, Sarmaticam* gentem, cum *Wandalia Stilicone Wandalo* conciliati in *Gallias* & *Hispanias* adiissent, occupavisse eorum loca, & a quibusdam ob viciniam vocis, & quia *Wandalis* successerant, *Wandalos* quoque vocatos. Sed fontem ipsum delibando, autoris verba percipiamus. Libro itaque I. Polon. Histor. c. I. ita inquit: *Alii porro, cum Wandalos antiquitus hac loca, qua nunc Poloni, Silesii, Marchiani Brandeburgenses, Misnii, Cassubii & Pomerani sinus Codani, sive Balthici, marisque Sarmatici accola tenent, antiquitus ad Chersonesum usque Cymbricam, atque adeo ipsam quoque Chersonesum (qua nunc Holsatiam, Ditmarsiam atque Daniam complectitur) tenuisse, ex antiquioribus Historicis & Geographis recognoscerent; & eos, qui posterius ea loca tenuerunt, aut etiam nunc tenent, Slavos, Wendos, seu Windos a Germanis appellari animadverterent; eosdem esse existimarunt Slavos ac Wandalos. Cromero* suffragatur *Velserus lib. 4. Rerum Bojicarum*, afferens, errare *Krantzium*, quod *Slavos*, i. e. *Venedos*, *Wandalos* fuisse crediderit. Qui plora de amplitudine ac potentia Gentis illius nosse desiderat, legat *Balbini Epitomen* Lib. 1. c. 6 & scriptores alios, quorum præsenti §. meminimus. Ego aliorum duntaxat sensa protulisse contentus, aliquali sermonis Wendici notitia curiosi Anagnostæ animum nunc paucis informatum eo.

§. 5.

De linguæ Wendicæ variis Dialectis.

Quemadmodum ceteris in lingvis magna intercedit Dialectorum varietas, partim in diversis particularibus gentis ejusdem Regionibus, partim intra eandem quidem Regionem, in aliis tamen atque aliis Civitatibus, oppidisque usitatum; ita pariter idiomati *Wendico* notabile subest loquentium discrimen atque variatio, Unicus est, spectata substantia, *Græcorum* sermo; sed per *Atticam, Doricam, Æolicam, Ionicam* dialectos in multis a se ipso diversus. Unica item est *Germanorum* lingua, verum in Misnica, Westphalica, Helvetica, Silesitica plebe longissime alia, quam in ceteris florentissimæ hujus Nationis Provinciis frequentetur. Legere memet memini Catechismum A. 1609. idiomate *Wendico* in *Brandeburgica* editum. Sermo ille *Lusatiæ Inferiori* usitatus est, Polonicoque longe affinior, quam is, qui in vicinia *Wittigenaviensi* recipitur, vigetque: qui medium obtinet inter *Brandeburgicam* & *Budissinensis* viciniæ Dialectos. Particulares Idiomatis istius canones prælo Typographico subjeci A. septuagesimo nono supra millesimum & sexcentesimum, in libello, quem *Principia Lingva Wendica* compellavi. Ad eum lectorem, utiliter curiosum & glossophilum remitto. Paucis hic annoto, lingvam Wendicam Bohemicæ affinitate propinquissima conjunctam esse, constareque iis ipsis fere vocibus, quibus *Czechica, Polonica, Moscovitica, Illyrica, Croatica, Bulgarica, Albanica, Epirotica, Macedonica, &c.* ut proinde ejus adminiculo enumeratas hasce Regiones, aliasque complures perlustrare, earumque idiomata intelligere possit, quisquis *Wendico* sermone imbutus est; cum a sese vix alia ratione discrepent, quam aliquali Dialectorum varietate.

§. 6.

De vocabulis Germanicis, quæ in sermonem Wendorum Lusatiæ irrepsere.

Attamen celare nolim eos, qui hæc pervolvunt, complosculæ *Germanica* vocabula in hunc sermonem, *Lusatiæ* usurpatum, irrepsisse. Id communicatione atque contubernio *Teutonici* populi ab Annis facile sexcentis, & qui excurrunt evenit Idiomati *Wendorum*, quod sæculis proximis per *Turcici* sermonis quotidianum commercium *Græcorum* linguæ accidisse novimus; quæ quanquam apud Eruditos in sua etiamnum puritate constat e fontibus vetustissimis hausta; in communi tamen usu plebis *Constantinopolitana Turcica* quædam adscivit vocabula, mihi in *Lexico* recens edito lecto, & per R. *P. Dominicum Bogo, Italum Mediolanensem*, Ordinis Conventualium S. Francisci relata, cum sub Annum 1682. a novennali in Græcia commoratione redux, *Nissam Silesiorum* delaberetur. Illud quoque certissimum est, adeo in deliciis esse *Germanicam Venedis Lusatiæ*, ut eandem affectent etiam tum, cum propria non desint vocabula. Novitate enim delectantur animi, illæque linguarum varietas, nescio quid decoris, dulcorisque affert.

§. 7.

De Proprietate quadam & differentia linguæ Wendicæ.

Cum *Slavonica Pannonibus* usitata illud peculiare habet idioma istud, quod litera r (ersch) aspirata careat, Quam quidem pun- cto signat, ut *Bohemi*, sed alio prorsus sono exprimit, videlicet non aspero, per modum *ersch*, sed leni, per modum *ri*; absorbendo quodammodo literam i, uti liquet in voce ṙoȝ *funda-*

lus.

lus. Præterea generatim sciendum in lingua isthac omnia verba regularia tam activa, quam neutra in ac, ec, ic, terminari, prout *Polonis*, non vero in at, et, it, prout *Bohemis*, usuvenit. Creberrime ubi *Bohemi* e literam collocant, ibi fere o substituunt *Venedi*; ut **zona**, boz, pos, loco **zena**, bez, pes, *mulier, sambucus, canis*. Quod cum aliis sæpe usuvenit, tum semper omnino in Genitivis & Dativis Adjectivorum, qui *in Czechico* sermone semper in eho ema, in *Venedica* in obo, **omu**, terminantur; ut **nasseho, nassemur**, *nostri, nostro*, apud *Bohemos* **nassaho, nassomu**, apud *Wendos* item in secundis personis numeri plura Verborum, quæ in Bohemico Idiomate in te, in Venedico in co, semper exeunt. **L**, Literæ apud Bohamos usitatæ sufficiunt frequenter **w**, ut **swowo**, loco, **slowo** verbum; **wazba**, loco **slazba**, servitium. Genitivos plurales Bohemis in **ûw**, plerumque desinentes, terminant Wendi in **ow**, ut **swazowniskow**, servorum, loco, **slazebnikuw**. Loco Bohemicæ Diphthongi **au**, per crasin dicunt Venedi **u**, ut **swazic**, servire, loco **slauzit**. Duali numero semper utuntur, quoties de duobus sermo est, idque tam in verbis, quam nominibus; estque ille numerus distinctus terminatione ipsa ab utroque alio numero. Et quidem hæc loquendi ratio apud *Venedos* longe est frequentior, quam apud *Græcos*, qui non tam religiosi sunt in observatione Dualis, quin sæpiuscule Pluralem substituant. Sic Aristophanes ait: *ἀλλ' ἄνδρε δύο γυναῖκα φεύγομεν; an duo viri fugimus unam mulierem?* ubi *το φεύγομεν* pluralem adhibet, loco *φεύγετον* Dualis,

§. 8.

De eodem argumento. Illud prorsus singulare, quod in *Principiis Linguæ Wendicæ* C. I. annotatione 4. insinuavi, quoad certas solum consonantes omnes omnino, nulla nisi forte F. G. H. excepta, punctis notari posse, ad genuinam legitimamque vocum pronunciationem. Hinc si quando sacer Scripturæ codex lingua ista excuderetur, novas omnium characterum Matrices sculpi averem, ex quibus literæ omnes cum punctis nascerentur. Interea tamen sat commode id suppleri potest per adjectionem vocalis i, ante vocalem alteram, ut **drewiane**, *ligneus*; quod alioquin citra literam i, exarandum foret, si litera **w** puncto signaretur, quemadmodum **ṅ, ṫ, ḋ, ż**, apud Bohemos signari compertum est.

§. 9.

De Principiis linguæ Venedicæ. Atque ex his, velut ungve Leonem, cognoscet eruditus atque πολύγλωττος Lector qualitatem linguæ *Venedicæ*. Qui plura peculiaria scire appetit, consulat, ut dixi, *Principia lingua Wendica*, in quibus animadvertet ordinem, ad quem universæ idiomatis bujus voces aptissime referri queant, non secus, ac in Latinis Græcisque fieri consvevit, ubi omnia ad certas quasdam Regulas revocantur. Eram & ego ea aliquando opinione imbutus, linguam hanc prorsus irregularem atque heteroclytam esse; nullos enim hac super re libros legeram; at posteaquam ipsemet observavissem egregiam illam quinque Declinationum Methodum, secundum quinque primarum vocalium seriem procedentem, ut primæ Declinationis in vocalem **a**, secundæ in **e**, tertiæ in **i**, quartæ in **o**, quintæ in **u**, desineret Genitivus; cœpi & conjugationum verbalium exitus considerare; & rursus miro ordine ternas offendi verborum Activorum inflexiones; sicque procedendo ad ceteras Grammaticæ observationes; sententia priore prorsus erronea damnata, opinionem novam inivi, eamque iis, quæ extant, Præceptis sum complexus; quæ tamen ejusmodi sunt, ut iis hodiedum multa superaddi queant. Ita nihil in sui principio perfectum atque numeris omnibus absolutum ab homine inveniri vel confici potest. SOLI DEO ea debetur gloria. cujus *perfecta sunt opera*. Hæc de Idiomate toti late viciniæ Rosenthalensi usurpato atque vernaculo. Nunc qua olim in falsos DEos religione, quo nunc in verum Numen cultu ferantur *Lusatii*, paucis perstringamus.

Excerpta ex Cap. I.

§. 3.

De Prisca Lusatorum Idolomania & hodierna eorundem Religione.

§. 1.

De Prisco-rum Lusatorum Idolis. ANno 1517. Liber Teutonicus de vita *B. Bennonis* Misnensium Antistitis Serenissimo Saxoniæ Duci a Sacerdote nescio quo, (prima enim operis illius folia desiderantur) dedicatus in lucem prodiit, annexis paginæ postremæ hisce Typographi verbis: *Hanc legendam excudit Melchior Lotther Lipsia in honorem S. Patris Episcopi Bennonis, millesimo quingentesimo septimo decimo Anno.* Author ille (qui se in Nuncupatoria Epistola indignum ejus Serenissimi Principis Capellanum appellat) Capite libri sui octavo decimo de veterum Misniacis pariter ac Lusatiis adoratorum Idolorum nominibus hæc consignavit: *Extant hodiedum in Diœcesi Misnensi multi Venedi in urbibus pagisque; qui etiamnum peculiari amoris, devotionisque affectu Bennonem prosequuntur. Pietas eorum exinde manat, quod Is in Majores hujusce Gentis multa contulerit beneficia; eosdem e caligine infidelitatis in admirabilem lucem, qua Christus ipse est, traducendo. Jacebant etenim fallacibus cacodæmonis technis irretiti, & offusis Idololatriæ tenebris occæcati adeo, ut simulacris tribuerent honores, soli Divino Numini deferendos.*

vendor. Horum Idolorum unum Radgost, alterum Czornebog, tertium, idque potentissimum, Swantewitz compellabatur. Adjungit his *Michael Frentzelius in Postvvicensis Baptisterii Nuncupatoria* simulacrum Pseudothei *Flintz* dicti, Superioribus *Lusatis* potissimum culti, quem in specie cadaveris (præter lumbos perisomate cinctos) nudissimi, scalpebant. Stabat autem is haud procul *Budissina* in lapidea turri (cujus rudera, nostra quoque ætate supersunt) dextra facem flagrantem sustinens: cujus capiti Leo pedibus anterioribus incumbebat; plantis posterioribus in sinistro statuæ humero collocatis. Existimabant etenim, aliquando futurum, ut ab eo Leone a mortuis resuscitarentur. Idolum hoc *Henricus V.* sub Annum 1116. comminuit; sed postliminio a *Wendis Sorabicis* erectum est, donec *Lotharius II.* e *Saxonia* Ducibus Imperator A. 1126. illud omnino (Zeidlero in Annalibus Budissinensibus attestante) sustulisset. *Swantevvico* (ut ibidem habet *Frenzelius*) in annos singulos homo robustæ valetudinis immolabatur, & quidem, ut Autor Legendæ inquit, *Christianis dogmatis institutus. Acri enim odio ferebantur in Christicolas, inita adversum eos, ubique persequendos, conspiratione. Quod posteaquam cum angore animi innotuisset Divo Bennoni; se positis aliis negotiis omnibus in hanc duntaxat curam pro virili incubuit, quo excæcatos hosce mortales tam periculoso errore quam primum eximeret. Ut igitur conceptum opus expeditiori methodo effectum daret, benignissima compassione misellos sibi aggrediendos ratus est. Ita enim comparatam noverat gentem isthanc, ut violentia, interminationibusque flecti nescia, humanitate solum & clementia inclinaretur, nam quantumvis Henricus III. Romanorum Rex annis superioribus armorum strepitu Christi profiteri nomen, Christianaque amplexari Dogmata eos compulisset; brevi tamen a discessu ejus intercapedine temporis, in errores pristinos relapsi, eoque ipso effecti sunt deteriores. Alia ergo via tentandos arbitratus Divus Benno, Doctrina ac Institutionis suavitate, multos eorundem ad rectum salutis tramitem direxit; magna animarum præda jurata humani generis hostem, Swatevvitumque Idolorum Principem despoliando; cælestibus deliciis afferens illos, qui alioquin Tartareis fuissent suppliciis mancipandi.* Ita fere Autor Legendæ, cujus nomen invitum me fugit, quod *turbata volent rapidis ludibria ventis* (Virg. l. Æneid.) prima Voluminis folia ex eo paradigmate, ex quo hæc desumta sunt.

§. 2.

Libet, hic ad pleniore notitia informandos Lectorum animos Synopsin vitæ Divi Bennonis, rerumque ab eo gestarum nucleum proponere, prout idiomate Germanico expressum reperio a Reverendissimo Domino *Christiano Pfaltz*, subjectum Iconismo hujus Sancti Antistitis, ante annos complusculos æri inciso. Cujus exemplaria cum lapsu temporis rarescerent, R. D. *Thomas Kubasch* Ecclesiæ Novo-Domensi a Sacellis, paucis ante lethalem ex occasione infirmi a se pro officio visitati contractam ægritudinem, obitamque inde cum multorum dolore mortem, diebus, A. 1686. de suo, imaginem resculpi, summarimque illud novo subjici prælo curavit, a me Latio, ut sequitur, donatum. — *Vita Divi Bennonis.*

§. 3.

Divus Benno Episcopus Misnensis illustri Comitum *de Bultenburg* stirpe in *Saxonia* haud procul *Goslario* sub A. 1010. oriundus, octavo decimo ætatis anno Ordinem *S.* Benedicti est ingressus. In quo, invitus licet, ad Abbatialem dignitatem evectus, & brevi post jubente *Henrico Cæsare, Præpositi Goslariensis* munere insignitus, eodemque annos ipsos septemdecim cum probitatis laude est perfunctus, A. 1066. *Episcopatus Misnensis* Tiaram, virtutum suarum suffragio indeptus, deditis Idololatriæ *Wendis* cum in *Misnia*, tum in *Lusatia*, Evangelicam legem prædicavit, magnamque eorum vim Sacris Christianis initiavit, Budissinæ Collegiatam Divi Apostolorum Principis Ædem condidit. Vita ejus viva erat imago virtutum. A. 1106. XVI. Kal. Quintiles, ætatis sexto & nonagesimo, postquam annis quadraginta Diœcesi præfuisset suæ, fatis concessit, *Misnæ* in sacra æde tumulatus. Hæc e Germanico. — *Continuatio hujus Biographiæ.*

§. 4.

Atque hanc sui mentionem jure quodam suo hic loci D. *Benno* de Lusatiæ Provincia ob exstirpatam magna ex parte Idolorum servitutem optime meritus Apostolus & Patronus exposcebat. Porro ceterorum latrevtico simulachrorum cultui deditorum reliquias veluti zizania, eradicavit Sanctus *Pomerania Apostolus, Bambergensium Antistes, Otto*; qui, ut habet *Frenceliu*s ex Annalibus Budissensis, sub Annum Christi 1124. ex occasione itineris in Pomeraniam suscepti, tantisper hic locorum commoratus, Christianæ Religionis Majestatem & agnoscere & amplecti edocuit, quos Idolomaniæ etiam tum addictos repererat. — *De Lusatiorum & Pomeranorum Apostolis.*

MEMORIAS FAMILIÆ GERSDORFFIORUM QUASDAM, VT PRODROMVM HISTORIÆ GERSDORFFIANÆ EXHIBET

M. CHRISTIANVS Gottlob Pitschmann,
SIEGERSDORFFIO-LUSATUS
SS. THEOL. STUD.

PRÆPARATIO.

§. I.

FAtendum omnino est, majores nostros in conferenda Nobilitate bonum Reip. respexisse. Hæc enim quasi cum imperaote agit, & tacita loquitur: Nulla salus mihi, nisi a te, oullum incrementum sine te; tibi uni omnium eivium vitæ traditæ; tibi cura gregis conservandi habenda; tu non solum ad sanciendas leges & everteodas malitias, sed & honorandos virtute exornatos vales. En! Nobiles supra vulgarem sortem emioentes non inconcinniter floribus comparantur, ut illud in societate præstent, quod hi in pratis soleut. 1.) Fac ergo, ut præclare meriti cives in statum nobilem certis privilegiis, certoque existimationis gradu donatum loceotur, quo & alii præmio virtutis commoti ipsam colant.

§. II. Quemadmodum vero summa potestate præditus dignitatem & salutem provinciæ suis commodis præferre debet; ita etiam hisce precibus locum relioquere & agooscere tenetur virtutem sese io usum vitæ civilis diffundeotem hooreque dignam.

§. III. Orta inde est dignitas civilis s. claritudo generis a parentibus nobilibus io liberos per traducem transfundenda, vel a Principe jura Majestatis habente, & superiorem oon recognoscente, vel ab eo, cui Imperatoi hoc specialiter concessit, vel lege, vel consvetudioe, ob virtutes Reip. aut vitæ commoni salutares & commodas, vel res præclare gestas aut toti alicui familiæ, aut uoi collata. Orta iode est oobilitas uni forti vel prudeoti viro collata io posteros partim, partim neutiquam in eos propaganda.

§. IV. Quæ com ita fiot, haud difficile est assertu, Nobilitatem novam non quidem ex se pareredium: quum virtus hujus etiam fundamentum esse posfit, quæ & esse debet. Idem oobiscum agnoscit L'Oyseao 2.) C'est un commuo dire, que la noblesse vieut de vertu, de forte, que la vertu des ancestres fait la noblesse de race, & la vertu d'un chacuu fait noblesse personelle. Bref, la vertu est la canse de la noblesse, & la ooblesse est l'effect de la vertu.

§. V. Quamvis vero ioquirere nolim, num recens creati nobiles semper virtute oobilitatem acquirant; hoc tamen certo certius constat, Seciæ 3), Misniæ 4), Lusatiæ 5) imo totius Germaniæ 6) nobilitatem originem debere virtoti. Nec est, quod exempla longinquiora repetamus, quibus quæ dixi illustreutur ad fidem faciendam, quum ***memoria Familiæ antiquæ Gersdorffiorum*** ad probandum, quod olim virtus nobilitatis fuodamentum fuit, sufficiant. De quibus ut peculiari scripto agam, & stirpis istius dignitas, quam præ se tulit, ignorantiæ fere nebulis obscurata, & splendor, quem alit, & descriptio ejosdem ab aliis neglecta me iropulerunt. Pulcrum enim imprimis, noo pati occidere, quibus æternitas debetur 7) atque quemadmodum venerationem habet, videre castellum aut ædificium antiqunm, quod nulla ruina invasit; aut etiam annosam & proceram

1) Ohrecht Differt. de Regalibus thes. 115.
2) L. I. des Offic. c. IX. n. VI. cit. I. C. Becmanno in Syntagm. Dignit. Ill. Diss. XIV. c. II. n. IV. p. 1181. Ff. & Lips. 1696.
3) Joh. Loccen. Antiquitatum Sueo-Gothicarum L. II. c. 9. p. 63. ed. Ff. & Lips. 1676.
4) Magnificus atque Summe-Reverendus Dn. D. Rechenberg. Prof. Theol. in celeberrima Lips. Academia Primarius in Diss. de Nobil. Misn. Literata Sect. I §. 4. hbt. 1694.
5) Celeberrimus Schurzfleisch. Disp. Historico-Civil. ed. Lips. 1699. Diss. XIIX. de Lusatia p. 23.
6) Hoffmanni Lexic. Univers. Tom. II. voc. Nobilitas ed. Basil. 1683. p. 209.
7) Ita ex Plinio in rubro Dissertationis de Cella Veteri Diœces. Misn. Christianus Schlegelius Bibliothecarius & Antiquarius Arnstadtiensis loquitur. Lips. ed. 1703.

teram arborem folidam & integram: quanto magis intueri antiquam nobilem profapiam a fluctibus & procellis temporum illæfam 8.) Interim non poffum inficiari, mihi, ob anguftiam paginarum & rem tenuem Bibliothecariam, prolixiori effe minime licere; alio tamen tempore de omiffis fufius fum acturus.

§.VI.Prius autem, quam ad rem ipfam ejusq; expofitionem progreffum faciam, pauca de fpectantibus ad Onomatologiam in medium proferam. *Memoria* a voce memini defcendit, adeoque ipfa derivatione oftenditur, memoriam alicui minime effe poffe, nifi alicujus rei meminerit. Græcis μνήμη & μνῆμα audit, quod fuam a voce μιμνήσκομαι trahit originem, idemque denotat.

§.VII.Variam apud autores *Memoria* recipit fignificationem.Ita Memoria dicitur, fi imago cerebro impreffa rurfus ei offertur, vel objectum attentius confideratum fæpiusq; revocatum cerebro imprimitur 9). Appellantur etiam fepulcra memoriæ 10). Item Oratoria, in quibus Sanctorum corpora recondita 11): nec non cippum vel columnam, in qua elogium alicujus infcriptum vifebatur, memoriam vocarunt Veteres. Sic Auguftinus ait: Non ob aliud memoriæ dicuntur ea,quæ infignita funt fepulcra mortuorum, nifi, quia eos, qui viventium oculis fubtracti funt, ne oblivione etiam cordibus fubtrahantur, in memoriam revocant 12). Honorificæ quoque mentioni mortuorum infervit hoc vocabulum 13). Denique ufurpatur, fi commentarios, quibus rerum geftarum, vel de perfona quadam memoria confervatur, defcribere volumus. Quam pofteriorem fignificationem & ipfe retinebo.

§.VIII.Porro dicendum,quid mihi vocabulo *Familia* velim.Hoc proprie de fervis & famulis dicitur 14), & cœtum fervorum notat:translatum tamen quoque eft ad liberos, ita ut cum auctorem generis, ex quo reliqui orti genitique funt, tum progeniem ipfam fignificet. Qua ratione & a nobis adhibetur.

§.IX. Pergimus ad nomen GERSDORFF, quod a Germ., Gerfte, derivatur, eo quod Heinricus Steindorff Rudolphi Regis Burgundici filiam una cum raptore in hordeo reperiret 15).Miffas igitur nunc facimus arces pagosve, qui Gersdorff dicuntur, monentes, Gersdorffios & Giersdorffios interdum a Chronographis nominari, qui in Comites, Barones,& Nobiles dividuntur 16).

§.X.Hifce præmiffis haud difficile eft collectu, nos originem, propagationem, res geftas honoresque Gersdorffiorum effe expofituros, ne monumenta hæc injuria temporum plane intereant.Quo vero & tibi L.B. de ordine conftet, fcias tribus capitibus omnem rem abfolutum iri, quorum *I. de origine & propagatione, II. de dignitatibus in toga, III de dignitatibus in fago* brevibus aget. Ne tamen confufio oriatur, fecundum ordinem Alphabeticum nomina eorum, qui huic vel illi officio præfuerunt, recitabimus.Faxit DEUS feliciter!

CAP. I.

DE ORIGINE ET PROPAGATIONE.

§.I. ORigo præftantisfimarum familiarum fæpius eft in incerto, propterea, quod antiquitate nimia memoriæ familiarum perierint, bellorum, quæ in patria gefta funt & plurima & cruentiffima, injuriis extinctæ aut flammis confumtæ. Adde quod majores noftri, utpote militares viri, fortiter agere contenti, fcribere & annotare ignavum effe putarint: Traditum tamen quafi per manus accepimus, Gersdorffiorum hanc effe originem. Nimirum nobilium quidam, memoria tenens, patrem ob raptum virginis juffu Regis effe necatum, vindictæ cupiditate ductus confilium de filia Rudolphi, Regis Burgundici vi abducenda cepit, atque tam perditis rebus diligens, fpeciem præ fe ferens virginis, a Rege petiit, ut in numerum pediffequarum reciperetur. Quo obtento, cum noffet, aulicos plenis cantharis bibere, filiæ Rudolphi perfuafit, ut nocturno tempore fecum in hortum abiret, exiftimans, hoc modo optime Principem abduci poffe, Nec erravit. Etenim credulam, ut primum in in hortum venit, in fegetem abduxit. Verum ad breve tempus audaciæ fuæ maturitas aulicos latuit, de quærendo raptore cogitantes, cum de raptu filiæ Regis Burgundici certiores fierent. Tanta cumprimis Henrico, Erafmi Steindorffii filio, generofo bellatori diligentia, tanta fors fuit, ut cum aliis emiffus, folus Principem Patri vita cariorem, una cum raptore intra hordeum in agro reperiret & ad Patrios lares reduceret. Quæ res uti Regi incredibilem attulit voluptatem, ita & ipfum commovit, ut Steindorffium, hominem per fe cognitum ad honorum gradus extolleret, atque ei mutato nomine Steindorff in Gersdorff Nobilitatem conferret 17.)

§. II. Ex hoc fonte nobilitas Gersdorffiorum defluxit. Quemadmodum vero.

Mos

8) Baco B. de Verulamio Sermon. Fidel. XIV. de Nobilitate p. 1160. Oper. Ff. 1665.
9) Ex Buddæi Philof. Eclect. T. I. p. 60. Hall. 1703.
10) Gruterus p. 827.

Mos erat antiquis, ut bellica castra secutis
Nomina pro meritis aptaq; signa darent;

ita Steindorffio, forti militi, dabatur clypeus, campum ostentans, in quo pars superior sanguinea, inferior rursus in duas partes divisa conspiciebatur, quarum nigra altera, altera alba erat. Super hunc campum assurgebat galea aperta, quæ corona flava redimebatur, ex qua mitra, vulgo Episcopalis dicta, prosiliebat rubra. Vittæ vero rubræ albæq; erant. Fridericus Barbarossa, Romanus Imperator, non solum consensit, ut Gersdorffii hoc clypeo uterentur, verum & insigne auxit cristis nigris albisq; plumis 18). Barones & Comites idem retinent paucis mutatis. Atq; hic omnino observandum est, non absq; causa Steindorffio, postea Gersd. dicto clypeum, hujusmodi coloribus exornatum esse attributum. Posteros excitare Rudolphus hac ratione volebat, ut, adspecto clypeo, stimuli quasi tardis admoverentur, quo virtute omnes præcedere anniterentur, atque non solum aliis, coloribus & corona clypei inductis sinceri 19), prudentes 20), fortes 21) & magni 22) viderentur, sed etiam re ipsa demonstrarent, se tali clypeo dignos esse.

§. III. Stirps hæc Gersdorffiorum longe lateq; se deinceps in diversas provincias infudit, adeo, ut si unam aut alteram exceperis, latissimam Gersdorffiorum possis dicere. E Burgundia in Lusatiam quando venerint, non licet certo dicere: sed antiquissimam hanc illis patriam fuisse, plurimis constat exemplis 23). In Bohemiam an ex Lusatia, an ex Silesia immigraverint, æque incertum est. Hoc vero certum, in regno Bohemiæ, in Silesia & Comitatu Glacensi Gersdorffios olim quoque inter proceres regni sedisse, & summa officia gessisse. Addendum etiam hoc loco videtur, non solum L. Baronis axiomate a Leopoldo M. Romano Imperatore quasdam Gersdorffios esse donatos 24): verum & ante aliquot tempus Viennæ Gersdorffiorum aliquem, quem Comitem Leopoldus M. esse voluit, obiisse. 25).

§. IV. Nunc de cognatione Gersdorffiorum cum Illustrissimis familiis 26), de opibus 27), de sepulcris 28) esset dicendum: sed de his alio tempore pluribus, jam ad

CAP. II.

DE DIGNITATIBUS IN TOGA.

§ I. A *Dignitatibus Ecclesiasticis* initium capientes, primum in scenam producemus

EPISCOPUM

GOTTFRIED a GERSDORFF, qui, ut primum ex pueris excessit, se ad Theologiæ studium & cultum contulit: primum Bambergæ, loco

18) Frider. Lucæ Schles. Chronicke p. 1801. ed. Ff. 1689. Annal. Dom.

19) Albus color cæteros præstat; unde regula Heraldicis adprobata, eo præstantiores duci colores, quo magis ad album accedant. Vid. B. D. Spenerum in Oper. Herald Adhæc ad indicandam sinceritatem hominibus sæpe assumtus. Cl. Schurtzfleisch. l. c. Diss. XXIII. p. 13. §. 18. cf. Cicer. de Leg. L. I. Kornmann in Tr. de Jure Virgin. c. 47.

20) Niger color olim prudentiam notabat. Joh. Michael Moscherosch. V. Th. I. I. Gesch. Cassan. Catal. Glor. mundi. P. I. c. 66.

21) Sangvineus color ob fortitudinem & virilitatem adhibebatur. Cassan. l. c. c. 63.

22) Coronæ tanto majorem dignitatem significabant, quanto Conspectus earum altius positus erat. Schurtzfleisch. l. c. Diss. cit. de Nobil. Insign. p. 14.

23) Henricus autor generis Gersdorffiorum quinque habuit filios, Rudolphum, Georgium Sigismundum, Casparum, Hieronymum, Henricum. Annal. Domest. p. 9. Cujus vero filius fuerit Bernhardus, pius dictus, non constat; hunc tamen primum fuisse, qui in Lusatiam venerit, me docent Annales Domestici p. 5. Testis quoque est B. M. Zacharias Seligmann, Magnifici Summeque rever. Dn. D. Seligmanni Profess. Theol. Lips. &c. Patroni & Matruelis æternis animi devotissimi obsequiis submisse devenerandi, observandi & colendi parens, inquiens: Und kan hier sonderlich gedacht werden des Alterthums des Gersdorffischen Geschlechts, als welches allbereit in diesem Land fast in die achthalbhundert Jahr berühmt gewesen in Rechtsche Gersdorffer Tugend-Fleiß und Ehren-Preiß ed 1656. Testis hujus Zach. Seligmanni socer, & avus meus B. M. Thomæi, Pastor Grædisianus, in Luctu Grædisiano 1650. ed. Gorl. testis Past. t. t. Lucas. l. c. p. 1770. Abrah. Hoffmann, Histor. Lus. in Oratione von des Adels-Ursprung ed Budiss. 1610. J. Conr. Knauth in Misniæ Illustrandæ Prodromo p. 507. ed. Dresd. 1690. Adhæc tam copiose & fœcunde prosapiam in Lusatia Gersdorffii propagarunt, ut Anno 1572. Zittaviæ, ob certa sui stemmatis negotia, eorundem ducenti convenisse commemorentur. Hennel. l. c. Ann. Dom. p. 11. cf. C. 3 §.

24) Lucas l. c. p. 1802. aliique passim.

25) B. parens M. Georg. Gottlob Pitschmann in Orat. Nupt. P. I.

26) Nobilis stirps anno 920. censebatur Comitum in Polrkenhayn; tamen Bernhardus a Gersdorff, fortissimus omnium, hujus Comitis gener factus est. Et ex Annal. Domest. aliisque scriptis scimus, Illustrissimum sanguinem mixtum esse Gersdorffiis. Præstat Hofmannum l. c. audire. Ita enim infit: In Herrn D. Seldens J. U. D. Adel-Spiegel wird eines Nahmens Wilhelm von Gersdorff gedacht, so durch wohlverhalten auf dem Turnir zu Regenspurg 1276. des Graffen Berechard von Ascherleden Tochter bekommen.

27) Gersdorffii non modo arces multas & ditiones maximas in Bohemia, Lusatia, Silesia, Misna &c. tenuerunt: (Sic Rulandia in Gersdorffiorum potestate fuit. Multo tempore Urbs Cala in Lusatia inferiori ad Gersdorffios respexit. Et quis omnia enumeret? V. Ann. Domest.) sed etiam novas in Patriæ ornamentum & decus condiderunt, ut in Lusatia Baruth, quam adhuc hodie possident. Et enim Nicolaus a Gersdorff, Heinrici pronepotis Heinrici, autoris generis, filius in uxorem ducebat Helenam, Francisci ab Obelvitz, Dynastæ in Maltiz filiam unicam, suscipientem gemellos, filium Babo filiamque Ruth. Quibus præmatura morte extinctis, pater mœstus in rei memoriam arcem Baboruth vel Baruth in sylvis 1025. extruxit Ann. Dom. p. 6. Extruxerunt alii arces pagosue plurimos, quos Gersdorff dixere.

28) Budissæ cæmiterium est a Petro dictum, in quo lapis spectatur antiquissimus Gersdorffiorum quendam Præfectum Budissæ ibi jacere indicans. v. Budißin. Grab und Gedächtniß-Mahl M. Wagners. Budiss. 1697. p. 34. Tacebo alia.

loco nobili, celebri urbe & copiosa celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Post in numerum Canonicorum Capituli, 1019. ab ipso Pontifice Benedicto VIII. inaugurati 29) receptus, sic a reliquis coli cœpit, ut denique vultu & verbis significaretur, re & sententiis declararetur Episcopus Bambergensis 30.)

§. II. Episcopi hujus facta mentione, de BERNHARDO a GERSD. verba facere possem, qui omnem laborem parvi ducens, naturæ habitu prope divino, animum suum ita doctrina excoluit & virtute exornavit, ut unanimiter *Abbas Andronitidis S. Galli* apud Helvetios longe potentissimæ, quæ toti Germaniæ multos eruditos homines & Episcopos dedit, atque dicitur habere nobilissimam innumeraque optimorum Codicum multitudine refertissimam Bibliothecam 31), eligeretur. Hoc honore tamen vitæ suscepta ratio eum prohibuit 32). Nam erat studiis Astronomicis deditus 33).

Procedamus ad *Præpositum Numburgensem, Erasmum a Gersdorff*, tanta temperantia virum, tanta humanitate, ut beatissimum videretur Capitulum Numburgense, cum ejus Præpositus 1180. crearetur 34) tempus, quo huic præfuit, non otio, sed negotio ex voto omnium consumsit.

§ IV. Hunc excipiat *Wilhelmus*, Alberti a Gersdorff, Hæreditarii in Thomasvald, Grœbe, Muckendorff, & Sleiniz, Serenissimæ Ducis Hedvigæ 35) per 38 annos Præfecti morum, filius, vir gravis, ad miraculum eruditus, in officio obeundo impiger, perq; omnia simplex & rectus, qui *Medeburgi Præpositus Capituli* fuit 36).

§. V. Recensitis dignitatibus Ecclesiast. *ad Politicas* pedem promoveamus, quibus, Gersdorffii non minore cum laude præfuerunt. Quid primo, quidve secundo loco heic ponam, ob copiam non liquet; considerabo tamen

I. LEGATOS,

quorum primus sit modo nominatus 37) *Bernhardus a Gersdorff* pietatis amantissimus, Florentia Bruxellas 1276. statim post resignationem Abbatiæ missus, ubi post adventum suum excessit 38); hac ratione, in seculo antea nobilis, apud DEUM factus est nobilior.

§. VI. Secundum locum occupet Joachimus a Gersdorff, magnus, dum viveret, Regni Danici Magister (der Dänische Hoff-Meister) qui inter XXIV. senatores regni ipse primarius & antesignanus qs. (gieng in allen vorfallenden Solennitæten mit einem vergüldeten Stabe in der Hand vor dieselben her,) totius status habenas, tanquam Vice-Rex solus tenens post fata Comitis de Uhlefeld sub titulo primarii status Consiliarii ministri) premier Minister d'Estat 39) sæpius ad deputatos Regis Sueciæ charactere Legati 40) & Plenipotentiarii 41) missus.

§. VII. Tertius sit B. *Nicolaus* S. R. I. Banderesius & L. B. a Gersdorff, Dynasta in Baruth, Bretting, Hennersdorff, Hansvvalda, Kemnitz, Berthelsdorff, Buchvvalda, Kieckvvitz, Hehscheune, Rackel &c. placidus partim ob eximias virtutes, partim ob multa gratiosæ clementiæ specimina nominandus, ad Regem Sueciæ, Carolum Gustaphum 1659. Legatus missus 42). Quam legationem feliciter & ex voto Principis administravit 43).

§. VIII. Quartus sit *Rudolphus a Gersdorff*, Jurium cognitione eximia instructus, S. C M. Consiliarius a Ferdinando II Cæsare ad Electorem

29) Zieglers Schau-Platz der Zeit p. 182. b. Leipzig 1700.
30) M Pitschmann parens meus c. l. p. 78.
31) v. Chronol. Monasteriorum Germaniæ Gasparis Bruschii p. 407. Sulzbaci 1682.
32) e. D. Wigel. & Mauritii Brands Braband-und Niederländischer Chron. refert Hofmann. l. c.
33) Alios, quos conscripsit, libros ut taceam, tantum Astronomicum singulari industria elaboratum in memoriam revocare libet, in quo de Sole, Luna cæterisque stellis scite agere fertur. Hofemann l. c. refert, hunc librum in Bibliotheca Viennensi reperiri.
34) Ann. Dom. p. 7.
35) Fuit hæc uxor Johannis I. & mater Friderici I. Ducum Lign. Lucæ Schles. Chron. p. 1290. seq.
36) M. Pitschmann l. c. p. 77. Ann. Dom. p. 8.
37) C. II §. 2.
38) Hosmann ex autor. alleg. cit. loco.
39) Verba sunt, Augusti Adolphi ab Haugvitz in Tr. recens. in Act. Erudit. Lips. 1690. mens. Novembr p. 544. de regni & aulæ Mareschallis Budiss. 1690. p. 329. 164. cf. all. M. de S. Marthe en l'Estat de la Cour des Roys de l'Europ.
40) v. Pufend. Thaten König Carl Gustaphs p. 131 251 seq. 357. seq.
41) Pufendorff l. c. p. 411. seq. Subscripsit, quod observandum, paci Rothschildensi hæc emittens verba: Ich wolte daß ich weder lesen noch schreiben könte. Pufendorff l. c. p. 421. Dicitur etiam, quod obiter noto, hicce Joachimus Eques Ordinis Elephantini. Quod vero attinet Christophorum & Hartvigum a Gersdorff, qui, cum ordo Equitum Aurei Velleris a Philippo Bono, Burgundiæ Duce, institueretur, (v. Augustini Erath Ordo Aurei Velleris a Philippo Bono instit Ratisbon. 1697. p. 122. Maximiliani Missons Italiänische Reise-Beschreibung p. 1095. Leipz. 1701. e Gallica in latinam lingvam translat. a M. Junckero Ill. Gymn. Sleusingensis Con-R. uti nobis persvadet p. 76. in Vita Lutheri nummis & Icon. illustrata)

rem Brandenb. in causis arduis & totius Silesiæ incrementum spectantibus legatus 1629. cum Georgio Schœnbornero JCto missus est. At vero vix 4. inde menses abierant, cum hic oriens sol merito adorandus 44), mortalitatis flebile specimen factus in ipso ætatis flore 45).

§. IX. *Sigismundus* sequatur a Gersdorff. Hujus virtus quotidie magis & magis florescebat, ita ut 1463. a Friderico III. 46), Romano Imperatore eligeretur, qui ad Turcam, ad salutem Reip. Christianæ promovendam, mitteretur 47).

§. X. Denique nominabo *Wolff Abraham B. a Gersdorff*, Electoris Saxoniæ Hagæ-Comitum Legatum 48), de quo fama, utut alias multum in utramque partem mentiatur, semper bona vero rumore celebrat. Plures e Gersdorffiis ad hanc classem pertinerent; ast jam totum hoc omitto, veniam ad

§. XI. SUPREMUM AULÆ REGNI DANICI MAGISTRUM *Joachimum a Gersdorff* corpore quidem infra mortuos amandatum, spiritu vero & gloria viventem. Famam hic immortalem, studium omne omneque ingenium ad Regis Daniæ gloriam celebrandam conferendo, consecutus est 49). Etenim ex quo regnum Daniæ, quod ante Electitium fuerat, confecto bello Svedico 1660. medio Octobris in hæreditarium transiret, hæreditate ejus Friderico III. ipsiusque liberis utriusque sexus in perpetuum adjudicata 50), nobiles inter fere primus Joachimus comparuit, qui assentiret & Fridericum III. primum Daniæ hæredem nominaret 51).

§. XII. Succedat DIRECTOR SANCTIORIS SENATUS Potentiss. Polon. Regis & Electoris Saxoniæ, *Nicolaus a Gersdorff*. S. R. I. Banderesius & L. Baro 52). Primum a Johanne Georgio I Provocationum Collegio & 1656. Senatui aulæ & Justitiæ clementissime adscriptus, a Joh. Georg. II in numerum Consiliariorum Intimorum relatus; a Joh. Georg III. Supremi Camerarii 1680. & Senatus Sanctioris Directoris 1686 honoribus auctus ornatusve 53). Quod reliqua officia attinet, de iis dicam suo loco 54), jam dicam de

CONSILIARIIS

§. XIII. I. prodeat *Christianus*, Joachimi *a Gersdorff* 55) filius, vir prudens, doctusque, qui, jam inde ab adolescentia bonis moribus literisq; deditus operam prudentiæ tantam navavit, ut inter sapientes primo loco numerari possit. Promeruit certe studiorum sedula inquisitione, ut dignus idoneusque habitus fuerit, qui Regis Daniæ *Cameræ Consiliarius* & præfectus aulæ fieret 56).

§. XIV. *II Christophorus Fridericus a Gersdorff* in Kaupa, Bolbritz, Rattvitz, nobilis heros, vir ingenio præditus magno, fereque miraculoso, Potentiss. Polon. Regi a Consiliis Legationum & Appellationum 57).

§. XV. *III. Conradus a Gersdorff* piæ memoriæ Friderici III. Imperatoris *Supremus Aulæ Consiliarius* 1466. 58).

§. XVI. *IV. Fridericus a Gersdorff*, Joachimi filius 59) natu minimus, vir prudens, circumspectus longeque fidelissimus Regis Daniæ *Consiliarius Status intimus* 60.)

§. XVII. *V. Georgius a Gersdorff* 1606. *S. Cæsareæ Majestatis Consiliarius* 61).

§. XVIII. *VI. Georgius Rudolphus*, Joannis *a Gersdorff*, Domini in Seichau, Reinberg, Waltersdorff, Langenau, *Consiliarii Regii*, necnon Ducatuum Svidn. & Jaurov. Administratoris filius, egregiis animi dotibus præditus, a Leopoldo M. L. B. axiomate donatus, apud *Supremum* Silesiæ *tribunal Consiliarius* 1674. fuit 62)

§. XIX. *VII. Gottlob Fridericus L. B. a Gersdorff*, natus ex Illust. & Excell. Conjugum pari Dn. Dn. Nicolao S. R. I. Banero & L. B. a Gersdorff & Henrietta Frisia, miraculo Seculi, Aulæ Electoralis Consiliarius dignissimus 63.)

§. XX. *VIII. Wolff Abraham a Gersdorff*, vir prudentissimus & adeo felix, ut videatur restituere posse collapsas pene res Lusatiæ & fortunas, si diutius superesse in hac mortalitate da-

44) Liceat verba Pompeji triumphum e Sylla petentis heic adhiberi. Cantel. de Rom. Rep. Diss. 2. c. 10. P. 90.
45) Hennefeld l. c.
46) Ita ex Illustrissima Ducum Austriæ familia ortum, patre Ernesto natum 1415. nomino cum D. Christiano Matthia in Theatro Historico p. 1012. ed. Lips. 1694. Bucholtzero Ind. Chronolog. p. 400. ed. Fr. 1634 Rothnagel Histor. der ältesten Fürstl. Häuser p. 19. Hamb. 1699. autore der Durchl. Welt P. IV. Abth. 2. p. 2. Hamb. 1701. utut IV. ab aliis vocetur.
47) Ann. Dom. p. 11.
48) Quem Gallico idiomate l'Envoye nominant. v. Souver. Europ. p. 474. Vratisl. 1699.
49) v. C II. §. VI.
50) Becmann. Histor. Orb. Terræ P. II. c. V. nr. 6. p. 618. Ff. 1680.
51) M. Pitschmann l. c. p 52. cf. Diar. Europ. Cont. IV. p. 385. seq. Hoc officium post hujus obitum plane in desvetudinem venit, notante generoso Dn. ab Haugvitz l. c. p. 329.
52) Idem est, de quo C. II. §. VII.
53) Hæc e Progr. cit. Dn. D. Rechenbergii cf. Sovver. Europ. p 484. Franckenbergs Europäischen Herold. p. 131.
54) C. II. §. 22.
55) v. C II. §. 6. 11.
56) M. Pitschmann l. c. p. 52.
57) Id. l. c. p. 54.
58) Annal. Domest. p. 10. seq.
59) V. C. II. §. 6. 11.
60) Pitschmann l. c. p. 52. Europ. Herold Franckenbergs cf. Souver. Europa p. 485.
61) v. Gastonis Votum in Legat. Pannon. Pacif. Wien. 1606.
62) Hennefeld. l. c. p. 1228. 1744. seq.
63) v. cit. Progr.

dabitur ei. Dynasta est in Myckenhayn, Horcke, Sæhrge, Kaltvvasser, Byhan &c. & Potentiss. Pol. *Regis & Elect. Sax. Consiliarius* 64).

§. XXI. IX. *Wigandus Adolphus a Gersdorff* in Geslechsheim, Regis Polon. & Elect. Saxon. *Consiliarius*, quem summa scientie & arcanorum Politicorum notitia ab uno ad alterum dignitatis gradum evexit 65). Sed quid singulos commemoro 66)? Roma venerabatur majorum & minorum gentium patricios, eosque ad summe dignitatum vestigia evehebat 67); ævum veneratur & evehit ad dignitatem Gersdorffios.

§. XXII. Planum hoc facit sæpius laudatus 68) PRÆSES SUPERIORIS LUSATIÆ *Nicolaus* S. R. I. Band. & L. B. *a Gersdorff* Nicolai, Aug. Rom. Imp. Consiliarii & Capitanei Lusatiæ Superioris Adjuncti 69) filius, cujus virtutes nullius unquam mens aut cogitatio capere, nedum lingua eloqui valet. Quemadmodum enim Guilielmi Regis Britanniæ sapientia & autoritas totum Europæ corpus recte sentientis animavit 70); ita Præsidis hujus religio, sapientia & autoritas Superiori Lusatiæ rebus in adversis, animum reddidit.

§. XXIII. Planum hoc etiam faciunt *Præfecti Provinciarum*. Hic recensendus venit *Adolphus a Gersdorff. Præfectus* hic erat Superioris Lusatiæ tempore, quo omnium ante oculos arma versabantur. Itaque vir sapientissimus & cum suo periculo Reip. salutem afferre conabatur; Pinceres, jubente Joh. Georgio I. Electore Saxoniæ, convocabat; Bellum Patriæ factum iri, si consilia pacis contemnerent, monstrabat: sibi pacem sagu meliorem videri asserebat: ast subito a Marchione Joh. Georgio e Jegerndorff captus, Zittaviamque abductus in carcerem conjiciebatur 71). E qua captivitate, occupata Metropoli Lusatiæ, Budissa 1620. rebusque mutatis ereptus est 72).

§. XXIV. Oculos nunc nostros in se convertit *Hans a Gersdorff* in Seichau, Relnberg, Walteradorff, Laugenau & Huadorff, S. C. M. Consiliarius, Ducatuumque Svido. & Jarov. 1682. *præfecturæ administrator* 73).

§. XXV. Adducitur etiam *Nicolaus a Gersdorff*, cui ingenium fuit tale, quale multi optant, si sanæ mentis sunt, *Comitatus Glacensis Præfectus* 74).

§. XXVI. Succedit *Rudolphus a Gersdorff* 1635. *Præfectus Lusatiæ* inferioris 75).

§. XXVII. Hunc excipit *Rudolphus a Gersdorff* in Græditz, Rettvvitz & Dobrischau, Marchionatus Lusatiæ Superioris *Budiss. Præfectus* 76). 1650.

§. XXVIII. Agmen claudat *Wolff, Abrahamus a Gersdorff* quem DEUS, Lusatiæ bono & generosæ familiæ ornamento servet quam diutissime! Superioris *Lusatiæ Gorlic. Præfectus* 77).

§. XXIX. Progredimur ad SENIORES. Nominabo (1.) *Casparum Christophorum a Gersdorff*, in Zimpel, Tauer, Geislitz, Halbendorff & Zschornauert, Marchionatus Superioris Lusatiæ Gorlic. præditum Senioratu 79).

§. XXX. Sequitur *Christophorus Henricus L. B. a Gersdorff*, in Siebeneichen, qui circa annum 1672. Ducat. Suidn. & Jarou. fuit *Senior* 79).

§. XXXI. Porro non omittendus est *Sigismundus a Gersdorff*, in Sehe, Superioris Lusatiæ circa annum 1618 *Senior* & Collectarum Provincialium Diribitor 80).

§. XXXII. Deniq; pergimus ad *Wigandum Adolphum a Gersdorff*, in Geslachsheim qui d. 28. Apr. 1700. Senior Lusatiæ Electus Gorlic. 81.) Quæ cum ita sint, quis nobilem in nobili natura non æstimaret Gersdorffiorum virtutem, adeo notam, ut fatendum sit, verum esse: in recens creato nobili incipere, in filiis pubescere, in nepotibus adolescere, in pronepotibus tandem & posteris maturam ætatem adipisci nobilitatem 82).

§. XXXIII. Nec habebit quis, quod assertum neget, cum non dicam enarrata, sed & enarranda hoc satis probare possint. Sisto enim nunc SCHOLASTICAS DIGNITATES, quas Gersdorffii non minore cum laude tenuerunt. Neutiquam temere scholastica dignitas a me tentum dicitur, si quis Scholæ præest; verum uti Scholastici JCti, Medici, aliique eruditi Viri vocantur, ita etiam hoc modo dictum volo, Scholasticos fuisse Gersdorffios.

§. XXXIV. Sic *M. Andreas a Gersdorff*, magni animi vir anno 1425. *XXXII. Rector* celeberrimæ Academiæ *Lipsiensis* fuit 83.)

§. XXXV. *Hans a Gersdorff*, in Weiche & Græditz tanto literarum flagravit amore, quantus ei autor esse potuit, ut & ætate provecta in Hollandiam proficisceretur, atque notitiam ibi Mathematicarum cum primis rerum acquireret. Facundie hic ipse pares, sed vix paucos superiores hebuit 84).

§. XXXVI. Sequuntur duo *Melchiores* dicti *a Gersdorff*, quorum alter & morum gravitate singulari, & literarum cognitione multifaria conspicuus, ita profecit, ut domum, cum aliquot annis in publicis vixisset Academiis, reverti nollet, nisi petito & impetrato prius J. U. D. titulo 85); alter anno 1507. Lipsiæ *Baccalaureus* Philosophiæ creatus est 68).

§. XXXVII. Devolvimur ad *Wilhelmum a Gersdorff* qui *Professor* Hebrææ Lingvæ in Abbatia S. Galli fuiss. dicitur 87).

§. XXXVIII. Immo, quod mireris, & sexus sequioris personæ e Gersdorffiis ob eruditionem omnium in se oculos converterunt. Audiatur Dn. M. Jonckerus, Gymnasii Sleusing Con-Rector meritissimus & Polyhistor famigeratissimus 88) inquiens: *Charlotta Justina Gersdorffia*, e Nicolao S. R. J. Baud. & L. B. e Gersdorff &c. & Henrietta Frisia nata 89). Ipsaque adeo filia quam exacte maximi Patris matrisque virtutes & doctrinam æmulari studeat, documento esse potest, præter Græcæ, Latinæ, Gallicæque linguæ, quam in uox pro-

64) v. M. Pitschmanns Reichthum der Weißheit GOttes in Dedic.
65) v. ej. Orat. Nupt. l. c. p. 86.
66) Mitto 1802. Albertum Austriacum Martisburgum ad Henricum IV. Imperatorem Rom. victo Rudolpho, cui as reliquias Martisburgi vidi, venisse, atque tres Gersdorffios. Consiliarios, secum habuisse Ann. Dom. Ad rem illustrandam cf. Matthæum l. c. p. 904. seq. Hübnerum in vita Henrici Histor. Frag. Gersdorffiis his dono dedit Imperator hordeaceas spicas ex auro confectas. Ao. Dom p. 5. &c.
67) Tacitus L. XI. Annal. c. 15. p. 327. Amstel. 1664. M. Edelmann Diss. cit. in Præf.
68) C. II. §. 7 22.
69) Caspar Dornav. Togat. Nobilitas h. e. de Vita Dn. Casparis e Merzerad p. 335. ed. 1618. Ferhan.
70) Joh. Georg. Grave in Obit. Guilielmi III. fan. Isad. ed. Lips. 1703. p. 122.
71) Zieglers Schau-Platz der Zeit p. 1109. cf. Theatr. Europ. T. I. f. 373 Lucas l. c. p. 189. Curiosi Silesii Anmerckungen über Lichtensterns Schlesische Fürsten-Crone p. 60. Bucholtz l. c. p. 803. seq. Hübner l. c. p. 1070.
72) Martini Brand-Predigt von Ruh Land ed. 1615. & dedic. Adolpho e Gersdorff Præf. Lus.
73) Lucas l. c. p. 1803. Henn. l. c.
74) Hosemann l. c.
75) Ann. Dom. p. 8.
76) M. Thomæ Luckus Grædiserus l. c.

provecta ætate jam possidet (agit enim jam annum XVI) notitiam, etiam illa rerum Theologicarum cognitio, postquam cum summa adstantium admiratione audita est publice, etiam difficilima Scripturæ S. loca facile & accurate, ex ingenii sui felicitate, solvere, addita simul prompta ad quæstiones propositas responsione. Hæc modo laudatus Dn. M. Junckerus. Pagina monet esse procedendum ad

CAP. III.

DE DIGNITATIBUS IN SAGO.

PRimum locum occupet *Ernestus a Gersdorff*. Vir ingentis spiritus. Mortuo enim Luthero 1546. ipso Concordiæ die 90). ætatis LXIII. qui semper de conciliandis Joannis Friderici, Crucis Vexilliferi 91), Electoris, & Mauritii Ducis Saxoniæ animis cogitaverat, concordes etiam hi ipsi esse desierunt. Itaque postquam Carolus V. milites contra Saxonem & Landgravium magno studio conscripsisset, non solum jussu Cæsaris Mauritius, cujus castra cum aliis sequebatur, sub finem anni 1546. oppida Saxonis quædam occupabat 92); verum etiam, cum in itinere Mulbergo Witebergam contendens Elector, pulso equitatu & peditatu, ad Sylvam Lochauam 1547. caperetur, legio Mauritii fortiter & acriter pugnavit, cui Ernestus a Gersdorff, Chiliarcha, præpositus erat 93).

§. II. Secundum locum occupet *Christophorus a Gersdorff*, de quo hæc leguntur verba 94): Es melden die Historien wie 1532. 95) der Türck abermahls in Ungarn kommen, - - Nachdem nun ein groß versamlet Kriegs-Heer, deren General Pfaltz Grof Friedrich am Rhein gewesen, aus Teutschland zusammen kommen: ist der Kayser Carl V. nebst seinen Bruder Ferdinando, dem Röm. Könige in der Teutschen Lager kommen, - - - und hat Pfaltz-Graff Friedrichen gefragt: ob man auch, wenn es die Noth erfoderte, noch einen so grossen Hauffen Volcks, nemlich 130000. Mann in Teutscher Nation zusammen bringen könte? Darauf der Pfaltz-Graf geantwortet, daß man in Teutscher Nation Städten nicht wohl spüren könte, daß jemand heraus gezogen wäre. Dieser Fürstl. Meynung waren 2. Obersten Befehlshaber Christoph von Gersdorff, und Melchior von Nostitz auch zugethan, welche sagten: Gnädigster Herr Kayser, wenn man aus dem kleinen Ländlein Teutscher Nation Lausitz genannt, nur das männliche Volck ausklauben solte, würde man wohl darinnen ein solches zusammen bringen. Profecto heroicus sermo heroes decens tantos, quanti Turcis pares esse potuerunt.

§. III. Tertius sit *Hans Christoph a Gersdorff*, Dn. in Altseidenberg. Regiæ Dan. Majestatis piæ memoriæ olim Vigiliarum Præfectus Primarius, (Oberster Wachmeister) 96).

§. IV. Hunc excipiat *Hans Hieronymus a Gersdorff*, de quo in Ehren- und Denckmahl Seren. Mauritii, Ducis Saxoniæ & Postulati Administratoris Episcopatus Numburgensis 97) hæc leguntur: Hans Hieronymus von Gersdorff, Cammer-Juncker und Oberster Wachmeister.

§. V. Nec omittendus *Nicolaus a Gersdorff*, *Capitaneus* & Arabarches in urbe Flandriæ, quam Modiam dicunt, qui 1611. d. 21. Jun. e vivis excessit 98).

§. VI. Venimus ad *Sigismundum a Gersdorff, Cæs. Centurionem*. Cum vero Solymannus, Turcarum Imperator exercitu numerosissimo Viennam Austriæ 1529. undiquaque obsidere cœpisset, tormentis & machinis bellicis vicies acerrime oppugnasset, & muros aliquoties rupisset 99) statim Sigismundus noster, arcis præfectus cecidit 100).

§. VII. Sequatur *Wenceslaus, a Christophoro a Gersdorff*, & Agatha a Biberstein natus. Tertio hic Henrici VI. Imperii anno 1193. cum hortatu Pontificis expeditio in Asiam institueretur, atque præmitterentur Conradus, Episcopus Moguntinus, Conradus Wurceburgicus, Henricus Leo, Rudolphus Austriacus, Hermannus, Landgravius Thuringiæ & alii, qui Saracenos vincebant & Berytham, Sidonem aliaque loca capiebant 101), *præfectus cohortis fuit* 102)

§. VIII. Pere dixero, quocunque animi nostri intentionem vertamus, aliud atque aliud fortitudinis Gersdorffiorum prostare exemplum intelligimus. Cum enim Gustaphus Adolphus, Rex Sueciæ, inita cum Electore Saxoniæ societate Cæsarianos ad Lipsiam superaret, plurimas urbes & provincias Imperii Germani occuparet & mense Novembr. 1632. ad Luzenam prælio decertaret, insignem autem victoriam suo interitu funestaret, semper comes itineris, testisque factorum invictissimi Regis fuit *Gersdorffiorum quidam*, tribunus plebis s. Chiliarcha, qui una cum Generale Majori isto fortiter pugnans cecidit 103).

§. IX. Immo anno jam jam 1525. illi prælio memorabili, in quo Franciscus Galliæ Rex ad Paviam cæsus & captus fuit 104), Gersdorffiorum viginti septem; exercitui vero Christiano, cum anno 1529. Vienna a Turcis obsidione premeretur 105), hujus nominis heroum tres & sexaginta interfuisse, commemoratur 106). Nihil dicam de Gersdorffio, virtute plurimos præcedente, qui Chiliarcha accepit legionem loricatorum Diesenhausianam; nihil de Chiliarcha loricatorum apud Cæsareos; nihil de eo, cujus mentio fit in Souver. Europa, 107) Rescio etiam complures adhuc Gersdorffios reperiri, ex quibus maxime celebres nominare 108) possumus: de his tamen alio tempore memorabilia perscribere non omittam. Faxit modo DEUS, ut hæc nobilissima stirps quam diutissime pro eo, ac ejus virtus meretur, vireat ac floreat! Tantum.

90) Seckendorffii Comment. de Luther. L. 3. Sect. 31. §. 137. p. 622. & M. Junckerus in Vita Lutheri Nummis & Iconibus illustr. ed. 1699. Lips. p. 270. seq.
91) v. Chur- und Fürstl. Sächs. Helden-Saal Nürnberg 1687. p. 353.
92) Bucholceri Ind. Chronolog. p. 517. Matthias l. c. p. 1050. sq.
93) Ann. Dom. p. 11.
94) v. M. Titii Exempel-Buch VVitteb. 1657. p. 1377. ex Abr. Hosmanni Pomp. Reg. Ingress. Matth. in Super. Lus.
95) In textu annus quidem 1530. legitur; sed pro hoc substituendum esse annum 32. sequentes ob rationes credo: fuit enim anno 30 non jam Ferdinandus Rex Roman. renunciatus, qui tamen hic Rex audit; porro Austria iterum vim intulisse Solymannum, cincto magno & copioso exercitu, refert Mathias l. c. p. 1049. Denique Carolum ex Germania, Italia & Gallia anno 1532. octoginta peditum millia & triginta sex peditatorum equitum, exceptis Vngaricis equitibus collegisse, refert Bucholcer l. c. p. 526.
96) M. Pitschmann Orat. Nupt. in Dedic.
97) impr. Zeitz 1680.
98) Hosmann in obitum Rudolphi II. p. 83. Lips. 1612.
99) Hæc ex Indice Chronolog. Buchol. p. 516. sq.
100) Annal. Domest. p. 11.
101) Matthias l. c. p. 900 sq. 102) Annal. Dom. p. 6.
103) Zieglers Schau-Platz der Zeit 6. Nov. p. 1242. Bucholc l. c. p. 951
104) Joh. Serrani Inventar. Historie. Franc. in vita Francisci I. p. 491. Ff. 1665. Ja. Leti. auctum ab L. Fellero, compendium Hist. Univ. ex c. 32 Sect. I. p. 354. Ff. & Lips. 1679.
105) Buchols l. c pag. 516. sq.
106) Hænel ns l. c. Annal. Domest.
107) Verba p. 494. sic sonant: Das Regiment de la Marine commandirt der Brigadier Gersdorff.
108) v. g. *Henricus a Gersdorff*, Joachimi filius, præfectus cohortis domesticæ Regis Daniæ fuit, M. Pitschmann l. c. p. 50 in Ecclesiæ VVeigsdorffensis memoriis mentio fit *Christophori a Gersdorff*, qui in bello Passaviensi, Brunsvicensi & Bohemico fortissimum se gessit. Plura addere supersedeo.

FINIS.